BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
24 A
35
1^a 4
14-28.a.42

12
24. A
35

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Amſtelodami,

Apud. IODOCUM IANSONIUM, 1645

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

FREDERICI DE MARSELAER EQVITIS

LEGATUS.

LIBRI DUO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AMSTELODAMI,
Apud IODOCVM IANSONIVM.
CIↃ IↃ CXLIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

NE præſens otium aliter quam velis loces, Lector, ſcriptionis hujus uſum & ſcopum habe. Nihil hic mendaci ſpondebo titulo, quod bona fide non exſoluam. imo quidquid id fuerit, ne meo quidem judicio definietur: ad tuum appello. LEGATI munus arduum, auguſtum, examinare & inſignire ſtudium fuit; paucorum antehac manu tractatum, paucorum ingenio expolitum. Res autem ſpectavi potiſſimum & ſectatus ſum: utque validius exprimerem, methodo diſſerere placuit; eo ceterum contextu, cui nonnihil conſtet nervorum & medullæ, plus tamen fiduciæ quam curæ: hoc nimirum fine, ut calamus uſui, non uſus calamo ſub-

ſerviret. Quod auſus ſum, exemplo Vetuſtatis auſus ſum, quæ generoſius tractavit ingenii opes & uberius dedit. Agere profecto Legatum quam ſcribere honorificentius eſt, Reipublicæ etiam utilius. Ego vero ſic ſcripſi, quemadmodum agi poſſit. Volumine, quam rei ferat majeſtas, minore, ſummum & prope divinum munus repræſento. Quis digne igitur poſt Regem; Regis, poſt Principem, Principis perſonam ſuſtineat; ſi longum eſt legere, hic videbis. Quæ enim Κηρύκειον properarat edere, ſeverius ad limam & lineam revocata reſenſui, non ut mihi blandiens Auctor, ſed ut Lector: refrigerato videlicet inventionis amore. Et hæc quidem Magnatibus quibuſdam ita placuerunt, ut protinus manumittenda fuerint, niſi diſplicere ipſe vellem, qui dignis eorum poſtulatis haud libenter quidquam recuſem. Quia autem

formæ

formæ rerum, appendices, ambages infinitæ ſunt; hic maxime rara, grandia & gravia attigi & protuli ſive Dogmata ſive Exempla. Et dogmata quidem, quæ nec plauſum ambiunt, & à fuco remota ſunt; & è quibus ſigillatim ceterorum, quæ dicenda videbuntur, & ratio colligatur & regula: quæ nonnihil denique ad Inſtitutionem Civilis & Moralis vitæ conferant. Exempla etiam ab aliis facta eſſe oſtendunt ea quæ ſuadentur, animumque mirifice erigunt, dum videt non nova, non humanis viribus vel eventibus majora proponi. Porro cum Principis Oratoris ſuffragio, præpotens ea ſit & glorioſa Philoſophia, quæ Jure Civili & Legibus ſtabilitur; plurimorum Juriſconſultorum placita huc citare potuiſſem, atque (ut fieri ſolet) infinitarum legum legiones pro ſententia & argumento adducere; ni veritus fuiſſem dictionis fluxum in-

terſectione hiulcum reddere, ad pompam, imo ad confuſionem, ad tædium potius quam ad uſum. Leges Ratio facit & prudentia: hinc meos prope rivulos diductos eſſe, diligens ſcrutator animadvertet, unde & leges ipſæ formantur & illuſtrantur. Par cauſa fuit, cur Auctorum nomina plerumque non expreſſerim, & Græcanicis fere abſtinuerim. Quid? quod iis hæc quoque ſcripta ſunt, quibus Atticæ varietatis dialectos legumque aſteriſcos (cum norint etiam) moroſa ſententiæ intercapedine perlegere, ut plerumque non lubet, ſic nec vacat. Cogita vero, Lector, & in hoc argumento Arcana quædam eſſe, inſinuanda magis quam indicanda quæ tanti miniſtro muneris incumbant. Utque ſecreti ubique religio eſt; ita & hic Harpocratis digito comprimenda quædam ſunt, nec vulgo vulganda: quædam apud eos, penes quos Imperii

cardo

cardo voluitur, occulta & ſepulta lateant: ſcilicet cujuſlibet chartæ anguſtiis majora, ſermone meliora. Etiam Solis & Magnorum illorum Luminarium luce dum fruuntur mortales, ſuſpicere datum eſt, non inſpicere. Servare modum conatus ſum: atque utilitati paſſim ut ſtudui, ſic etiam brevitati, quod Magnus & Principibus viris hæc ſcripta ſint. ſic tamen ut nec in brevitate copiam otioſi deſideraturi ſint, nec in copia brevitatem occupati.

Equidem Illmos atque Excellmos Heroës CARDINALEM ALPHONSUM DE LA CUEVA, & Felicis Memoriæ DN. BALTHASAREM DE ZUNIGA intuitus ſum dum ſcriberem, quorum illuſtri Prudentiæ & Magnificentiæ Exemplo Legationes laudatiſſimæ fuerunt, meritaque in Vniverſam Rempub. Chriſtianam nobilia, nec in Orbe niſi cum Orbe

interitura. Errat quippe, quiſquis autumat, Vivendi normam certius è Scriptis, quam Scribendi formam è Vita & Moribus deſumi poſſe.

Hoc ſane conſilio LEGATUS iſte meus formari primum cœpit: & poſteaquam cum non paucis primæ notæ viris, qui obibant aut ambiebant Legationes, vel ipſi dirigebant, familiarior interceſſit conſuetudo, Simulacrum præſtantiſſimi muneris validioribus conatibus producere & illuſtrare perrexi. ut iſthoc cum gratuiti obſequii, tum publici commodi & honeſti jure confidam impetrare à bonis, ut faveant; ab improbis, ne laudent. Quid verbis opus eſt? ut certius judices; ſcrutare, Lector. Ego prout calculum hic tuum experiar, amabo ipſe conſilium meum, vel damnabo.

SERIES DISSERTATIONUM LIBRI PRIMI.

DISSERT. I.
Imperium & adminiſtratio. pag. 1.

DISS. II.
Legati Nomen & Munus. 3.

DISS. III.
Dignitas. 10.

DISS. IV.
Neceſſitas. 13.

DISS. V.
Electio. 17.

DISS. VI.
Fama. 27.

DISS. VII.
Sacramentum. 30.

DISS. VIII.
Fides. 31.

DISS. IX.
Excuſatio, Coactio. 43.

DISS. X.
Legatus indigena ſit. 46.

Digitized by Google

Diss. XI.
Genere nobilis. 47.
Diss. XII.
Specie præſtans, ac firmus corpore. 51.
Diss. XIII.
Iuveniſne, an Senex? 59.
Diss. XIV.
Opulentus, 63.
Diss. XV.
Munificus. 66.
Diss. XVI.
Continens. 72.
Diss. XVII.
Non vinolentus. 74.
Diss. XVIII.
Non rixoſus. 81.
Diss. XIX.
Non moroſus. 84.
Diss. XX.
Gratus excipienti. 90.
Diss. XXI.
Non adulator. 102.
Diss. XXII.
Publice ſpectabilis. 108.
Diss.

DISS. XXIII.
Religionis, Veſtis & Vrbanitatis patriæ tenax. 117.

DISS. XXIV.
Eruditus. 124.

DISS. XXV.
Eloquens. 132.

DISS. XXVI.
Facetus, non dicax. 136.

DISS. XXVII.
Linguarum peritus. 142.

DISS. XXVIII.
Peritus lectionis, ſcriptioniſque. 145.

DISS. XXIX.
Prudens. 146.

DISS. XXX.
Non ignarus Aulæ quam aditurus. 160.

ROMAE. 161.
PRAGAE. 171.
MADRITI. 173.
PARISIIS. 174.
LONDINI. 175.
CRACOVIAE. 177.
VENETIIS. 179.
CONSTANTINOP. 181.

Digitized by Google

DISS. XXXI.
Polytropus. 188.
DISS. XXXII.
Adverſam fortunam expertus. 190.
DISS. XXXIII.
Intrepidus. 193.
DISS. XXXIV.
Temporarius. 208.
DISS. XXXV.
Lente feſtinans. 211.
DISS. XXXVI.
Circumſpectus. 215.
DISS. XXXVII.
Memor. 216.
DISS. XXXVIII.
Aſtutus. 219.
DISS. XXXIX.
Simulando ac diſſimulando tectus. 226.
DISS. XL.
Verax. 230.
DISS. XLI.
Fidus, ne nimium fidat. 236.
DISS. XLII.
Felix. 243.
LIBRI

Digitized by Google

DISS. I.
Legationum diſcrimen. 247.

DISS. II.
Color & prætextus. 254.

DISS. III.
Inſtructio ambigua. 257.

DISS. IV.
Mandata. 264.

DISS. V.
Quædam non ſcripta. 278.

DISS. VI.
Fidei & Auctoritatis teſſera. 281.

DISS. VII.
Legatio libera 285.

DISS. VIII.
Legatus qui decipiet, decipiendus. 286.

DISS. IX.
Vnuſne mittetur, an plures? 293.

DISS. X.
Vnus an plurium ſimul Legationum capax? 303.

DISS.

Diss. XI.
Annuus, an perpetuus? 313.

Diss. XII.
Quomodo excipiendus? 320.

Diss. XIII
Inviolabilis. 347.

Diss. XIV.
Quo jure conveniendus? 371.

Diss. XV.
Qua polleat juriſdictione, prærogativa, immunitate? 373.

Diss. XVI.
Comites, famuli, aſſeclæ. 381.

Diss. XVII.
Corycæi. 394.

Diss. XVIII.
Vxorne comes? 399.

Diss. XIX.
Legationes ad inimicos. 406.

Diss. XX.
Interdum doloſæ. 420.

Diss. XXI.
Per Legatum bella. 425.

Diss.

DISS. XXII.
Deditio. 432.
DISS. XXIII.
Induciæ. 438.
DISS. XXIV.
Pax. 445.
DISS. XXV.
Seditio ſedata. 452.
DISS. XXVI.
Nuptiæ, Affinitas. 464.
DISS. XXVII.
Fœdera & Auxilia. 475.
DISS. XXVIII.
Culpæ aut calamitatis deprecatio. Solamen. Congratulatio. Odii incitamentum. Munerum latio. 494.
DISS. XXIX.
Principatus acquiſitus, firmatus. 505.
DISS. XXX.
Hodierna Principum in ditionum Iuriumque momentis Simultas Legato dignoſcenda. 532.
DISS. XXXI.
Legati admiſſio ad Principem. 532.

DISS.

DISS. XXXII.
Loci & congreſſus ratio. 544.
DISS. XXXIII.
Enuntiatio mandatorum. 558.
DISS. XXXIV.
Qua lingua? 567.
DISS. XXXV.
An per Interpretem. 570.
DISS. XXXVI.
Character dictionis. 575.
DISS. XXXVII.
Fandi momentum. 585.
DISS. XXXVIII.
Dicentis habitus. 588.
DISS. XXXIX.
Reſponſa Principum. 590.
DISS. XL.
Conſilia. 611.
DISS. XLI.
Officium epiſtolare. 617.
DISS. XLII.
Occulte ſcripta. 632.
DISS. XLIII.
Novacula & Spongia Calumniæ. 636.
DISS.

DISS. XLIV.
Legati reditus. 644.
DISS. XLV.
Lautia. 648.
DISS. XLVI.
Renuntiatio. 655.
DISS. XLVII.
Stipendia. 662.
DISS. XLVIII.
Præmia. 665.
AD LEGATVM PARAENESIS. 671.

Nô

Nobili ac Prudenti

VIRO

D. FRED. DE MARSELAER
EQUITI AVRATO
TOPARCHÆ DE LOXEM
ET DE TER VECQ
CONSVLI CIVITATIS BRVXELLAE.

DN. P. V. DE S. M.

MNEMOSYNON.

CVi Sophiæ, Iuris, Morumque ſcientia, & uſus,
Accumulant dotes corporis atque animi,
MARSELAR, *officium Legati & Regis acute*
Inſtruit atque ornat ſerius iſte Liber.
Iſte brevis verbis, reque ingens, utilis omni
Cui cordi & curæ eſt publica vel ſua res.
Plura exploranti occurrunt quam verba figurant,
Mos, mens, ingenium Principis & Populi.
Ominor: An tandem ſic ARTE ET MARTE *reſurget*
Priſca Domus, tantis quæ tibi ſplendet Avis?

FRE-

FREDERICI DE MARSELAER EQUITIS LEGATUS.

LIBER PRIMUS.

DISSERTATIO I.

Imperium & Adminiſtratio.

VNUM inter omnes eminere, magnum eſt: ab uno regi plures, quodammodo divinum. Illud, nomine & ſplendore Principis; hoc, ingenio & imperio continetur. Nomen quidem ſplendorque, fortunæ; ingenium imperiumque, ſapientiæ opus eſt. Sed utrumque etſi partim magnitudine, partim divinitate eximium; *auxilio atque miniſterio* indiget. Sic toti naturæ, Solis jubar ſufficit: & plura tamen ſidera tantum excipiunt lumen ac diſpenſant, diſpari gradu, virtute, munere. Deus ipſe quo nihil eſt majus, ſine quo nihil eſt omnino magnum, dum poteſt omnia, non omnia tamen per ſe agit: natura tamquam miniſtra, & rerum cauſis ſecundis, tamquam inſtrumentis decretorum ſuorum utitur, ad conſervationem, ordinem & ornatum univerſi. Princeps quiſ-

quis eſt, hominibus imperat, ſed tamen homo. Aſſumit igitur & evehit, qui in partem curæ, & ſic dignitatis veniant, viros ſapientes, nec non expertæ virtutis, fide & auctoritate inſtructos. Putes, veterum Perſarum ritu, plures imperantis oculos, aures, manus eſſe; & à capite minora hæc membra, & maxime occupata dependere. Ita qui ubique adeſſe non poteſt; videt, audit, agit omnia, & aliquam numinis conditionem uſurpat. Quapropter ſumma hæc cura eſto, ut oculi iſti, aures, manus vitio careant; ut à publico arceantur munere qui improbi ſunt; ſed maxime qui celata malitia ſe inſinuant. Sæpe enim in ſpeciem ſana & venuſta membra, intus ſaniem tegunt, luemque ac labem per univerſum corpus derivant. Sane Miniſtrorum felix ſolertia, nunc pars, nunc origo, interdum cumulus eſt ſalutis publicæ: contra ſocordia, nequitia, infelicitas, ea progignunt mala, ultra quæ malum nullum eſt. Unde ſi à multis retrò ſæculis maximorum Imperiorum fortunam memoria repetamus; liquebit ilico, omnem felicitatis laudem promptitudine atque prudentia Miniſtrorum, & potiſſimum Legatorum (de quibus hic nobis, cum bono Mercurio, labor ſumitur) magis ſtetiſſe, quam ingenio Principum: turpitudinis vero atque calamitatis ignominiam culpa eorumdem introductam.

DIS-

Digitized by Google

DISSERT. II.

Legati Nomen & Munus.

LEgati autem munus ipſo propemodum nomine continetur. Etenim à legando Legatus, tamquam miſſus; imo à legendo, quaſi prius lectus, ut publicum negotium peregre, & auctoritate publica agat: ſed in toga, non in ſago; ingenii & eloquii proprie viribus, non armorum aut manus. Qui vero legitur, etiam eligitur, optimus ex optimis, primus è primis. Apud Romanos tamen non minus ſorte inderdum & urna, quam ſuffragio Legati conſtituti ſunt: ne, ut apud Tacitum Marcellus Eprius indicat, ambitioni aut inimicitiis locus foret. Sic ad Atticum ſcribens Cicero, ſuam, ait, cum de Legatione mittenda ageretur, primam ſortem exiſſe: cenſuiſſe tamen Senatum, ut in urbe retineretur. Aliquando etiam alios quidem ſorte, alios ſuffragiis electos, eamdem ſimul Legationem obiiſſe, Dio Caſſius narrat. Utpote ſorte aliquid fatalis propenſionis ac neceſſitatis ineſſe ſuperſtitioſa credidit antiquitas. Hinc illud Maronis:

——— *Hic exitus illum*
Sorte tulit. ———

Aſt modo, diſcuſſis tenebris veteris cæ-

cutientiæ, abſit cæcus fortunæ calculus, ubi de publica felicitate aut infelicitate certatur. Urna mores diſcerni nequeunt: judicii libertate opus eſt & trutina. Adeoque electio raro fallat aut male cedat, ſors plerumque. Alioqui cur litibus cauſidicus, ægritudini medicus, claſſi vel exercitui præfectus non quæratur ſorte.

Sit igitur Legatus, quemadmodum dicitur, lectus & electus: idque vel omnium arbitrio, ubi plures imperant; vel unius, ubi felicius omnes ſubeſſe uni didicerunt. Electus autem exploratæ virtutis, & qui digne ſecum faciem auctoritatemque Reipublicæ ſuæ, ſive Principis, ferat. Hoc exemplo Bocchus apud Salluſtium, ex omni copia neceſſariorum quinque deligit, quorum & fides cognita, & ingenia validiſſima erant: eoſque ad Marium, ac deinde Romam ire juſſit, rerum agendarum plena poteſtate inſtructos. Legatus vero etiam Orator appellatus eſt. *Orator*, inquam, ab oratione: ore enim & ſermone magis, quam litteris negotia tractat: vel tum maxime aptus huic muneri, cum facundia excellens. Tamen & qui rogaturi ſive precaturi mittebantur, Oratores quoque olim fuere.

Iamque Oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque precantes.

Sed vel pacis, vel belli cauſa mitti Legati ſolent.

ſolent. Qui de pace ageret, Romanis olim *Caduceator*, à caduceo dicebatur. Caduceus virga Mercurii erat, candida, complexu anguium ornata, atque adeo geminum poſtea Amaltheæ cornu, ſuſtinens. Quæ omnia, & myſtica ſunt, & paſſim explicata. Mercurius enim quid niſi ſermonis poteſtas eſt? Virga candida, quid niſi loquentis veritas & rectitudo? Anguium complexus, quid niſi pacis & concordiæ vinculum? Cornua Amaltheæ, quid niſi otii & tranquillitatis bona? Eſt igitur Caduceator, veteris Poëtæ verbis,

——— *Vox Regum, lingua ſalutis,*
Fœderis Orator, pacis via, terminus iræ.
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hoſtis.

Peculiari autem vocabulo, qui bellum indicebat, *Fecialis* fuit, à fide & faciendo dictus. Atque is nullo armorum præſidio munitus, aut ſatellitio ſtipatus erat; ut ſcirent omnes, quo minus ad offendendum inſtructus eſſet, majori ſcelere, vel lædi, vel violari. Sic velut nefas ducebant veteres, ad arma decurrere, niſi aut ipſi impeterentur, vel eos præmiſiſſent qui arma denuntiarent. Olim iſta: hodie imago dumtaxat, & Caduceatoris, & Fecialis in *Heraldo* (quem ad modum appellamus) ſeu Rege Armorum durat, qui paludamentum, Principis ſui inſigniis pictum geſtat, & veſte,

nec non colore ipſo Imperii dignitatem exhibet; dum aliquid ſemel, & ſine longiore abſentia deferendum vel nuntiandum. Et religioſe quidem quæ mandata ſunt deferunt aut nuntiant Heraldi; & apud ſingulos Principes (dummodo muneris ſui inſtituta calleant) diverſis ritibus. Ceterum Legati ipſius nomen latius aliquando patuit. Nam & militiæ Præfecti, per quos arma apud exteros movebantur, & Præſides provinciarum, quibus juriſdictio demandata erat, Iuſtinianeis titulis Legati dicti ſunt. Legati autem ejuſmodi, tanquam Regii muneris vicarii, Vice-reges hodie appellati. Nobis autem *Legatus* proprie is eſt, *qui publice lectus, publice etiam miſſus, negotium publicum auctoritate peregre agit.* Eligitur ab eo, mittiturque, qui legandi poteſtatem habet: & ad eum, qui pari poteſtate & ſuprema juriſdictione præditus eſt: qui nulli tributarius eſt, aliena juſſa aut imperia non moratur. Pari, inquam, non opibus, aut finium modo, ſed conditione regnandi, & faſtigio dignitatis. Eligitur, qui mitti dignus eſt, prudentia, probitate, eloquentia conſpicuus: etiam, ut quibuſdam placet, euphonia nominis; qui omen ab ipſa appellatione deducunt. An ſuperſtitioſi? definire nolim: excuſandi fortaſſis, quando ejuſmodi negotium eſt, in quo tractando Le-

gati

gati felicitate ſtatur magis, quam valore cauſæ. Grandem Cabaliſtæ emphaſim conſiſtere ſomniant in nominum ſignificatione: quot characterum, quot ſyllabarum ſint; quo ordine, numero, ſono. Voluntque maximos olim Vates hac conjectura non inaniter uſos: ſic fauſta vel infauſta caſuum illabi, terminari. Sed ſomniant etiam inſomnes. Ad Leutychidèm Lacedæmonium, ſcribente Herodoto, Samii, à Perſis oppreſſi, Legatos clam miſerant, auxilium quo tyrannidem excuterent, implorantes. Qui verba tum faciebat, hoc inprimis perſuadere Græcis conatus eſt, ne ſubeſſe dolum ſuſpicarentur. Tum interrumpens Leutychides, ſive caſu, ſive ominis gratia, Hoſpes, inquit, Samie, quod tibi eſt nomen? Hegeſiſtratus, ait ille. Iterum Leutychides: Accipio pro augurio Hegeſiſtratum: navigemus. Sane ipſum nomen, navigandum eſſe, quodammodo commonebat, *ductum copiarum* ſignificans. ἥγησις enim ductus eſt, à verbo ἡγέομαι, ϛρατὸς exercitus. Et hujus quidem nominis etymologiam explicare libuit, ne quis deinceps ſolemni errore deceptus, cenſeat, vim nominis hujus obſcuram eſſe, & miſterii pariter rationem ignorari.

Itaque, qui à potente Principe, ex alterius imperio independente, ad parem mittuntur,

tuntur, proprie ſunt *Legati*. *Agentes* aut *Reſidentes*, qui à minoris juriſdictionis ac conditionis Principe, aut ſacramento fidelitatis adſtricto, deſtinatur ad majorem, aut vice verſa. Quamvis alterutro hoc, ſive nomine, ſive titulo, quidam minoris commatis interdum ablegentur etiam ad eos, qui honorem Legationi debitum, vel denegarint, vel veriſimiliter ſunt denegaturi. Etiam, ait Menander, ab antiquo in more apud pleroſque Principes poſitum fuiſſe, poſt magnos Legatos mitti alios minores; quibus non is cultus qui magnis exhibetur. Ita nimirum abeuntibus Legatis, permanent Agentes, Reſidentes. Fit tamen ut Princeps ſimul habeat & illuſtrem Legatum & Agentem, quaſi procurantem res levioris ponderis. Interea ut etiam ea quæ maxime expetuntur parum ſollicitari videantur, Agenti committuntur; dum Legatus eorum quaſi neſcius incuriuſve. Qui vero à potente Principe ad provinciales ac ſubditos, imo ad ſeditioſos, perduelles, prædones ac piratas mitti ſolent, *Commiſſarii* dicuntur. Etenim hi omnes tamquam ſubditi ſunt; obnoxii, licet imperio ſe exemerint; vi ſolummodo aut ſcelere, juris ſui facti. Proprie autem, qui ad rebelles, ſeditioſos, factioſos eunt, *Denuntiatores* dici poſſunt, tamquam imperium uſurpent. Et quemadmodum

modum domino in ſervos, patri in liberos fugitivos perpetuo jus & auctoritas ſalva manet; ſic Principi in illos, qui ſubeſſe ac parere cum debeant, detrectant. Ac licet vel ſua induſtria, vel auxilio aliorum Principum (quorum fortaſſis è re ſit vicinum civili diſſenſione occupari atque extenuari) in libertatem ac ſecuritatem ſeſe ad tempus vindicarint, jurejurando tamen nequaquam ſoluuntur, neque ſubditorum conditioni eximuntur: niſi forte temporum ac Principum ſucceſſio, potentiæ item ac fortunæ magnitudo, priſtinum ſtatum adeo controverſum reddidiſſet, ut vis in jus conſtrui poſſet, jamque de memoria hominum, nec non de auctoritate Principis ſui triumpharent. Qui à ſubditis ad Principem veniunt, *Deputati*, non Legati ſunt, quia ei pares haberi nequeunt. Videtur autem Principi par Legatus, liber & exemptus à *civilibus ejus conſtitutionibus, decretis, edictis.*

Sunt & alii, atque alio nomine, quam Legati peregre; qui ſcilicet alicujus ſucceſſionis, ſive hereditatis, aut dignitatis adeundæ, aliquando religionis, conjugii, mercaturæ, exilii, propriive delicti prætextu abſunt: & abſunt quidem, ut tutius certiuſve ſpeculentur, eaque explorent, quæ alioqui inacceſſibilia, impenetrabilia. Hi interdum, ut ſecurius voti reddantur compotes, in ſtipen-

dia, imo domum illius veniunt, quem ſic obſervant: prorſus ut familiariter noceant, ni mis familiariter admiſſi. Sed hujuſmodi occulti *Negotiatores*, licet publica peregre agant, à Caducei dignitate aliene ſunt. Niſi fortaſſis nonnulli, re jam ob quam venerant explorata, ſe Legatos eſſe profiteri poſſint. Quod ſibi juſſu Ludovici x i. Regis Galliarum accidiſſe, ſcribit Gaguinus.

Nuntius quodque aliquid Legationis præ ſe ferre & uſurpare videtur; à nuntiando dictus, quaſi minore pompa & ſplendore ad minora miſſus. Hodie ea vocis antonomaſia indigitantur fere Oratores Romani Pontificis. Peculiarem denique olim appellationem & functionem habuerunt Legati Auguſtales, Legati Proconſulares, Prætorii, Tribunitii, Expeditionis, Legionum, Provinciales, Præſidiales: de quibus, ex variis legum & hiſtoriarum monumentis, meminerunt Wolfgangus Lazius & Elbertus Leoninus; ſed parum pro noſtro inſtituto.

Disserт. III.

Dignitas.

At vero inter omnia Reipub. munia, quæ ſane multa & diffuſa ſunt, unum Legati, & officii neceſſitate, & rerum amplitudine, & dignitatis ſplendore excel-

excellit: cui excipiendo non niſi dite pectus, ſuſtinendo non niſi magnus animus par eſt. Vir, inquam, qui conſilio prudens, annis maturus, ſermone facundus ſit: qui caput conferre etiam cum exteris, æmulis, hoſtibus valeat: qui Regis ſui majeſtatem, populi decus, patriæ laudem indolemque unus digne repræſentet: ac majorem illam perſona ſua perſonam. Sane Principis imago Legatus eſt; & principali igitur honore cenſendus, qui dicit omnia, agitque, tamquam ipſe ſummus ſit: quippe ſacroſancta præditus poteſtate. Sceptrum & caduceum compone, Iovem Mercuriumque, & Legati dignitatem intelliges. Sed grande onus nobilis hic honos trahit: opuſque plenum periculoſe aleæ. Solus enim proficiſcitur Legatus, ad patriam ſibi incognitam; aliis vero, quibuſcum acturus eſt, intime perſpectam. *Dignitatem muneris intellexit Cyrus:* quippe imperatoriis à prima ætate artibus inſtituendum eum duxit, qui Legatione fungi deberet. Quod ſi Principes & Reges non inaniter *Di terræ* appellantur; divinitas quædam eſt hæc dignitas: qua ſine, Chaos illud Ovidianum ſæpius recurrat; gravique bello atque innocentum ſanguine mercandum foret, quod amicis pactionibus impetretur. Et Legationum quidem dignitas elucet, cum non ſolum apud

Irim de cælo miſit Saturnia Iuno.

&

Hinc ſe ſuſtulerat paribus Caducifer alis.

Sed primus ille Motor, ſalutis noſtræ conditor & redemptor, multifariam Legatione functus eſt, dum humana carne veſtitus, homines, ſervos tenebrarum, adoptavit & adſcivit in filios lucis: & ſicut mandatum accepit à Patre, ſic fecit. Dein, fuit homo miſſus à Deo, quo inter natos mulierum, non ſurrexit major. Ipſi Moyſes & Prophetæ, quid niſi voluntatis ac præſcientiæ divinæ præcones & præcurſores extitere, Euangelium nuntiaturi univerſæ Creaturæ? Et, *Pro Chriſto Legatione fungimur*, ait Apoſtolus. Denique, numquid divini illi ſpiritus cenſeantur eſſe Dei emiſſitii, dum indies cujuſque conſcientiam tacitis hortatibus commonent & commovent, nec juſtum diu dolere, neque improbum reſpirare ſinunt? Inde vox Angelus ab Græco Ἄγγελος idem ſignificat quod nuntius. Ideoque id non naturæ, ſed officii nomen eſſe volunt Tertullianus & Auguſtinus. Satan quoque transfiguratus & miſſus eſt non ſemel, ut colaphizaret, & ſancte piorum inſtituta turbaret, ut tentaret Iob, & malum ſuum comederet Eva. Sic pſeudo prophetæ ab Tenebrarum principe, inſtinctus ac mandati divini mentito afflamine, zizania ſpargunt, melio-

melioremque frugem ſuffocant in ſemine. Numquid etiam Sibyllæ enthuſiaſmo agitatæ, æternæ voluntatis interpretes extitere? Et ubi neque ſanctitas Scripturarum, neque Magiſtratuum decreta, neque Theologorum hortamenta cohibendæ mortalium nequitiæ ſufficiunt; quoties cometæ, terræ motus, ſpectra, quædam infauſta atque Omnipotentis Dextræ ferulam mortalibus portendi oſtendunt? Nonne aſtra, ſtellæ, magnaque illa luminaria, influentiis ſuis, velut muta miſſione ac repræſentatione fungi conſpiciuntur, ſtolidoſque homines in optimi ac benefici Conſervatoris cognitionem, amorem & reverentiam, præſtantia ſua ducere?

DISSERT. IV.

Neceſſitas.

EX intervallo occurrunt negotia vel oriuntur, quæ commode niſi per Legatos expediri nequeant. Cujuſmodi ſunt, quæ cum abſentibus agenda. Nam litterarum miniſterio cuncta committere, prolixum eſt; earum fidei, periculoſum. Quædam enim calamo peragi non poſſunt, quædam non debent. Non poſſunt, quæ perplexa ſunt, quæ exploranda magis, quam tractanda, quæ mutuo & præſenti colloquio

conſtant. Non debent, quæ arcana ſunt, publicumque fugiunt arbitrium. Iam vero in aliorum manus, imo hoſtium, inſidere quæ ſcribuntur poſſunt, atque adeo intercipi: ſic revelari poſſunt, quæ neque negare deinde, neque defendere jure liceat. Et pone, ceſſare pericula hæc omnia: litteræ tamen, ut mittuntur, litteræ ſunt, loquentis ſermone inferiores ac mutæ; ſi res forte vel ſiniſtre intellecta, vel indole ſua anceps, ex tempore ac pæne ſine tempore debeat ingenio ac ſolertia expediri. Aliæ ſubnaſci negotiorum difficultates ſolent; quæ, niſi lingua adſit, nec tractari poſſunt, nec terminari. Eſt igitur ubi audiri Princeps malit, quam legi; ſed ubi non ſuo ore, tamquam ſuo, loquatur. Vicaria velut verba ſunt, & plenum majeſtatis pondus ſervant. Fons rivum mittit, ſed quaſi aquam non mutet: Princeps Legatum, ſed tamquam adſit, ubi adeſſe, neque tutum ſemper, neque decorum, neque promptum eſt. Arce aut carcere diademata non includimus: verum enimverò evagari per aliena regna provinciaſque Majeſtas non patitur. Colloqui, ſæpe, collidi eſt. Et ſcimus quam facili attritu ignis proſiliat; & (ut habent magni illi ſpiritus, tum quod prætendant, tum quod præſumant plurimum) quam levi verbo indignatio, ira, bellum procu-

datur.

datur. Sane & honoris tituli, & cærimoniarum formulæ (punctos vocant) in diſceptationem venient: atque hinc mox controverſiarum, de finibus, antiquis poſſeſſionibus, promiſſis, injuriis, campus aperietur:

——— Omniſque poſtetas
Impatiens conſortis erit. ———

Conſortis, inquam, & congreſſionis, & paritatis. Denique in religionis negotio tam facile altercari diſſidentes Principum animi ſolent, quam placari difficulter. Inviſa quaſi omnibus libertas ſermonis, & amara veritas eſt, etiam cum arte tegitur & linitur. Plus Legatis conceſſum eſt. Et hi tamen ſi commiſſas querimonias aut quæſtiones exponant, licet blandi utcumque aut ſuaviloqui; ſiniſtrum ſæpe affectum audientis concitant. Quamvis alioqui minus etiam lædant, quæ per internuntium, ac velut perinterpretem, qui nil ſuum promit vel interponit, excipiuntur. Quod ſi ipſi jam Principes conveniant & colloquantur, quomodo præſentes forte in os redargutiones, deriſiones, exprobrationes, minas æquo animo ferent? Fieri etiam vix poterit, quin Principum vtrimque familiares & aſſeclæ, dum lingua, veſte, moribus, ſplendore à ſe invicem diſſentiunt, in contradictiones ac deriſiones labantur. Inconſultum autem, ubi Majeſtatis negotium: atque de Principum & extero-

Digitized by Google

exterorum exiſtimatione agitur, jocis aut reprehenſioni aliquid patere. Conſtat itaque, quam cacoëthes iſtud extra provincias ſuas peregrinandi, gravi jactura per externos Principes mulctari poſſit. Nimirum, ſi non eamdem illi libertatem conceſſerint recedendi, quam dederant accedendi: & ſi ſe jam nactos arbitrentur, commodam, & citra ſanguinem, occaſionem exigendæ cujuſpiam talionis, reſtitutionis, ditioniſve. Didiciſſet & docuiſſet id forſan gratiſſimæ recordationis Imperator inviɫiſſimus Carolus V. dum ad Gandenſes ſuos properans, jam Pariſiis ſe ſtiterat, & quidem apud Regem, quem & ipſum Hiſpania diu hoſpitem obſervarat; ni cæleſtis favor fortunam animumque Regis refrenaſſet: attamen in decus & exemplum vere regiæ integritatis. Profecto credibile eſt, etiam ſtellas, extra ſphæram ſuam ſi moverentur, quidquid habent lucis atque virtutis, protinus amiſſuras. Dum Burgundiæ & Brabantiæ Dux Carolus Audax, & Rex Galliæ Ludovicus XI. ad collocutionẽ, pacificationis ergo, convenirent Peronæ, neque hic revocaſſet ſuos Legatos, ad fovendam atque concitandam ſeditionem Leodium prius emiſſos; evenit, ut, motu inde oborto, dum exiſtimaret Dux ſe ludificari, Ludovicus in graviſſimum vitæ & fortunarum diſcrimen lapſus ſit; adeo quidem, ut quid-

quidquid Dux voluerit, conſentire & promittere Rex debuerit; atque etiam ad compeſcendos, imo exurendos Leodios, ſuppetias præſens ferre, regioque exercitu comitari cogeretur.

Denique ſi Legationum neceſſitatem ab origine inveſtigemus; veriſimile fuerit, earum uſum à prima communione hominum cepiſſe. Itaque quod homini loquela, id Reipublicæ Legatio præſtat, quoties exteri ſuper bello, pace, induciis, ſocietate, affinitatibus, commeatibus, commerciis, ſexcentiſque id genus, conveniendi aut conſulendi ſunt.

DISSERT. V.

Electio.

A Principe, ſalus omnium; à Legato, ipſe quaſi Princeps pendet: talem facturus ſtatum ſuum, famam, nomen apud exteros, qualem rerum conſiliorumque ſuorum interpretem elegerit. Tam magnum igitur, imo tam ſacrum proſtitui munus dicam, ſi promiſcue aut indiſcriminatim cuilibet committatur. Ut mores Europæ ſunt, huc quoque corruptela penetrat, & damnoſa eſt. Alius fortaſſis coëmpto ſubdole ſuffragio ſe obtrudit aut inſinuat: alius opportune, importune, per fas & nefas dignita-

gnitatem ſollicitat & captat, neque modum ambitioni ponit neque metam. Breviter: plures viæ ſunt, non omnes rectæ. Alios affinitas commendat, alios amicitia per pecuniam contracta, alios alius favor. Inde fit, quod forte non minus ſæpe Legatio viro, quam vir Legationi detur. Sed, nec viro. Hic Paulo IV. Pontifici error adſcribitur: qui cum conſanguineum ſuum fungi in Galliis Legatione vellet, iſque ſeipſum hujuſmodi oneri imparem agnoſceret; Acquieſce, inquit: ecquis enim, te & me excepto, ineptitudinem tuam novit? Sed quis non rideat frenos aureos jubamque leoninam in ovino vertice? Virum puta, quem à virtute poſſis nominare: & quem melior natura, mens, conditio, doctrina, experientia honeſtant; nec non rectus ille continuuſque ab adoleſcentia vitæ tenor. Non omnes merentur hunc honorem, qui petunt: nec petunt omnes qui merentur. Quærendus, qui mereatur; non in Platonis civitate aut Mori utopia, (ubi Ideas, & ſupra hominem homines, viroſque nuſquam viſos invenias) ſed inter illos, à quibus cum nihil humani alienum ſit, ad perfectionis tamen & ſapientiæ laudem propius accedunt; ipſaque vitia majoribus virtutibus norunt integere.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille
Qui minimis urgetur. ——

Prin-

Princeps quidem Legatum ſuum honore & favore etiam apud exteros extollere poteſt, non item facere ut dexteritate, induſtria, experientia, judicio, ſapientia ibidem prævaleat: dum ne eaſce quidem facultates pro lubitu ſibi adſciſcet, ſi non habuerit. Auſſumendus igitur, & præferendus eſt univerſis qui aptiſſimus eſt; & quidem ultro, atque etiam hortatu, ſi opus ſit, Principis. Neque enim ulla huic auctoritas perire putetur declaratione animi in bonum publicum aut virtutem. De Theodoſio canit Claudianus, quod

——— *ſolus meruit regnare rogatus.*

Quod ſi de negotio quiſque privato preſſim & ſerio deliberat; videndum ne quod univerſorum eſt, incuria aut deſeratur, aut levitate præceps feratur. In aula Catholica Regis poſt orbem conditum maximi, dum nihil temere cuiquam negatur, multorum ambitus mora eluditur. Sed fertur, Principem haud ignoti nominis, dum ei modeſtior quidam merita & obſequia ſua Legationi apta inſinuaret potius quam obtruderet, dixiſſe: Quomodo is mea procuraret & promoveret, qui ſua ſic tepide explicat & commendat? Ab Archelao vas aureum poſtulabat quidam, qui nihil honeſtius ducebat, quam accipere. Quid Archelaus? ultro obtulit Euripidi; & neglectum petitorem intuens,

tuens,

tuens, Tu quidem dignus es, inquit, qui poſtules, nec obtineas; hic vero etiam dignus, qui habeat, quamvis non petat. Et præclare Africanus, cum ab eo vetus aſſectator non impetraret, ut Legatus in Aſiam mitteretur; idque ferret moleſte; Deſine, inquit, mirari: ego jampridem ab eo, cui exiſtimationem meam charam fore arbitror, peto, ut Legationem hanc ſuſcipiat, nec ad huc perſuadere poſſū. O prudens pulchrumque reſponſum; & quo non minus ſibi, quam Reipublicæ Scipio conſuluit! Utinam Principes omnes! qui ſi fortaſſis damna aut incommoda nulla timent è negotio; videant ne experiantur ſtoliditate Legati, quod gemere aut pudere oporteat. Prona in pejus hominum judicia ſunt: putent omnes, aut viros mittenti, aut eligenti judicium deeſſe, ſi quem indignum tam præclaro munere videant: quorum alterum infelicitatis, alterum deſipientiæ cenſeatur. Ad damna redeo, & hoc inculco; male fieri, quidquid à non idoneo fit. Æſchines aliquando de ejuſmodi Legatis pronuntiaſſe dicitur: Auguror civitatem noſtram nihil impetraturam eorum quæ poſtulat: poſtulat enim per eos, qui ne domi quidem vitam ſuam commode inſtituere potuere. Quare eligendi ſunt apti: inepti negligendi. Quis enim, nutante vel affecta valetudine, expertum ac peritum medicum

dicum rejiciat, & circulatoris circumforanei pollicitationibus ſalutem credat, qui capitali ſua inſcitia officioſe ſit necaturus? Quis cauſæ ſuæ utilem patronum reſpuat, & ad cujuſpiam gratiam ſubſtituat prævaricatorem, qui etiam adverſario fraudulenter colludat? Quis diverſorium ex eo honeſtum & commodum fore conjiciat, quod caupo pertranſeuntem ſæpius ſalutarit? Si ullo in munere, in hoc certe Legationum.

Virtute ambire oportet, non Fautoribus:
Sat fautorum habet ſemper, qui recte facit:
Si illis fides eſt, quibus eſt ea res in manu.

Prorſus qui dignitatem ſolo metiuntur emolumento, &

——— *quos gratis pœnitet eſſe probos*;

homines perditi, pigri, & alieno ſe magis patrocinio quam ſuo merito ingerentes, arcendi ſunt, qui anguſtia rei familiaris quaſi ex naufragio ad magiſtratuum ſcopulos hærere, atque Reipubl. diſpendio emergendi cupiditatem explere ſatagunt, magis arcendi. Et quamvis, proverbiali dogmate, vacuæ manus temeraria videatur petitio; & ſæpe prior, qui potior ad dandum: pernicioſum tamen foret & pudendum, Legationis munus ampliſſimum quæſtui, velut ſub auctione, exponi. Etenim quod magno emitur, non proſtat gratis: nemo poteſtatem ſcele-
re

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

re quæſitam bonis artibus exercuit.

Præterea in Legati electione requiritur, ut ſit ſcopi in quem collineantur conſilia intelligens, & modi quo collineandum. Surdo ſimilis abſurdus. Hinc apte eliguntur Legati Iuriſperiti, quoties ſuper legum ſanctione controverſiiſque diſceptandum aut decernendum; ubi ſine lege loqui, pudor vel periculum foret. Si ſuper ſucceſſionibus quidpiam ſtatuendum ſit; non illi utiliter mittentur, qui graduum affinitatis atque hereditatis erciſcundæ hactenus incurii aut imperiti fuerint, & librorum coopercula vix umquam tetigerint. Ad ſedandam ſeditionem, importune atque infeliciter, opinor, iret homo ſedentarius, vel academicus Doctor, qui profeſſionis ſuæ caveam numquam egreſſus eſſet: ſed qui negotio ſibique ſimilis diſſimiliſque apparere, qui ſolerti ingenio objectionibus quibuſvis occurrere & reſpondere; neque ſolum quæ vera ſunt, ratione, ſed quæ falſa fuerint, opinione ac veriſimilitudine probare ac defendere poſſit. Ut vindicetur ab errore Religio, vel ut ea genti inſtilletur; non commode aſſumetur quiſpiam trivialis aut laicus, quem intima myſteria fugiant. Tum ſuper inſidiis periculiſve militari conſilio depulſandis, aut etiam ſtruendis, non is quidem aptus utiliſve erit, cujus omnes virtutes togatus ſolum

Magi-

Magiſtratus norit, aut quem hiſtorica ſolum Thalia ſtrenuum diſertumque fecerit; ſed qui quid galea, quid haſta ponderet ac valeat, diu & ſerio fuerit expertus; quemque Mars ipſe ſæpius viderit patientem pulveris atque ſolis. Legatum eligi velim, qui non modo præclariſſime ſentire ac dicere, ſed etiam paria præſtare, dum res exegerit, eodem ſpiritu norit, audeatque. Alioqui maxima licet vimentis, ingenio præſtantiſſimo præditus fuerit; non magis proderit, quam undequaque armatus miles, qui urgente pugna & diſcrimine, nec firmare pedem, neque evaginare gladium poſſit. Periculoſæ Legationi ineptos arbitror prorſus, melancholicos, qui ſemper hærent, ſemper hebent; quorum nimium dubitare, delirare & rem perdere eſt. Nec minus reprobandi ſunt ignei animi, qui rerum fines tantum ſpectant, nec quibus mediis perveniendum ſit inquirunt: ſimiles Floriano illi fatuo, qui juſſus grandem lignorum ſtruem amovere, ſummo labore & conamine inferiora evellere niſus eſt, ratus difficillima penſi parte abſoluta faciliorem fore reliquam; aſt ordine perturbato, moleſtia crevit.

E re quoque fuerit, eum qui ad Legationem eligendus eſt, etiam alias Reipublicæ partes ac functiones adminiſtraſſe, neque hic tyrocinium facere; tamquam in dolio,

quod ajunt, figulinam auſpicari. Quomodo enim, qui in Aula atque Republ. novitius, id officii genus facile adminiſtret, in quo etiam verſatiſſimis & verſutiſſimis cavendum de lapſu & errore? Experientia certiſſima ac fideliſſima præceptrix eſt: utque ſapientibus & ſenioribus miniſtra, ſic juvenibus & ignorantibus ſæpe magiſtra. Apud Gallos Henricus IV. Rex vere Magnus, cuidam Legationem ambienti, qui tamen & alias, ſed non pro voto, ab legatus fuerat, ſubridendo dixiſſe fertur: Inauſpicatus eſt medicus, qui enecando diſcit mederi; nimioque conſtat experientia, quæ perdendo conatur prodeſſe: & nuper, inquit, quæ ſuſceperas mandata, finiviſti ea ſatisfactione, qua plerumque ſolent Legationes ambitæ. Ineſt rebus magnis, etiam multum expetitis, operoſi atque horridi aliquid, ubi fueris adeptus. Sic ille primo errore ſcire poterat, munus non ſatis ſibi notum, non ambiendum, ſi ſatis notus ipſe ſibi extitiſſet. Et certe ſi quæ dignitas, illa Legationis plurimum allectat & blanditur; quia Principem repræſentare, maxima negotia tractare, præmia ſperare concedit. Et tamen niſi quem ſua induſtria & facultate ac propemodum fortuna fretum & confiſum, Principis & Patriæ amor, vel gloriæ ardor, aut quid nanius eo protruſerit, equidem non video

quid

quid induxerit ad ambiendum. Idem Henricus Rex, paulo ante obitum illum vere tragicum, profitebatur, ſe jam demum callere, quid Regnare eſſet: neque id aliunde didiciſſe, quam ex Magno ſuo Libro: Experientiam innuens. Ceterum hoc ipſum Legationis munus Legatos maxime erudit & inſtruit: ut adamas non niſi adamante politur, pretiumque & decus non minus mutuatur, quam habet.

Sed reperire eſt ingenia, quæ in exiguis negotiis excellunt admodum, in grandibus languent, neque ſufficiunt: ut mures & minutula animalcula, in anguſtiis mobilitate prævalent, ubi flexu eludant & anfractus habeant ſuffragia infirmitatis ſuæ; in amplitudine, curſu & viribus animoque deſtituuntur. Non profecto omne quod mens aut manus verſat, ferunt humeri. Et ingentior quam par *eſt moles*, *ſibi ipſi gravis eſt*, *ſubjectumque opus obruit*. Rurſus, multi dum ex alto deſpiciunt, vertigine corripiuntur: & quaſi propria iis in plano ſtatio ſit, præcipitia horrent, quamvis neutiquam vicina iis ſint. Multi in ſublimi conſtituti, alii atque aliter apparent, quam ſunt. Sic Athenienſes, dum Minervæ caput affabre ſculpi atque in eminenti loco collocari vellent, Phidiæ & Alcameni peritiſſimis ſtatuariis id injunxerunt. Opere autem per quemque eo-

rum abſoluto, dum illud Phidiæ imperitioribus videretur rudi arte eſſe confectum, iſtud vero Alcamenis, delicatiſſime politum, ideoque ſuffragia omnium mereretur; utrumque caput ſuper columna, unde conſpici oporteret, elevatum eſt. Tum vero illud Phidiæ, ſic ad vivum accedere videbatur, ut nil niſi loquela motuſque requireretur: alterum vero Alcamenis, jam ſibi omniumque opinioni prorſus diſſimile, nec niſi globus male dolatus apparebat: omnemque illam elegantiam admirationemque loci mutatio & intercapedo alternatim ſubtraxerat, auxeratque. Sic multi, quos parvi, magnos; magni, parvos eſſe, Magiſtratus docuerunt. Nimirum Magiſtratus virum arguit, & uniuſcujuſque, qui electus & evectus fuerit, indolem, induſtriam, prudentiam manifeſtat: adeo ut ſi quid in eo latuerit vitii vel virtutis, exploretur hac cote, velut Lydio lapide. Neque enim cogitandum eſt, dignitates hominum vitia minuere, aut tollere: attollunt non raro, ubi propenſioni occaſio ſervit: aut certe quæ non producunt, produnt ſcelera dignitates. & quæ prius incognita atque emortua apud privatum latebant, nunc in patulum altius ſublata, ſingulis ſaltibus & ſubſultibus notantur.

DIS-

DISSERT. VI.

Fama.

PRoximum eſt, ut ſecundo omnium rumore vixerit Legatus, de quo vel ipſa Fama mentiri vereatur. Quamvis enim illa, etiam bonis interdum infeſta & iniqua,

Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri:

veteri tamen dicto, non omnino de nihilo eſt, quod populari murmure circumfertur: Neque vero virtus tantum, ſed virtutis opinio (à qua maxime dependet auctoritas) requiritur in Legato. Iſque hic bonus erit, quem ſciunt omnes, quam bonus ſit fideique bonæ. Qui ſibi vivit, ſola conſcientia fructum virtutis capiat: qui Patriæ & Principi, ad omnes partes bene audiendi excitari debet. Etenim conditio omnium, ut cum Cicerone dicam, qui ad Rempub. accedunt, non veritate ſolum, ſed etiam fama nititur. Proinde Spartani eorum qui ad publica munia adſpirabant, proclamari volebant nomina; ut ſi quis nævus aut macula lateret, in conſpectum veniret, judicium de moribus & vita Petitoris populo ferente. Famæ igitur calculum explorabit Princeps, ut Legatum eligat: dicant omnes probum eſſe quem eliget, ut omnia virtuti, nihil

nihil gratiæ dediſſe videatur. Iulius Cæſar Pompeiam uxorem, quod ſiniſtro laboraret rumore incontinentiæ cónjugalis, quaſi cum Clodio familiarius egiſſet, repudiavit. Poſt ubi citatus teſtimonium dicere juberetur, negavit ſe quidquam mali de conjuge aut Clodio exploratum habere. Mox ubi repudiationis cauſam quærerent judices; Oportet, inquit, uxorem Cæſaris, non ſolum ſcelere vacare, ſed & ſceleris ſuſpicione. Quaſi interdum non magis vitia ipſa, quam vitiorum ſola opinio offendat. Cohærent inter ſe virtutes, ut in catenis anſæ: quarum quælibet, licet ſuos terminos ab aliis diſtinctos habeat, ex connexione tamen catena efficitur; quæ mox diſſoluitur, una omnium diſrupta. Sic qui turpitudinem ſemel admiſit, nequiores ſæpe animi ſit reus: quia Bonum, inquiunt Philoſophi, non niſi integra perfectione elucet conſtatque; Malum autem, vel ex minimo defectu.

Ejuſmodi famam Legatus adferet, integram, bonam. Augebit vero, mediocrem potius conſervando, quam ſubito ſummam ambiendo.

Crevit occulto velut arbor ævo ———
Fama Metelli.

Quis torrentem perenni fluvio præclariorem judicet ex eo, quod illius repentinum impetum, quam hujus lenem fluxum homi-

nes magis admirentur atque formident? Non profecto virtutis fama ante virtutem quærenda eſt: ſed ipſa gloria virtuti comes aut pediſſequa eſt. Quid? ſæpe non minus periculum à magna fama, quam à mala: nimiaque famæ fames, interdum ipſum gloriæ fructum exedit & abſumit. Deinde Legatus merita & obſequia ſua magis rebus ipſis atque aliorum encomio Principi inſinuet, quam ſua commemoratione, aut exactione mercedis, debitoribus ſemper odioſa. Quin potius induſtriæ ſuæ ac benignioris fortunæ laudem Principi ſuo tribuat. Sic extra invidiam, non extra gloriam erit: imo hæc ipſa certius eluctabitur; ut ſolent calidius erumpere, quæ concludi aut conſtringi negant. Novi ego, Aulæ Miniſtros magnis beneficiis, in remunerationem meritorum, affectos fuiſſe ab iis ipſis Principibus, qui, niſi rogati atque importunitate pæne attriti, nil dare conſueverant; cum tamen ii qui ejuſmodi præmiis afficiebantur, nil umquam poſtulaſſent. Ut vero Legatus quam optime audiat & mereatur; ſemper quæ præclariora ſunt, animo proponat. Sic ſublimium ac magnarum rerum meditatione detentus animus, quamvis id quod ſibi proponit protinus non conſequatur; aſſequendi tamen deſiderio dum tenetur, multis moleſtiis careat neceſſe eſt. Dum enim in rei

 pulch-

pulchræ conſecutionem affectu rapitur; fit, ut quibus ignavi premuntur tædiis, ne ſentiat quidem. Generoſe Mamertinus: Non poteſt quidquam abjectum aut humile cogitare, qui ſcit de ſe ſemper aliquid loquendum & exſpectandum.

DISSERT. VII.

Sacramentum.

AD Legationis munus quamvis nemo evehetur, niſi aptiſſimus; attamen in fidem & obſequium Principis ſui jurabit Legatus. Sic geminus erit ad probitatem ſtimulus, & duplex vinculum. Nam honore auctus, & ſacramento adſtrictus, non muneri tantum, ſed & conſcientiæ; non Principi tantum, ſed & Deo ſatisfaciet: quem utrumque, ſi deliquerit, contempſiſſe videbitur. Eritque Principi occaſio gravius in eum animadvertendi, ſi deliquerit, ac juraverit perjuraturus. Ipſi quoque Legato promptior probabiliorque excuſatio; ſi quid amici, affines, populares, famulive gratia vel obſequio illicite extorquere contenderint. Nullum, teſte Cicerone, vinculum ad obſtringendam fidem, jurejurando arctius, vel eſſe, vel haberi poteſt.

DISSERT. VI.

Fides.

INter eas vero dotes & conditiones quę in Regio Oratore laudantur aut requiruntur, eminet Fides præſtanda Principi; qua ſine, cetera Legationis ornamēta atq; inſtrumenta obſint potius, quā proſint. Hęc fundus & velut gluten eſt actionum & negotiorum omnium,

Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt,
Iuſtitiæ conſors, tacitumque in pectore numen.

Numen, ut ſic dicam, quo præcipue ſacramentum Legati refertur, & continetur. Vnde ſi vacillet hoc fulcrū, munus ipſum, ſuperbe licet atq; induſtrie inſtructum, ſubvertatur ac ruat, certe periclitetur neceſſum eſt. Quorſum Principi fiant promiſſa, ſi fluxa, & niſi firma ac ſincera? Quorſum verba, ni vera? ſi rebus vidua? Fidii ſimulacrum & miſterium vide. Tres una in imagine imagines erant (Sabinis idolum) viri, mulieris, pueri. Vir Honorem notabat; mulier, dexteris complicatis, Veritatem; puer Amorem, ſed medius, & ſub hoc nexu velut filius utriuſque. Polite & prudenter. Grandis enim honor eſt, quem Legatus ſuſtinet: ſed ille dum Veritati jungitur, Fidem repræſentat. Ex hoc deinde nexu Amor naſcitur: amor Principis erga Legatum, amor Legati erga Principum, amor utriuſque erga Rempublicam. Inprimis itaque fide Legati opus eſt, aut Legatio ſuo

 fructu

fructu, ſi non nomine, deſtituatur: Veritate opus & candore, aut eſſe fides non poteſt. Comparationem ſi admittis, lingua malis quam fide Legatum carere: quippe minori vitio, aut nihil aut ineptè apud exteros dicturus eſt, quam improbe aut perverſe acturus. Lacæna quædam cum venum exponeretur, & interrogata ex more eſſet, Quid ſciret? Fida, inquit, eſſe. Mulier profecto, præcipuam Legati virtutem, velut oraculo aut icone exhibuit. Integritatis ſic quidem pectus eruditiſſimum eſt: candor doctrinam omnem & facundiam reſerat & claudit. Argutum Ciceronis dictum huc facit. Nam objiciente illi Metello: Plures teſtimonio peremiſti, quam patrocinio ſervaſti. Nempe, inquit, plus mihi fidei quam eloquentiæ eſt. Legatus igitur ſi fidem negligat, rudis, infans, vilis erit, & honorem tandem cum infamia & infortunio commutabit. Sed anne ſatis vapulat, quem Annales & Hiſtoriæ caſtigant? Conſtat in magnas conjectum curas Galliæ Regem, occulta Antonii Pii Legati ſui apud Pontificem prævaricatione ac perfidia. Agebatur de Ducatu Ferrarienſi: quem Rex Alphonſo Eſtenſi cognato ſuo aſſerebat. Legatus contra niti, & hoc ſubdole agere, ut in ditionem Pontificis provincia tam luculenta veniret. Publicum negotium videbatur,

&

& privatum erat; ſibi, non Regi, Legatus ſtudebat: quippe toparchiam Carpi, cujus dimidium dumtaxat ſub Alphonſo poſſidebat, totam ſperabat è ſpolio, ſi provincia Pontifex potiretur: at periclitabatur etiam de dimidio, ſi Eſtenſis prævaluiſſet; uti interdum contingit prædia & poſſeſſiones vicinorum, facultatibus potentioris, velut jure alluvionis, accreſcere. Sic etiam miſſus à Pontifice Leodium Nuntius, ut ſacris cenſuris diſcordias inter Epiſcopum plebemque natas componeret; cum Vrbs & Ditio placuiſſent, inhiare ipſe auſus eſt, utque ambitionis conſilia promoveret, auxit difficultates, quas placatum venerat. Pax inter Ludovicum XI. Galliæ Regem & Carolum Burgundiæ Ducem lætis conditionibus coaluerat; & quia infida fide Legatum Regni Cancellarius egit, nomen ſuum apud poſteros labefactavit. Infida inquam: nam cum alere & ſtabilire concordiam deberet, evertere conatus eſt. Carolum namque in pacta alioqui facilem, & pæne incautum, ſubdole monuit, ne temere Regi, ad fallendum nato, citra jusjurandum crederet; militem, niſi prius receptis, quæ Rex promiſerat, oppidis, non dimitteret. Avaritiam Legati hujus plerique accuſant: quia enim utilius ſibi bellum cenſuit, hoſtis pacis fuit; & ne rebus forte tranquillis, Regiæ

 obno-

Digitized by Google

obnoxius cenſuræ fieret qui turbatis creverat, & requireretur, tempeſtatem fovit. Legimus profecto, rebus Galliæ plurimum ſæpe obfuiſſe & deceſſiſſe, quia ii qui ſanctioribus conſiliis intererant,adverſariis clam ſingula ſuggererent. è contra Venetorum Senatum, ſecretorum magis obſervantem tenacemque extitiſſe : adeo quidem, ut dum triremium præfectus abſens capitis damnatus eſſet, (ob expeditionem quamdam in gratiam Turci omiſſam vel commiſſam) à nullo præmonitus fuerit, ut ſibi conſuleret; quamvis plures conſanguineos inter Senatores haberet, atque octo menſes interciderent, priuſquam, licet ſæpius vocatus, reverteretur. Sed ſcribit quidam, ſententiam executioni fuiſſe mandatam, non adeo quia conſtaret de perfidia aut delicto, quam ut dignitatem hanc acciperet alter; & ſimul Fiſcus, centena aliquot aureorum millia, quibus Reſpublica, ſi non egeret, tamen frueretur. Gravi autem perfidiæ ſtigmate Metrodorus inuſtus fuit. Quia enim ſuis diffidebat viribus Mithridates, jungere alienas ſtuduit, & Legatum hunc ex familiaribus ſuis, ad Armeniæ Regem Tigranem mittit, belli fœdus ac ſocia arma petiturum. Abit ille, ſed illibens: Legationem exponit, neque urget. Tigrani quoque periculoſum videbatur, tam potentes hoſtes, Martiſ-

que

que populum Marte laceſſere: tutiuſque putavit his amicis, quam inimicis uti. Itaque ſententiam ipſius Metrodori explorans; Conſilia, inquit, Regis tui video, nunc tua requiro. Suades hoc fœdus, an diſſuades? Reſpondit ille; Publice quidem, atque ut Legatus, ſuadeo: privatim vero, ut Metrodorus, diſſuadeo. Perfide ac perverſe: licet hoc bellum patriæ ac genti ſuæ grave, periculoſum, exitioſum fore prævideret. Nec enim ad Tigranem conſiliarius, ſed Legatus juerat, qui jam adverſus Regem ſuum Legatione fungi videbatur. Olim graviſſimam incurrit pœnam Antiphon Athenienſis, quia perfido conſilio res Lacedæmoniorum, ad quos Orator miſſus erat, juvit. Domus ejus ſolo æquata eſt, gens familiaque partim ſupplicio tradita, partim perpetua infamia notata. O quanto igitur melius, fidem, ut decet, colere, dare exemplum, quod ad publicum decus, non ad privatum lucrum excitet! Fabricius Legatus apud Pyrrhum, neque blanditias Regis, neque irritamenta moratus eſt aut æſtimavit: munera quoque honoris cauſa oblata reſpuit, & reliquit teſtimonia animi deſpectoris rerum, quibus imbecilli potiſſimum ſubruuntur. Attamen cum Nicias, Pyrrhi ſive familiaris ſive medicus, perfidam operam Fabricio obtuliſſet, & immedicabile

juxta ac inevitabile toxicum in exitium caputque Regis ſpopondiſſet; Fabricio auctore, per Senatum proditor vinctus miſſus eſt ipſi Pyrrho: qui admirans hinc hoſtis æquitatem iſthinc iniquitatem domeſtici inſidiatoris, illinc Fabriciani animi magnitudinem, exclamaſſe fertur: Hic eſt Fabricius ille, qui difficilius ab honeſto, quam ſol à curſu dimoveatur! Litteræ autem Pyrrho miſſæ ſunt, hoc fere tenore: (quamvis exempli forte pulchritudine hic varient Hiſtorici:) Ad nos ſponte venit, quem modo remittimus reluctantem, Nicias tuus, poſtulans præmium tunc demum perſolvi, ubi te interfeciſſet. Sed nos ſceleſtæ petitioni tantum abeſt annuerimus, ut eccum obſiſtentes, ſubmittamus hominem cognitioni ac cenſuræ ejus quem potiſſimum offendit. Te namque ſalvum atque ſuperſtitem volumus, ut exiſtat quocum potentioribus animis armiſque contendamus. Animadvertent hic Legati, quam aliquando intutum ſit fidere etiam iis, quos enutriunt aut ſecum ducunt, qui forte, vel minus vel nimium benigne habiti, vel parum ſani, ſuos heros cum Plaûto conqueri cogunt:

Quot ſervos, totidem habemus hoſtes.——

Comes Campobachius à ſuis proſcriptus & omnibus bonis exutus, dein à Carolo Audace captus fuit: & hic cataphractis ſuis

mox

mox eum præfecit, & quadraginta aureorum millia eidem numeravit, ut novum equitatum per Italiam cogeret. Abit ille, & Simonem Papienſem, Regis Ludovici medicum conveniens, pollicetur, ſe ſimul atque futurus eſſet ad exercitum, vel interfecturum eſſe Carolum, vel captivum adducturum Regi, dummodo viginti aureorum millia dono acciperet, & ditionem quamdam in Galliis, patrato facinore. In eamdem prorſus ſententiam loquebatur Regis apud Pedemontanos Legato. Rex autem perfidiam nefarii proditoris deteſtatus, forte etiam ſuſpectam habens (ſolent nimirum animi ingenioſi, & qui ambitionis inquietudini ſubjacent, ſuſpicionum ictibus metuſque procellis ilico pulſari & fluctuare) per Contæum Legatum prolixe & candide Carolo omnia aperit. Carolus autem alíorſum id trahens, judicabat, quod ſi revera iſtud ageretur, Regem non ſibi denuntiaturum. Ideoque quaſi fortitudinem ſui præfecti magis æſtimaret, vel ingratitudinem beneficiorum cumulo obruere atque corrigere moliretur; plus ei, quam alias umquam, auctoritatis tribuit. Aſt ille excidium capiti & fortunis benefici patroni ſtruere non deſinebat, donec is apud Helvetios infeliciter pugnans trucidaretur. Quis ſtomachum in ejuſmodi perfidum non evomat, nec patiatur hunc

ungue & dente in exemplum diſcerpi ? Auguſtus Conſtantius, Chriſtianorum, qui ei ab obſequiis erant, fidem conſtantiamque exploraturus, finxit hos qui Chriſtianorum nomine & cultu abjurato patriam ſuperſtitionem amplecterentur, remanſuros apud ſe loco & honore priſtino: eos vero qui recuſarent, admonitos voluit, ut regno excederent. Qua denuntiatione dum multi nutarent, multi etiam mutarent (Pſeudochriſtianis nimirum impie idolis ſacrificantibus, dum conſtantiores regionem libentius quam Religionem desererent) Conſtantius obverſo mandato, hos apud ſe detinuit, gratiaque & dignitate auxit: arundines autem ambitionis aura leviter agitatas, protinus exeſſe juſſit, aſſerens nil magnæ rei tuto credi iis, qui ſic infidi, Deo perfidi exiſterent. Ecquæ porro fides his tribui poterat, qui in ipſa Fide fidem non ſervabant ? Principi imponere non verebitur, quiſquis ea quæ Dei ſunt, ſpernere auſus fuerit. Profecto quicumque duabus ſic ſellis vehi cupiunt, ſi quando perſudorem aut ſanguinem res periculis eximendæ erunt aut ſtabiliendæ periculis; humi repere, moleſtiam omnem declinare malent, quam ad ardua dexteram extendere.

Certe, quia etiam blandientium fides adeo lubrica & obſcura creditur; ſummi ali-

aliquandò coacti aut commoti ſunt Principes, (& illi quidem acerrimi judicii ingeniique) neglecto altiori ordine, infimæ conditionis ac ſcientiæ homines negotiis intimis & maximis adhibere, atque etiam Legationibus præficere: eos, inquam, non quos ob ingenium ſcientiamque mundus admiraretur, ſed quorum modeſtiam, affectum & integritatem exploratam haberent. Fides quidem Legati anterioribus experimentis Principi perſpecta eſſe debet, non in Legatione primum diſcenda. Imo minora & leviora primum committere & mandare ſolent Principes, ut quid de majoribus ac demum maximis ſperandum aut ſtatuendum ſit, explorato conſtet.

Igitur ſerio, ſincere ſedulo exequatur quæcumque mandata fuerint; à mente & voluntate Principes neutiquam diſcedat, qui ut fidus perſiſteret, mandata ſuſcepit. Obedientiam, non ſacrificium volo, dixit Deus. Obſequium exigunt Principes, non arbitrium.

Sed quid ſi illicita judicarit hæc mandata, minuſve utilia; an ſuo igitur arbitrio uti Legatus poterit, jubentis decretum præterire, & quaſi inſcitiæ vel impietatis redarguere? Alii dicunt, ſatis eſſe, Principem velle: id non examinandum, ſed agendum eſſe. Alii inquirunt porro & ſcrutantur, an re-

an recte velit: alioqui male de ſe, peſſime de Principe ſuo mereri Legatum, cui, obſequendo, malorum criminum infamiam culpamque affricat. Lubrica quæſtio, & quæ ſuſpenſos ævi calculos teneat. Qui omnia Principi deferunt, non magnopere honeſtum an inhoneſtum ſit negotium, juſtum an injuſtum, pium an impium, expendant: qui omnia Virtuti, Principem audacter quoque negligant. Suaſerim ego, videant Principes, ut quæ mandent licita ſint: credant vero Legati, licita eſſe quæ mandata fuerint. Quæ ambigua, vel minoris etiam culpæ juſſa ſunt, ſi ubique remoram fidei vel ſubverſionem injiciant, inutilem Principi Legatum reddant. Forte magis interdum peccat, qui morem non gerit, ut damnum vitet, quam qui gerit, & inſtrumentum noxæ eſt. Sed nequid ego tamen hic ſtatuam, qui nihil tam definio, quam delibero: Iudices ſunto, qui diſtinguere ſacra aut politica auctoritate ſolent, quanti publica ſalus ſit, & quam non male naviget, qui ut ſuperet tempeſtatem, ſinuat vela, & obliquo in portum curſu tendit. Ante omnia Religio eſt: ſed cum de Rege & Regno agitur, forte ad tempus ne Religionis quidem ritus ſinguli impleri poſſunt; ubi contingat Religionem ipſam periclitari aut perire una cum regione. Vir numeris omnibus abſolutus

tus Legatus ſit ; ſed cum non de opinionibus , ſed de oppidis certamen eſt , cum de bello aut pace agitur , Honeſtatis rigorem, Veritatis , Pietatis ubique & facile adimplebit ? à linea & orbita , ut ſic dicam, interdum diſcedit , qui tamen viæ inſiſtit. Errat qui à via abit : ſed non una in Latium pervenire eſt. Itinerantibus quando obices , lamæ aut foſſæ obſtant , quis non circuitum, compendium dixerit ? Quis non momentanea & particularia diſpendia lucro annumeret , per petua ſi inde promanet ac ſtabiliatur ſalus omnium ? Nos ſtulti rerum æſtimatores improvida nimis cogitatione implicamur , aut extravagamur , etiam ridiculi ubi ſeveri : proſus tamquam à nobis Princeps , non à Principe ipſi pendeamus , rerum negotiorumque judices magis ſumus , quam miniſtri. Sed ſolent ſic quidem homines aliqui, cum omnia plana eſſe volunt , facillime labi ; cum omnia adipiſci contendunt , jacturam incurrere. Falli autem Legatus poteſt , quando plus conſcientiæ ſuæ , quam ſcientiæ Principis tribuit. Principi autem conſtare poteſt (ſic certe præſumendum) ſuo Regno & populo, ac pariter Divino cultui profutura fore quæcumque aggreedienda aut perpetranda mandavit. Sciat itaque Legatus , cor Regum , Dei nutu moveri ac dirigi , illius Optimi , Sapientiſſimi,

Æqui-

Æquiſſimi, cujus quoque rationes, deliberationes, decreta maxime obſcura ſunt, incomprehenſibilia judiciis, abſcondita ab oculis noſtris. Naturam conſidera: cauſis ſecundis ut inſtrumentis & adminiſtris utitur: quæ ſi debita proportione concurrant & cooperentur, perfectos pulchroſque producit effectus; ſin aliter reluctentur aut tranſmiſceantur, turpis atque horribilis figuræ monſtra. An vero monſtroſi fuerint Legatorum actus & exitus, qui ad Principum ſuorum mandata nutare, eademque violare aggreſſi ſunt, dixerint Hiſtoriæ, quæ ſcatent exemplis. Meminerit autem Legatus dicti illius antiqui, ſalubris, quod bonis civibus ſub ditiſque crebro inculcatum eſt: Qui obſequii munus Principi ſuo probare volet, duo ſibi ante omnia proponet: Unum, ut ſtatuat, quæ in illum contulerit, in patriam atque in commune bonum ſeſe conferre: Alterum, vivendum ſibi eſſe ad illius imperium, velut ad præſcriptum legis ac voluntatis diuinæ. Cogitet utrumque qui Legati munus ſuſtinet: ſic à fide non recedet. Principis igitur erit ſtatuere ac jubere; Legati, juſſa excipere & exequi; licet non tam recta videantur, quam probe directa. Et fidem Legati magna ſententia probat, ſimul & inculcat proverbium ſacrum: *Legatus fidelis, ſanitas.*

D I S-

DISSERT. IX.

Excuſatio, Coactio.

UT hæc ſunt, Legatum agere pulchrum pleriſque, nonnullis tamen grave fortaſſis videatur. Erit qui de ſuo nolet impendere, erit qui ne quidem poterit; ille avaritiæ, hic inopiæ cauſa. Erit qui laborem ſubterfugiet, ſi longum aut intricatum ſit iter; imo qui periculum, ſi negotiatio, aut turpis, aut iniqua, quæ Legatione continetur. Erit etiam qui grave dicet patriis penatibus abeſſe, inter alienos, & fortaſſis inſidiatores verſari, rebus incertis præfici, vitam exilio ſimilem degere. Alius valetudinem opponet, alius ſenium, alius aliud. Imperatores quoque Valerianus & Gallienus reſcripſerunt; Patrem trium incolumium liberorum Legationibus publicis liberari. Ideoque Marciani reſponſo, cogi poteſt Legatus, qui legitimam excuſationem non habet, ſuamque Reip. operam malevole conatur ſubtrahere. Quo jure & more Veneti quoque hodie utuntur: nec abſimile olim Platonis dogma fuit. Philippi II. Regis Catholici ſententia extat; Pejores non eſſe Conſiliarios, qui ad conſilium inviti veniunt. An huc fecit? Etenim ſi ad Legationis functionem cogantur aliqui, quia idonei; magis

magis fortaſſe proderunt, quia coacti, ne pejores inveniantur, quam habiti ſint. Alioqui ſi oblatos Magiſtratus ac publica munia recuſare impune liceat, ob onus, quod honorem, ut umbra ſolem, comitatur; gravi ſæpe incommodo & diſcrimini Reſpublica obnoxia jaceat. Eaque ratione Summi Pontifices, etiam excommunicationis fulmine, Legationes ſuas interdum injunxerunt, ne forte, profanis ſacra miſceri, eave exercitia languere, aut omnino eliminari contingat, quæ meliorem noſtri partem inprimis juvant, curantque. Cum viro hic candido, Heroico, prudente agitur. Si quis itaque imparem ſe muneri graviſſimo noverit; juſſus ſuſcipere, recuſet aut declinet: ſi nihilominus urgeatur, judicio ſe permittat Principis, moremque gerat. Etenim ſi ſuccedent mandata, felix erit: ſi non ſuccedent; minus obnoxius, obſecutus eſt. Aſt hoc tempore, vix Diogenis lucerna invenies recuſantem. Et tamen ejus opera uti nolim, qui cogi debet. Etenim, quia invitus, etiam frigide ac remiſſe facturus eſt quæ faciet, timendus quoque, ſi ardua & periculoſa negotia ſunt. Fieri enim poteſt, ut qui invitus, infidus fiat; aut certe negotii finem magis ſpectet, quam fructum. Quidquid ſit, non ſat feliciter ſuccedere quod à nolente extorquetur, Plautinum adagium indicat;

dicat; Stultitia eſt, venatum ducere invitos canes. Quæ igitur legitima excuſatio fuerit? Si quæ odio vel offenſa externi Principis adverſus Legatum, dein quæ pietate & juſtitia nitetur. Odioſus enim Legatus non magis profecerit, quam qui immerſus undis, adverſo flumine natat. Qui autem contra pietatem aut juſtitiam mandata ſuſcipit, nec tamen exequitur; bifariam ſceleſtus ac improbus eſt: in Deum, quod contra conſcientiæ dictamen ſeſe negotiis interponat; in Dominum, quod mandati ſemel ſuſcepti fidem fallat. Et vero ſi quid communi bono aut honeſtati adverſari Legatus animadverterit, Principi ſuo ſuggerere debet; & ſi nolit ad amuſſim mandata exequi, non amplecti pulchrius arbitretur.

Non cogat igitur Princeps, non recuſet Legatus. Intelligat ille, ſe onus imponere, hic, ſe honorem adipiſci. Princeps bonus legitimam excuſationem facile admittet: ſed vir bonus hanc operam Regi Principique ſuo debet, ut nec periculis, nec ſumptu, nec moleſtia deterritus, præmia atque dignitatem æſtimet; quantum ferre vitæ conditio poteſt, famæ dulciſſimæ patriæ perſolvat.

DISSERT. X.

Legatus indigena ſit.

SEd multa hic inſuper expendenda ſunt. Ac primum; ut indigena ſit Legatus, & homo patrii germinis, qui ſpes ſuas omnes intra terminos Reipub. claudat, & commodo ejuſdem. Nam peregrini, præterquam quod indigenis inviſi & ſuſpecti ſunt, fidem videntur mercedi magis expoſitam & obnoxiam habere. Et, ut fidi; timendi tamen, ne majoribus aut donis aut promiſſis pervertantur. Qui aliena adminiſtrat, aut negligentior, aut improbior eſt, ſæpiuſque Plautinum illud in negotiis & mandatis occinit, aut meditatur: Mihi iſtic nec ſeritur, nec metitur. Nequaquam ſane ſperandum eſt, externos eadem pietate Rempub. adminiſtraturos, qua incolæ, qui in ſinu patriæ educati, fidei teſſeram à parentibus majoribuſque acceperunt; & in cives affectum, una olim cum lacte atque idiomate materno hauſtum, adhuc alunt. Quid etiam? patriæ periti ſunt, & momenta rerum intelligunt: quæ alieni genis videantur aliena. Non tamen peregrinæ virtuti hoſpite honore prorſus interdixero. Etiam qui adoptantur, filii ſunt: fiunt cives, quos alibi naſci ſors voluit. Occupari poſſunt, licet

non

non emineant; ornari poſſunt, licet publica non attingant: ſint Principi in aulicis aut privatis rebus, ſi utiles ſunt, aut ſe dignos familiari munere præſtant. Socratis expendo dictum, & huc transfero: Optimum frumentum non ſemper eſſe, quod in chariſſimo pulcherrimoque agro naſcitur; ſed quod commodiſſime nutrit: Optimum eſſe civem, qui vivit optime, & qui ſe, vivendo civem facit.

DISSERT. XI.

Genere nobilis.

PAtriam, ſanguinis ratio ſequitur, & familiæ ornamentum. Itaque Legatum illuſtri proſapia natum eſſe præcipiam, non nummaria dumtaxat nobilitate veſtitum. Vileſcit hæc dignitas, niſi genus inveniat: & apud bene-natos invidiam gignit, tamquam poſthabitos; odium apud Primates patriæ, qui extolli homines novos non ferunt. Externi quoque Principes ſe deſpici exiſtimant, quod heſternum forte agaſonem aut inglorium caprimulgum Celſitudini ſuæ ſocium aut comitem ſint habituri. Et quam turpe, ſi ſimilis farinæ homo, in congreſſibus admiſſionibuſque præcederet Marchionem vel primæ nobilitatis Magnatem, à minore forſan Principe miſ-

ſum?

Digitized by Google

ſum? attamen quanto turpius, ſi non præcederet? Dum quidam ſuper re gravi cubicularium ſuum miſiſſet in Legationem; quæſivit primum qui adiniſerat, Anne Agens, anne Legatus adveniſſet, dehinc conſuluit Concilium Sanctius, Quis Legationi iſti par remitti poſſet? reſponſum; Adjutor Cameræ.

Tum & machinationes atque impoſturas ab ignobilibus timere Principes ſolent. Sed favent bene-nato; quaſi ſincera omnia & præclara ab eodem exſpectanda ſint, quem nec avitæ gloriæ auctoritas, neque affinium ſplendor in obſcuro latere patitur. Phœnix (ſic Homerus, princeps poëtarum, & Principum poëta) ſuadebat Achilli, ut Regis Agamemnonis petitioni protinus annueret, fideretque, quia Ulyſſes & Diomedes, è prima nobilitate Græcorum, Legati adveniſſent. Vileſcere & ipſi, & viles videntur, qui viles tantum adhibent. Vileſcit pariter negotium, quod viro imi ſubſellii committitur: qui ſi abjecte & pro genere ſe geſſerit, & munus ſuum & majeſtatem commaculat Principis; ſi generoſe ac ſplendide, conditionis ſuæ immemor, ludibrio ſe exponit. Et quomodo ridiculus non facile rideatur? Huc forte ſcripſit Cicero: Multa quæ recte committi ſervis fidelibus poſſunt, tamen ſermonis & vituperationis cauſa,

com-

committenda non ſunt. Cum à Ludovico XI. Rege Galliarum Oliverius Dandus, aliquando tonſor ſeu chirurgus, ad Mariam Principem Belgarum Legatus adveniſſet; non inſulſe ipſa quæſivit; Quid ſibi opus medico, cum optime valeret? Res ſatis infirmæ videri debent, ait, ſi medici manu curandæ. Et licet ille jam non amplius tonſoris, ſed Comitis Melunenſis titulo, iiſque decoratus eſſet inſigniis, quæ inſignem quampiam laudem gratiamque apud Regem deſignarent; deſpectui tamen habebatur, tum ob adſcititium quemdam faſtum, tum quia unius viri virtus aut vita turpem progeniei maculam eluere non poteſt, nec præſens ſors genus mutare; dum Nobilis non fit, ſed naſcitur. Quod ſi tamen Princeps qui aditur, ſuo quodam genio, conſilio, aut errore, in homines novos pronus ſit, eorumque omnia miniſterio agat, ſtatuens (ut Theodoſius, Arcadius, & Honorius Cæſares in Leges retulerunt) ſacrilegii inſtar eſſe, exiſtimare indignum, quem Princeps dignum dixerit; qui poteſt quos vult Nobilitare; tum quoque mitti, ſi excellat, Novus poterit, gratior ſic quidem æqualibus ſuis futurus. Ceterum Nobilitas præferenda eſt, quæ à ſemine & ſtirpe virtutis naturam trahit; & ſponte ad generoſum illud honeſtum exurgit, propellitque ad imitandum ea merita, quæ pro-

ſapiæ initium dedere, & honoris incrementum.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Comparationem ſi inſtituas; tantum plerumque novitati anteſtat nobilitas, quantum lux umbræ, res imagini. Fieri etiam ſolet, ut ſe fortunamque ſuam non cognoſcant, ne capiant quidem, qui ſic ſubito evecti abripiuntur, amplexuri vanitatem, non virtutem. Subinde nihil magni meditantur, licet magni ſint: ſed in ſua celſitudine, velut ſteriles cupreſſi, præter ſpeciem nihil habent. Subinde tamquam exleges, modeſtiæ ac pudori velut infenſi infeſtique, ſtupida arrogantia, turpi otio, petulanti luxu, & laſciva licentia ætatem agunt. Ibunt igitur Legati, quos non ſolum imago ac lux alienæ, ſed magis deſiderium ſplendorque propriæ virtutis, quos ingenii promptitudo, magnitudo animi, & obſequendi dexteritas commendabit. Et plebeiorum pulcherrimæ interdum dotes ſunt; occupandæ quoque, ut foveri videantur. Unde ſi cujus è grege probitas, fides, induſtria explorata ſit, ejus utilis opera alibi exerceatur. Peccant ſane, qui viliores omnes negligendos paſſim aut arcendos aſſerunt; Deorum vero filios in

in Regiam Solis ſolos admittendos. Opportuna fuit fabula, quæ docuit, membra humani corporis non recte officio ſuo fungi ſine adminiculo ventris, quamvis ille ſordidior habeatur.

Sunt etiam, qui ſpurios & furtivo conceptos ſemine, ab Legatione excludant: quaſi notum ſit, Nothos peculiari indole eſſe præditos, ſupra vel infra reliquum vulgus.

Dissert. XII.

Specie præſtans, ac firmus corpore.

DEinde Legatum quiſquis ſuum quam comendatiſſimum exteris eſſe volet, curabit ſedulo, ut huic generis claritati atque præſtantiæ, etiam corporis decora ſpecies reſpondeat: nec monſtrum mittatur in opprobrium patriæ ac gentis. Sic natura comparatum eſt, ut exteros plerique haud illibenter rideant, rodantque: cui malo inprimis obviam eundum reor. Imo vero cum mittentis Majeſtas per Legatum repræſentetur, omnis omnino deriſionis atque contemptus anſa præſcindenda eſt. Quin ſæpe deſpectum ſui interpretantur Principes, ſi Therſites, ſi Mopſos, aut id genus informes homines, ad ſe miſſos conſpexerint. Narrat in Decretalibus Ioannes Andreæ, quod cum Iacobus Caſtellio I. C^tus ad

ad Bonifacium Pontificem à Bononienſibus miſſus ſuper rebus graviſſimis verba faceret; Pontificem (quod homuncio perpuſillo eſſet corpore, ac forte ut Zachæus ille Euangelicus) juſſiſſe, ut ſeſe erigeret; cum poplitem non flexiſſet. Quo factum, ut tacite riderent, deriderent eum omnes. Ipſe autem ſibi excidens, turbatuſque ilico à capite ad calcem, ne hiſcere quidem, nedum ea quæ conceperat proferre potuit. Eadem nota (ut eſt apud Herodotum) ſed major audacia Gelliæ Agrigentini fuit: qui cum in facie vix hominem gereret, ad Centuripinos Legatus ivit. Cum in publicum verba facturus proceſſiſſet, petulanti riſu exceptus eſt: audire monſtrum concio recuſavit. Quia vultu non potuit Gellias, ingenio uſus eſt, formamque vindicavit: &, Ne miremini, inquit, Centuripini: ut urbes ſunt, ita cives mei Legatos mittunt; pulchros ad pulchras, deformes ad deformes. Libera vox, ſed non ubique tempeſtiva, reprehendi turpitudinem, atque etiam in ludibrium trahi confeſſa eſt. Dum cæcus ad Aulam quamdam adveniſſet Legatus, ceterum eloquio & genere conſpicuus: petitum, fuit anne etiam oculatos reliquiſſet in patria. Certe qui ab ortu luminibus orbi ſunt, plurimis præterea imperfectionibus plerumque præpediti aut obnoxii exiſtunt:

qui

qui etiam ſi quid in veſtibus aut geſtibus dedecetit, non corrigere, ac ne advertere quidem ſufficiunt. Et cum Deus aut Natura nihil fruſtra operentur; indubitabilem ſe, ex charactere frontis totiuſque corporis lineamentis & motu, de cujuſque induſtria & virtute, conjecturam facere profitebatur Zopyrus phyſiognomon. Sic ille apud Maronem:

Non equidem ſperavi ex iſto corpore poſſe
Tale malum naſci; forma vel ſidere fallor.

Certe quoties decora ſpecies obtutui ſeſe offert; ſimul & virtutis aliqua imago, latens quidem, aliqua tamen, ſeſe inſinuat. Quaſi interioris virtutis energia, exterior quoque cortex ac ſuperficies, velut indice aut luce, illuſtretur: quemadmodum & ipſa animi dona conſpectiora venuſtas efficit: &

Gratior eſt pulchro veniens de corpore virtus.

Regium Alphonſi, in ſuis Legibus, quas Partitas vocant, monitum, ſeu decretum fuit; ut formoſas uxores ſibi Reges Caſtellæ jungerent, liberos inde formoſos ſuſcepturi: quod regno & regimini inprimis conveniat. Apud Aulicos, ut non ſublimia aut ſubtilia ſemper audiuntur argumenta, animadverti plurimos, qui conſpecto formoſo quodam Legato, primum quidem ſibi ejuſmodi formam optarent; mox uno ore per-

cunctarentur omnes: Numquid dolendum eſſet, eum ex ſua gente non eſſe? Adeo ut bene ſecum actum crederent, quod vel vidiſſent. Legimus, ab Artaxerxe Perſarum Rege miſſos ad Alexandrum Romanum quadringentos Legatos, omnes corporis ſpecie decentique proceritate præeminentes, veſtium cultu ſplendidos: ut dubitarent quamplurimi, pluſne ornamenti corpus veſti, an veſtis corpori conferret: ſic mutuo velut lenocinio veſtis & forma, decus addebant. Ariſtoteles interrogatus, cur quæ culta & pulchra ſunt, in amorem ſui quemvis pellicerent; reſpondit, cæci eſſe eam quæſtionem. Archidamus Rex à Lacedæmoniis riſu & reprehenſione, ac tantum non Regno mulctatus eſt, quod minoris ſtaturæ uxorem delegiſſet; ſcilicet quæ Regulos procreatura eſſet, non Reges. Sane perſuaſum non ſolum plebeis, ſed etiam prudentibus eſt, in elegantis corporis domicilio habitare ſimul animum elegantem. At contra ſub deformi vultu, occultari aliquem Therſiten. Summus enim ille Architectus excellentibus animis hoſpitia quodammodo præclariora ſolet conſtituere: haud ſecus ac comitiales metatores videmus inſigniora urbis loca tectaque commodiora Principibus Magnatibuſque, humiliora miniſtris deſignare. Hinc populi aliqui tantum corporis flori

con-

conceſſere, ut reliquis animi dotibus poſtpoſitis, Regem, velut Numinis digito, & Naturæ dote deſignatum, delegerint, cui ſpecie eminenti ceteris prænaſci contigiſſet. Sic neque alios maximorum capaces Magiſtratuum ac ſummorum operum credebant, quam qui formam Imperio dignam præ ſe ferrent. Forma hæc non tam venuſtas eſt muliebris, quam dignitas quæ in obtutu geſtibuſque conſiſtit; & , quemadmodum Maximus ait, occulto & potenti introitu hominum animis illabitur, & Majeſtas nuncupatur. Conſiſtit autem in decora magnitudine, in membrorum proportione, in lineamentis aptis, in colore, in ſucco. Deformat hanc ſpeciei dignitatem quidquid nimis exquiſitum eſt, de pixide aut ſpeculo comptum, & infra virum. Critias Athenienſis, unus è triginta, dixiſſe fertur: Pulcherrima ſpecie inter mares feminam eſſe; inter feminas, marem. Nos Legatum marem eſſe volumus, ſed maſcula virtute, & qui inter mares emineat: qui majeſtate quadam pulcher ſit, & venerabili virtutem forma repræſentet. Talis quidem Marius erat, ille proſcriptus, percuſſorem ſuum pleno gloriæ aſpectu velut tranſfigens, & exanimans, certe perſtringens & arcens. Talis Octavianus Cæſar, qui ſicarium, à quo in Alpibus præcipitandus erat, fulminante ac cæleſti

oculorum vigore in diffidentiam perculit, & fugavit. Adeo, tamquam cum virtute ipſa certamen haberet hæc naturæ ſive dignitas, ſive majeſtas, etiam ab iis honoris obſequiique tributa exprimit, qui adverſus virtutem conſpiraſſe videntur. Et tantum momenti in pulchritudine ponit Cominæus, ut ſuadeat, ne facilis aut frequens copia fiat, quamvis amicorum Legatis, iiſve de quibus nil male metuendi aut ſuſpicandi cauſam habemus, conveniendi vel diu alloqendi Principem ad quem miſſi ſunt, niſi is ſit, non modo prudens, ſed inſuper honeſta ac liberali ſpecie, & eleganter veſtitus. Si id Principi conſultum; quid Legatis? Præterea, ut nihil non pulchrum in Legato & cum Legato conſpiciatur; hoc agendum quoque, ut comites & aſſeclæ pari laude conſpicui ſint, decoremque non ſuum modo, ſed gentis ſuæ commendent.

Neque minus profecto valetudo, quam forma ſpectanda eſt. Vnde è ſevera Stoicorum ſecta Catonem accepimus, ituros in Bithyniam Legatos non ſine ioco ac ſcommate dimiſiſſe. Cum enim unus cicatricoſi capitis vertigine, alter podagra, tertius vecordia laboraret; pronuntiavit, populi Romani Legationem neque caput, neque pedes, neque cor habituram. Domi igitur maneant valetudinarii, gibboſi, diſtorti, curui, cæci,

cocli-

coclites, lippi, luſci, ſurdi, claudi, manci, mutili, bardi, balbi, ulceroſi, ventricoſi, aut ſi qui aliis vitiis inſignes: qui, velut dimidiati homines, injuriæ ac ludibrio nati deſpiciuntur. Nam in ejuſmodi obvium eſt, *Cavete à ſignatis*: qui quidem offerre hoſtias Deo, lege veteri prohibebantur. Et Vulcanum claudum, non ſolum poëtarum commentis atque cachinnis vapulare & explodi conſtat, ſed inter cælites ipſos fabulam eſſe. De podagra vero an ſeorſim dicam? Magnatum ille morbus eſt, & morborum illa regina; quam gravis, tam familiaris: certe iniucunda & moleſta comes. Huic ſi quis obnoxius, Legati perſonam non recte ſuſtinebit. Nam etſi doloris induciæ ſunt; tamen impediri negotia poſſunt, cum maxime tractanda ſunt: ut ſic quidem, vel otioſum, vel inutile munus reddatur. Breviter: quemadmodum cretatis pedibus podagricus vix utitur, magis impeditur; ita podagricam Legationem ipſam reddit. Deinde Legatus, ut firmus ſit corpore; devitet novam illam lepram, ſeu luem Indicam, aut ficos, non ut edat, ſed à quibus edatur: queis ei ſemper vivum cadaver circumferendum foret, totieſque contingeret mori, priuſquam liceret. Et quomodo incommodis laboribuſque ferendis pares ſint, qui ne ſibi ipſis ſint ferendo? Adde, quod corpus male affectum, etiam

etiam animum affligit, humi affigit. Hinc plerumque qui languent corpore hebent pariter animo. Certe in ejuſmodi Legatum tempora incidere contingat, ut ne ſuffecerit quidem ei corpus eſſe vegetum, & quod pharmacis, atque etiam deliciis & voluptatibus poſſit abſtinere, ſed prætereà patiens laborum, vigiliæ, inediæ, algoris & æſtus ſit neceſſe.

Humanorum quidem defectuum alii manifeſti, alii occulti ſunt: & hi tamen manifeſto interdum Legationi impedimento: ut, ſi quis ſit hernioſus, & corporis aliqua ruptura. Qui conſpicui ſunt defectus, poſſeſſores ſuos minus verendos, minuſque acceptos conſtituunt, & præterea velut prohibent à præſentia hominum: ut ſi qui lippitudine, graveolentia, aut lue quapiam omnibus tædio atque contagio oberrant. Legatorum autem eſt, adſtantes & congerrones ſuos amœnitate aliqua potius allicere & cupientes detinere, quam arcere vel fugare.

Attamen ſub illiberali interdum fronte, formoſiſſimæ mentis excellentia reſidet. Itaque tunc formoſus minus pulchro præfertur, cum virtus utrimque pæne par. Alioqui ii qui Legatum, quantumvis ſpecioſum, virtute aut ejus deſiderio deſtitutum emiſerint, vereantur experiri quod olim Lacedæmonii; qui poſtquam claudum à ſceptro

pro-

prohibuiſſent, tandem didicerunt, melius eſſe, Regem quam Regnum claudicare.

DISSERT. XIII.

Juveniſne, an Senex?

DUbium quoque controverſumque eſſe ſolet; Senemne, an juvenem Legatum eſſe expediat? Sed, ſi recte calculum ponimus, prudens ſenectus, inconſultæ, lubricæ atque indomitæ juventæ præferenda eſt. Etenim prudentiæ mater & adjutrix eſt experientia, quam ſenes, multorum obſervato curriculo temporum, negotiorum, exemplorum, comprobatam magis habere poſſunt: quippe quam dies dat; qui ut poſterior, prioris ſit diſcipulus, &

——*ſeris venit uſus ab annis.*

Dicebat Plato, mentis oculos magis vigere, & acutius videre, cum illi corporis deflorefcunt. Unde & prudens conſilium, per eminentiam, ſenile dicitur: juvenile vero, etjam in ſtultitiæ ac temeritatis proverbium abiit. Præterea etiam indoctos ſenes; prudentes tamen eſſe cernimus. Nam quia in multis verſati, verſuti ſunt, & tertio velut oculo inſtructi. Romani quoque ſenatum à ſenio appellari volverunt: rati Rempub. non niſi maturiori ætati committendam. Accedit morum tranquillitas, gravitas, ejuſ-

que aſſecla auctoritas, quæ veneranda canicie adjuta, Legationis munus mirum in modum juvant & illuſtrant. Cum aliquando de Religionis imperio cum Orthodoxis Arriani pugnarent, Legatos mitti ad Imperatorem placuit. Miſſi ſunt, ſed ab Orthodoxis homines adoleſcentes, parum docti, parum cauti: ab Arrianis autem ſenes, callidi & ingenio valentes; qui narrantur vel ideo ſuperiores extitiſſe. Et quid mirum? non poſſunt, niſi magna maturitate negotia magna tractari; illa autem in ſenibus eſt. Iuvenes rerum inſolitarum & novitatum facile ſunt creduli atque appetentes: nondum prudentes, nondum enim ſat ſæpe decepti. Volunt igitur nonnulli iis juvenes muneribus ſolum applicari ac præfici, quæ ubi laudabiliter adminiſtrata fuerint, plus gloriæ habeant, quam incommodi ſi fortaſſis ſiniſtre.

Abſit tamen à delectu noſtro ſenior ille, ſi ſegnior, ſi repueraſcens, memoria debilitata, mente & conſilio hallucinans, acie hebeſcens, valetudine vacillante torpens. Et certe, mentes noſtræ velut veſtis ac organum quoddam, corpus eſt; quo quidem perperam affecto, vel nil, vel incommode animus agit: quemadmodum artifex fruſtra valet ſcientia deficientibus inſtrumentis, aut vitiatis. Illud etiam addidero; Non tam

in

in annorum numero, quam in animi rectitudine, conſiſtere ſapientiam; neque tam mento, quam mente æſtimari.

Sapientia, ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibus.

Errat profecto, qui virtutis curſum, quam ætatis tardiorem exiſtimat. Quare non tam rigore canitiei, quam cana morum compoſitione, rerumque intelligentia, Legati perſonam cenſemus. Sæpius ut virum in puero, ita puerum invenias in viro. Multis elapſa pueritia, inhæret puerilitas. Igitur ne eapropter quidem, quod in juvenili ætate quis ingenio tardiore aut ſedatiore viſus fit, à magnis deinceps muneribus arcendum decernimus. Quid enim, ſi contigerit cum ætate ſucceſſiſſe judicii acumen & vigorem? Quorumdam præcocia ſunt ingenia: quorumdam ſero perveniunt ad frugem. Uti in pomis videre eſt, quorum aliis maturis atque vietis, alia adhuc dura manent & inſipida: quæ tamen eſui uſuique apta ſunt, poſtquam priora putruerunt. Sic quidam ingenio ac judicio eminent, dum alii adhuc videntur rudes & inculti. Et hi quidem nihil non ſapienter & ſolide agunt, dum alii jam deſierunt vel delirant ætate. Quapropter cum virtus viget, æſtimanda eſt, occupanda eſt. Quis obſecro ætatis modulo Scipionem circumſcribat, & ætatem rejiciat? quis Pompeium

ante annos Magnum ? quis Corvinum alioſque, qui ob promptam judicii maturitatem, non exſpectato juſtæ ætatis ac legibus præſcripto termino, Reipub. clavum direxere, Conſulatuſque faſtigium cum laude conſcenderunt ? Ætatem igitur anxie non ſpectem, ut Legatio decernatur. Spectem vero, an ejuſmodi cum corporis tum animi dotibus vigeat hic Mercurii Myſta, ut agendis peragendiſque rebus conveniens ſit.

Suadent aliqui cum ſenibus juniores mittendos eſſe; ut quod in utraque ætate laudabile eſt, juncta quaſi dignitate coaleſcat: atque, ſi quid exuberans, temperetur, calor frigore: frigus calore. Senilis prudentia præcipitem & inconſultum junioris impetum corriget; juvenilis vigor, moram ac metum ſenioris. Si diſcenda Legatio eſt; ſic profecto, qui res intelligendæ atque agendæ fuerint in poſterum, juvenes edocebuntur uſu & exemplo. Nimirum ut juxta annoſas arbores novæ plantæ inſeruntur. Cujus non ignari prudentes Veneti, ſolent ejuſmodi juvenes, non quidem Legationibus, ſed Legatis ſuis adjungere, qui in graviſſimarum functionum ſpem adoleſcant.

Dis-

DISSERT. XIV.

Opulentus.

AST vero ne ab adverſario illecebris fortunæ (quibus irretiuntur incauti) in perfidiam Orator noſter exoretur; agris fundiſque divitem, domo & lare mediterraneum eſſe optarim: cui liberi, familia locuples, chara multa pignori in patria maneant. Arctiſſimi enim fidei obſides cuſtodeſque, opes ſunt, & res partæ: neque in factionem hoſtium tam ſequax abducetur, qui præſentibus compeditur divitiis, quam qui cum Biante omnia ſua ſecum aſportat; qui ſe nihil amiſſurum, præter nudam exiſtimationem cum incerta Domini gratia, novit. Magna itaque habenda eſt ratio facultatum Legati; an tales ſint, ut ſplendori ampliſſimi muneris etiam domeſtica fortuna reſpondeat. *Divites enim*, *velut firmiores* Reipub. *baſes & columnæ*, tutius potentiuſque civitatis ſphæram volvunt, & ad privatam rem ſtabiliendam minus putantur anhelare. Contra, ſi neceſſitas exigat, Reip. ſuis facultatibus ſuccurrere poſſunt: & ſi quando ærarii penuria, vel quæſtorum tergiverſatione publicus cenſus ſuſpendetur; nequaquam tamen Legationis decorus ordo turbabitur aut interrumpetur. Magnum viris

ris magnis pauperies opprobrium eſt, turpiſque cum egeſtate lucta, dum in ſe occupati, ingenium non poſſunt Principi aut Reipub. impendere. Sed ita eſt: tarde eos qui nudæ virtutis alis ſubnixi ſunt, contingit in Regiam Solis evolare. Quod Satyricus:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. ——

M. Antoninus philoſophus, Solon, & T. Quintius Romanus, Senatores & Magiſtratus æſtimarunt à cenſu; ut iis Reip. cura crederetur, quibus omnia ſalva tranquillaque eſſe maxime expediret. Forte quia animalia quædam, ſi mandræ plenæ ſunt, torpent ſtertuntque innoxia, fame efferantur. Et divites quidem, forte inſatiabiles, plura quam poſſident ſperare & expetere poſſunt: aſt inopes, neceſſitas impellit. Hinc Mantuanus dicere auſus fuit, quod

Pauperies inimica bonis eſt moribus.

Negliguntur igitur; & quia nec liberales de ſuo, nec magnifici eſſe poſſunt, gloriam Principis patriæque minus attollunt. At opulentiores ac nobiliores prodeſſe magis, & poſſunt, & volunt; illud fortunæ beneficio, hoc naturæ.

Neque tamen virtutem cujuſpiam examinandam ad ludibrium adventitiæ ſortis putem, ſurſum deorſum volui ſolitæ; quaſi ut-

que

quiſque illa utitur, ita & ſapere credendus ſit: vel quia benignitatem fortunæ, hominum benevolentia, favor, honos; malignitatem, inſimul indignatio, calumnia, contemptus, odium, (ut fit) ſequi debeant:

(*Nempe dat indignis fortuna, merentibus auſert,*
Quas ſtupet attonito pectore vulgus opes:)

ſed ſatis conſtat, Reipublicæ molem validiorum humeris firmius fulciri; avitas opes, liberalis educationis indicium eſſe; partas induſtriæ; modeſte habitas, prudentiæ & temperantiæ. Atque ita virtutis, non quidem judex, ſed index fortuna conſtituitur; nec tam gubernatrix, quam fautrix, & commoda, ut ſic dicam, comes. Scio equidem Legatos ab eodem Principe miſſos, parique legativo donatos; alios, quia domi tenuiores, etiam in publico latuiſſe, vixque ſibi equos aut famulos aluiſſe; alios autem, quia opulentiores, hoſpitem domum & menſam plurimis jugiter obtuliſſe, communicaſſe; & Legationes, quæ alioqui, pro conditione ſui negotii & Principis, tanti non erant, apparatu & ſplendore, illuſtrioribus pares non accepiſſe, ſed feciſſe.

DIS-

DISSERT. XV.

Munificus.

Corporis & fortunæ dotibus quando Legatus eminebit; Regii quoque ſplendoris & munificentię paſſim meminerit. Nihil enim æque obvium gratumve multitudinis oculis. Neque ulla re apud imperitos facilius averſio provocatur animorum, quam ſordibus, atque infra dignitatis intuitum parſimonia. Verendum etiam eſt, ne in publicis negotiis dormitet, qui in privatis plus æquo vigilat: ne is qui præter lucrum nil ſapit aut olet bene, veluti trutina eo propendeat, ubi plus fuerit poſitum. Aliqui qui ambiverunt munus, ubi adepti ſunt, non ut onus æſtimant, ſed ut naſſam dumtaxat ſui compendii. Harpyiæ aviditas nihil non contaminat & deturpat, ipſaſque virtutes vitiorum jugo obnoxias aut affines facit: vixque dici poteſt, quam in multos ſæpe defectus hominem deducat, quaſi neſcientem & inſenſibilem ſuorum dedecorum. Profecto fieri omnino non poteſt, ut fidelis videatur, aut amore vel prærogativa dignus, qui apud prudentes proboſque ſuſpicionem incurrit illius miſeriæ, cujus ſemper à fine principium eſt. Quid vero præclaræ aut utilis rei exſpectes ab eo, qui ſui

ſui quæſtus dumtaxat ſatagens, majorem munerum quam muneris, potiorem lucri quam laudis, rationem ſit habiturus? Et tamen ſacra pæne hæc jam formula eſt: *Fruſtra ſapit, qui ſibi non ſapit.* & humanæ leges omnes hoc ſigillo obſignatæ videntur; *Vt proximus quiſque ſit ſibi.* Alibi ſuperba petuntur ſacerdotia, alibi divites reditus, alibi illuſtres tituli, alibi opima ac pinguia officia aut conjugia: denique alia alibi, monilia, vaſa, nummi, quibus hæc omnia, & quæcumque ſunt, emuntur, impetrantur. Scipionis Æmiliani pulcherrimum reſponſum fuit. Nam cum Servius Sulpitius Galba & Aurelius Cotta Conſules in Senatu contenderent, uter adverſus Viriatum in Hiſpanias mitteretur; ac inter Patres Conſcriptos diſſenſio eſſet; neutrum ſibi placere Æmilianus reſpondit: *Alter nihil habet, inquit, alteri nihil eſt ſatis.* Nuper Florentinorum ad Carolum V. & Clementem VII. Bononiam miſſi Legati, viri Patricii, mercatorio ingenio (ſic refert Iovius) plurimum mercimonii, tamquam Legationis ſupellectilem, quæ oneri vectigalium eximitur, in urbem convexerant. Sed ſordida fallacia à publicanis detecta in riſum contemptumque venit. nec id ſatis: ubi enim ſorditiem in œconomos conjicere, nec tamen vectigal numerari vellent; tamquam

indigni Legationis amplitudine, inaudita cauſa repulſam paſſi ſunt, quod ampliſſimi muneris ſplendori obſcœni quæſtus maculam inſparſiſſent. Sic nec bene audiit ille, qui ante paucos annos à Rege Catholico Philippo III. miſſus, florentiſſimas quaſque in Belgio urbes, nec non ædes publicas privataſque geſtiebat viſere: in iiſque ſi quid arte aut pretio rarum eſſet, curioſe luſtrabat. anne ut inanes oculos paſceret? imo vero, ut loculos. extollere enim non deſinebat pulcherrima quæque, donec tolleret. Sed nonne Lucrio is verius dici poterat, quam Legatus? Ejuſmodi lucrum, famæ lutum merito appellaveris. Ut hæc ſunt, facile diſcimus, privati hic hominis cogitationes & vota ſeponenda eſſe. Omnium enim gerit negotia qui Legatus eſt: & ut publice proſit, ſuus quodammodo eſſe deſinit.

Ita tamen promus erit, ne profuſus ſit: ita ab avaritia temperabit, ne ad abliguriendum ac perdendum tantummodo ingenioſus exiſtat, uſus vel abuſus nullo diſcrimine. Turpiter apud privatos illi, qui patrimonia ſua evomunt verius, quam vendunt; qui crumenæ velut bello indicto, ornamenta omnia, ipſaſque delicias ſuperfluitate cumulant: qui intempeſtivas comeſſationes, & choreas inſtituunt; licet poſtea vel toto trimeſtri cogantur eſurire, & latere: qui faciunt

ciunt quidem quæ debent; ſed & debent quæ faciunt. Si ſic vixerit Legatus, inconſulta & illiberali profuſione ærarium exhauriat, ac ſeipſum in æris alieni moleſta atque indecora nomina & vincula præcipitet neceſſe eſt, gemina velut labe. Hinc accerſitæ curis innaſcantur curæ: quærantur inde amici; & qua quærentur, perdentur amici via: fere enim cum mutuatitia pecunia, amicitia exuitur. Sed neque Principes vitæ cujuſpiam prodigæ aut luxurioſæ ſumptus luunt. Perſarum quidem inſtituto, olim debitum adeo erat affine crimine crimini, ut inter debitores & deceptores, inter debitum ſeneſcens & furtum recens, haud magna videretur differentia. Apud Romanos quoque ea ſeveritas fuit, ut jure duodecim tabularum, corpus debitoris inter creditores dividi licuerit. Quamvis autem priſcam ſævitiam, atque horridi ævi acerbitatem indulgentior mos aboleverit; peccat tamen quiſquis plura abligurit, quam ſit ſolvendo: amplius Legatus, quia ejus perſonam, qui maxime liber eſt, repræſentat; quia ſic publice infamiam injuſtitiæ induit. Si quæ privilegia aſſumi poſſint nihil dandi, & quaſi non debendi; immunem quidem facient hominem, honeſtum non facient. Quidam ne obærati videantur diſcedere Legati; tubis, dum abituriunt, proclamari jubent, credi-

creditoribus ſuis fore ſatisfaciendum. Sed qualiter Legatus hic ſeſe gerere debeat, alia Equeſtris ordinis & honorum inſtituta ſive decreta ſatis docent. Nam qui iis inſigniuntur, jurare compelluntur; Non graviore ſe ære alieno teneri, quam quod exſoluere valeant, velintque. Pulchrum illud quod Ludovicus Rex Galliæ ſæpius pronuntiaſſe dicitur; Sapienti ſatius eſſe nihil debere, quam multa elargiri. Ideoque convenit, Legatum ſic facultatibus ſuis uti frui, ut earum diſtributio ſit ſine reprehenſione, frugalitas autem ſine ſordibus. Quæcumque autem Principis ſui nomine faciet, eximia prorſus & illuſtria ſint; & tamquam à Principe fiant, ſplendori & famæ deſtinata. Nam ceteri quidem mortales, in ſumptibus, unam aut voluptatem aut utilitatem ſpectant: altiora Sceptri conſilia ſunt, quantumque ab homine abeunt, ad Numen accedunt: majora divitiis, quia de ſplendore & exiſtimatione agitur. Argentum quidem, ut cum Polybio dicam, & pecunia, communis hominum poſſeſſio eſt: at honeſtas, magnitudo animi, inde laus & gloria, Deorum eſt, aut eorum qui à Diis proximi cenſentur. Vnde licet ſuus cuique rei modus ſit, utilis, laudabilis, tutus; licet quoque apud privatos frequenter menſæ ac culinæ anguſtia, reliqua omnia auguſtiora apparere, atque etiam eſ-

ſe,

ſe, faciat: attamen peculiari Principibus eorumque Legatis præcepto, dum ſumptus faciendi ſunt, excedere præſtat, quam deficere; & minus offendit nimium, quam parum.

Ut autem munificus eſſe poſſit, & ne turpiſſima ſpecie prodigalitatis notetur Legatus, ab alea prorſus temperabit. Non ſolum, quia prudentem decet, tempus ipſum occupare, non præoccupari à tempore, neque tam futili negotio bonum otium conterere; ſed magis, quia turpis hinc jactura, mœrorque, inde in rebus animi languor & frigus, ſemper autem convitium, etiam ſuſpicio ſequatur aleatorem Legatum, Legationis negligentius & minus ſplendidæ, at caro nimus per aleam proſtitutæ, utut nuſquam peccatum ſit. Turpe, exiſtimationem, theſaurum inæſtimabilem, aleæ ſcopulis allidere: aleæ volubilitati facultates meliori mente datas, rebuſque tam publicis quam ſecretis impendiis neceſſarias, exponere: provocare ac ſubire fortunam, ubi ea maxime fallax & incerta. Quam ipſam fortunam potius deceat clavis trabalibus altum fundare, & figere firmiter quoties blanditur & favet. Famulos etiam a tam pernicioſo luſu abſtinere compellet; ne inde furtis & mendaciis aſſueſcant: quæ quidem graviſſime oderit & arcebit: perdet hic ubi parcet.

DISSERT. XVI.

Continens.

CONtinentiæ autem virtute ut fulgeant Legati Regii, hic locus admonet. Credant porro, nullum neque dictum neque factum ſuum in obſcuro magis eſſe, quam ipſam fortunam Principum; quiquod in excelſo ætatem agunt, ſuſpiciuntur ab univerſis. Et Principes quidem in propatulo regunt, Legati adminiſtrant: illi ſuſtinent oculos omnium, hi provocant cenſuram juxta livorem. Et fortaſſis tolerari aut excuſari aliquæ Principum deliciæ poterunt, nullæ Legatorum. Sic vivent igitur, & ſic ſe gerent Legati, ut ſuis moribus, mores ſapientiſſimi Principis & præclariſſimæ gentis laudabiliter exprimant; tamquam non negotiorum ſolum, ſed & exiſtimationis cauſa miſſi ſint. Graviter ſic quidem peccarunt olim, & puniti ſunt, apud Amyntam Macedonum regem Legati Perſarum. Nam cum laute & læte accepti inter epulas rogarent Regem, ut amico apparatui adjiceret jus familiaritatis, adhibitis in convivium conjuge & filiabus: eum enim apud Perſas vernaculum eſſe morem, & haberi pignus convivalis hoſpitalitatis: datum hoc genti, datum conſuetudini. Sed Legati, & hoſtium & hoſpitum

pitum terminos excedentes, pruriginoſæ libidinis & potationis impetu, mulieres petulantius procaciuſque contrectare auſi ſunt: adeo, ut non niſi ad laſciviam ſapere viderentur, impudicitiam profeſſi: donec rei indignitate commotus Alexander Amyntæ filius è convivio eas ſevocarit, tamquam venuſtiores cultioreſque confeſtim rédituras. Atqui, ut erat animo ferox, rigiduſque pudicitiæ cuſtos, è veſtigio adoleſcentes ferro accinctos clanculum earum veſtibus induit; iiſque, ut Legatorum petulcam ac inſolentem proterviam coërcerent, imperat. Legati immodeſte nimis immodeſti, dum Baccho juncta Venus duplicarat inſaniam & errorem, quas putabant puellas, obſcœnius complecti pergunt. Sed ô cataſtrophen! Ubi cautio aut cura non intervenerat;

——— medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid. ———

Venus in Martem erupit: & ſexum mentiti adoleſcentes licentioſa ac laſciviente Legatorum turpitudine, tum juſto Alexandri dolore ac imperio animati, diſtrictis ſicis nil tale ſperantes trucidarunt. ſic nondum integro nec adulto crimine, quidquid erat voluptatis mors ſecuit & diſperſit. Audax ſtratagema Megabyſus Perſarum præfectus exercitu ulciſci parabat: ſed re & ratione melius cognita, pronuntiavit, Oratores juſtiſſi-

ſtiſſimas pœnas dediſſe, amicitiamque cum Macedonibus iniit & ſervavit. Veteri hiſtoriç quidni exemplum novæ adjiciam, quod heſterna memoria Legatus non longinqui Regis dedit? Ut caute, ſi non caſte ageret; periculum adiit, è fornice in carcerem, à voluptate ad infamiam lepide migrans. Etenim cum nocte concubia & quaſi intempeſta, ab amaſia ſolus domum rediret, lunæ ſecutus lumen; vigiles nocturni obuium eo loci collocarunt, unde ad ſupplicium ſontes depromi ſolent. Quid faceret deprehenſus? Cum vim non poſſet, nomen & munus objecit. Sed mentiris, inquit excubiarum præfectus, & injuriam nomini non tuo, muneri non tuo addis. Prudentior omnino Legatus Regius eſt, quam ut ſine face aut comitatu hoc noctis ſic diſcurrat. Res ad Aulam venit; nec ſine Regis riſu, ſuo rubore, laxatus eſt Legatus. Cujus exemplo pudebit deinceps alios alibi conſpici, quam ubi honeſte eſſe poſſint.

DISSERT. XVII.

Non vinolentus.

NOn poteſt plerumque, aut vita Legati, aut munus ſine conviviis conſiſtere. Quædam negotia vinum amant, certe emolliri vino debent, ut facilius

lius pertractentur : vino, ſed à generoſa quadam hilaritate præſcripto. Madere, in omnibus omnino hominibus turpe eſt; in Legato turpiſſimum, qui ſi vinolentus ſit, à majeſtate abit, & ſeipſe inquinat; ſæpe retegens quæ maxime debebant occultari. Androcydes ſapientia clarus, ut intemperantiam Alexandri cohiberet, ſalubri monito uſus eſt : Vinum potaturus, Rex, memento te bibere ſaguinem terræ. Polybius Demetrio: *Sobrius eſto; nemini fidem habere memento; ſpes tuas in te ipſo pone; hi nervi ſunt prudentiæ.* Quare hæc voluptas temperanda eſt : & cum dapſilius forte invitabit alios, ebrietatem vitabit ipſe; parum admodum curans, ſi neque multibibus, neque meripotens audiat. Hoſce titulos lubens cedat helluonibus, qui numquam jejuno aut excitato ſtomacho ſolem vident orientem vel occidentem: qui bibunt non quod ſitiant, ſed quod ſoleant, tempeſtates remigeſque amphorarum. Nempe diſſolutus Bacchus eſt, impatiens vinculorum cordis & linguæ. Libera ubique & ſtulta oratio eſt, quoties mentem Liber occupavit. Zeno philoſophus dum Athenis cum exteris Legatis exciperetur convivio, & prorſus conticeſceret; quæſiverunt illi, quid Regi ſuo de Zenone renuntiaturi eſſent: Athenis, inquit, eſſe ſenem, qui tacere norit inter pocula. Bonoſus Hiſpalenſis ſeria & ſales

tempori accommodare, & in communis vitæ ſcena perſonam quamcumque apte ſuſtinere peritiſſimus erat: eoque nomine apud Aurelianum Imperatorem ſummo in honore fuit. Hic, ſi quando aliunde Legati, quorum forte in cibis & ſcyphis animus eſſet, advenisſent; iiſdem large vinum propinando, ſecreta expectorare, ipſe quantumlibet hauſiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius eſſe ſolebat, & adhuc in vino prudentior. Cum enim nil minus agere, quam quod agebat, videretur; agebat tamen maxime quod putabatur negligere: facundus orator, fecundus potator. Sed ut non omnes boni; ita nec Bonoſi omnes: plerosque mortalium ardor vini corripit & corrumpit: & paucis omnino conceſſum eſt, & bibere, & ſapere. Ingenioſus alubi Hiſpanus quidam fuit, qui à Rege ſuo ad homines minime ſiccos miſſus, potuit ipſe & ſiccus eſſe, & tamen bibere. Etenim deprehenſo, nec ſecreta elici, nec negotia abſque vinolentia promoveri, ebrioſorum intemperiem aſtu expreſſit. Nempe cyathum anguſti oris affabre confictum aptabat ſubſtituebatque vino famulus, quoties hero argenteus ſcyphus evacuandus erat: aliis plenum & minime fartum porrigebat aurum. Alius oſculo verius quam eviſceratione argentei ſigni (qui nunc plurimum vini exciperet, nunc obturato peritis foramine, nil

nil aëris aut liquoris admitteret) evacuationis legem & pœnam, appotatoribus præſcriptam, eludere potuit. Sic & potandi artes ſive impoſturæ ſunt. Simplicius ille, & promptiore tamen ingenio, qui dum Herculeis hauſtibus urgeretur ad legem, *Tu quoque fac ſimile*; fallere maluit, quam recuſare. Coctam ſaccaro aut cinnamomo aquam, ſed in anteceſſum paratam, paribus poculis cepit, ſtupentes decepit. Alius accuſatione invaletudinis, exlex eſſe valvit, & ea excuſatione à multis deinceps impedimentis ſæpius liber. Præclarum quidem, tempeſtatem ſi ſubieris, non mergi: quemadmodum Vir quidam Magnus, & Belgis omnibus orbique notus, inter pocula ſobrius eſſe potuit. Iis in locis juſſu Principis ſui erat, ubi

Siccis omnia dura Deus propoſuit:

ubi vivere quiſque putat bibere: & hos inter, qui non ſatis ſe credunt ſalvos eſſe, niſi ſalutis vota cyathis æquent onerentque: nimirum dum ſæpius ſæpiuſque rebibentibus, etiam nauſeantis ſtomachi faſtidio, valetudinis impendio, occinitur, *Sit ſaluti*. Quid faceret qui ebrioſorum mores ut morbos averſabatur? dumque bibendum, vel abeundum, nec abeundum tamen eſſet? Morem convivio gerere, & ſimul naturæ, difficile erat: geſſit. Modum ex tempore invenit, quo

non bibendo biberet, vel bibendo non biberet. Etenim catarrhum ſimulavit nocturno frigore contractum: ſaccaro & malis aureis opus eſſe. Illud igitur non tritum, hæc integra à ſamulo poculis injecta ſunt, adeoque liberaliter, ut nihil aut parum vini ſupereſſet. Sic poculis ipſiſque potatoribus impoſitum: nil negotio, nil menti demptum. Plato aſſerebat, quoſlibet cuicumque rei præfectos temulentos omnia ſubvertere. Nam vinum ſenſim capiti illapſum rationis imperium oppugnat, expugnat, & totum hominem in jus ſuum rapit. Id animadvertens vel non neſciens Princeps quidam, & ipſe ſobrius, in Legationem mittere noluit hominem,qui conciliandis voluntatibus amicitiiſque aptiſſimus commendabatur, quia ingentibus & continuis poculis à juventute adeo aſſueverat, ut mentis uſum vini potentia non videretur amiſſurus. Non amiſſurus eſt, ait Princeps, quod non habet. Ridicula profecto & inanis cautio; prudentiæ cauſa, potui aſſueſcere, & ne ſis aliquando ebrius, ſemper ebrium eſſe. Ebrietas, ætatis & ingenii carnificina eſt, memoriæ naufragium, oblivionis, ignorantiæ, ſtuporis, invaletudinis, vitiorum omnium mater, lippitudinis & graveolentiæ fons & fomes, evulgatrix arcanorum, invitatus hoſtis, voluntaria inſania, laſcivix ac diſcordiæ magiſtra,

giſtra, quæ humanos ſenſus & mentem mergit, hebetat, ſubvertit; & hoc animal, cui ſubjecit Deus omnia, omnibus ſubjacere compellit. Hoc vitiorum vitium ſtupet coacta natura; dum homo ebrius, neque ullum virtuti locum relinquit, nec ullum in dubiis conſilium invenit, nec inventum quidem intelligit: dum neque præterita recordari, nec præſentia moderari, nec futura prævidere poteſt. Et cum reliqua vitia præſens otium dumtaxat ſibi vindicent, ebrietas etiam longe poſt ſequens: quo fit, ut priuſquam villum edormierint bibuli, non minus ad meditandum aut agendum inutiles ineptique ſint, quam cum prorſus ſopiti. Quo ſæpius vidimus, paucarum horarum hilarem inſaniam totius poſt vitæ tædio penſatam. Heu nocens monſtrum! enorme & odioſum nomen Ebrietas! Vitanda omnibus; ſed inprimis Legato, cujus omnis actio ſedulitate, mens conſilio, pectus fide, os ſilentio obſignari debet.

Quod ſi tamen bacchantibus ille forte cohabitet vel immiſceatur, ſive ſuo, ſive alieno convivio; cavebit, ne moroſa abſtinentia exprobrare aut notare memor. animadvertatur, quæ libere aut incogitanter inibi appotando dicuntur vel fiunt: ſed hilaritatem vultumque madentibus decore affinget; linguam, mentem, & ſoler-

tem animum ſervabit integrum & impollutum. Sic potabit vinum, ne viciſſim à vino potetur, differetque ab aliis non actione, ſed modo & menſura. Ita crediderim ſtatuiſſe Legatum illum, qui ab Imperatore vocabatur ad Audientiam, cum putaretur plurimis ſanitatibus parum ſanus. Acceſſit: & juſſis ſic expedite ſatisfecit, ut ab ejuſce Majeſtatis fulgore, tum impingendi metu, omnis inebries excuſſa videretur, quaſi ab ſole vapor aut nubes: nec jejunum dehinc, ſed uti ſobrius optarat, tulit reſponſum. Aſt nonnulli natura ſua lenti frigidique dum indulgent genio, una cum vino conſilium & felicitatem ſibi videntur imbibere, tum demum ſapientes cum ſaturi. Crederes mero animos accendi, & à pectore quoddam gelu diſcuti, ac velut emortuam abditamve prudentiam in vitam lucemque protrudi aut ſuſcitari hoc liquore. Innatum id olim Germanis ſcribit Tacitus, qui de reconciliandis amicitiis rebuſque graviſſimis non niſi inter convivandum conſultabant: quaſi non alio magis tempore aut loco, vel ad candidas cogitationes pateret animus, vel ad magnas incaleſceret. Et nuperus ſcriptor, non æque virtutem à vitio diſcernens, petulanter & contumelioſe exprobrare auſus fuit; Aquilas præclariſſimæ gentis commutatas eſſe in grues: id eſt, antiquum illud robur

corpo-

corporis & mentis, intempeſtivis compotationibus crapuliſque nonnihil eſſe deformatum. Profecto nonnullos populos ſua conſuetudo tuetur, quoſdam neceſſitas excuſat. Et quomodo Septemtrionales, qui cum tenebris, cum frigore & inclementia aëris perpetuo dimicant, cælo pares ſint, niſi moleſtiam atque aſperitatem omnem largiore interdum potu ſepeliant? Adeo quæ in aliis gula, in aliis natura eſt; & ad hilaritatem ducere Legatum poteſt, pro genio loci & negotii.

DISSERT. XVIII.

Non rixoſus.

SImultates, temere aut aperte, neque excitet, neque alat Legatus. Alieno enim in Regno rixoſum jurgioſumve eſſe non convenit. Quod ſi tamen contentioſæ forſan ſcenæ neceſſario involvatur; nec ſeſe extricare, ſpongiamve aut Mitionem agere liceat; cavebit inprimis, ne alteram partem capitaliter lædat, niſi id magno certoque bono. Turpe fuerit, Legati domum quaſi rixarum officinam exiſtere. Stultum, controverſias, contentiones, contumelias, ſimultates ultro provocare: eas quippe utut quis evitare nitatur, plus ſatis nolens, & dum minime eſt ferendo, pun-

ctim & cæſim experitur. Quis miretur, vel indignetur, pilam quam in ſphæriſterio ad contra luſorem projeceris, ab eodem repercuti? Prudentis ſane Politici judicium fuit? Nullos omnino inimicos excitandos aut exaſperandos eſſe: omnes è contra humanitate atque obſequio placandos, ſepeliendos & velut obruendos eſſe. Quippe nullos ſic exiles aut imbecilles cenſeri debere, ut ſi non timeri, caveri tamen operæpretium ſit. Quia quos modo viribus vel auctoritate debiliores exiſtimas; tua interdum inſcitia vel oſcitantia, tum tuorum æmulorum malignitate fultos & inſtructos, vel occaſionis indulgentia adjutos, potenter obeſſe contingat, & tum quidem, dum minime expediat. Quid? quod aliqui, ſi inique læſi ſint, pro periculo animum temeritatemque aſſumunt & augent; ac dulce ducunt, etiam cum interitu, ulciſci.

Dein concoquendæ vel devorandæ ſunt injuriæ, quas ulciſci omnino nequeas, vel ſaltem non citra diſpendium grave aut diſcrimen. Nam

——— *vana eſt ſine viribus ira.*

Et licet à validiore injuriam accipis (Salluſtii verba hæc) tamen quia plus poteſt, facere videris. Quid itaque, ſi injuriam paſſum ſe quis dixerit, quia injurius eſſe nondum potuerit? Quid ſi exoſculandæ manus,

quas

quas optares ime abſciſſas? Quid ſi deprecanda culpa fuerit non commiſſa? In omni certamine ſuccumbit imbecillior, filumque rumpitur ubi eſt infirmius. Quare (egregie Aulicus amico) ut maxime injuriis privatum te læſerit potentior; patere, ſimula, diſſimula, obſequiis demulce: ut non lubenti ſolum, ſed & hilari animo videaris oblivisci. Hac arte vel fiet amicus, vel mitius erit inimicus. In curandis quidem vulneribus, ſæpe dolor eſt medicina dolori. Aries quoque regreditur, quo fortius feriat, proſiliatve: & utiliora profecto dimicatorum præcepta docent prius evitare vulnera quam infligere. Que in caſſes lapſæ ſunt feræ, efficiunt ſepe ut laqueum ſuum magis ſtringant.

Verum enimvero, vel jure & publico more contentio inſtituitur, vel privato jurgio & impetu. Utraque fugienda Legato eſt. Privata quidem; quia omne hujuſce muneris exercitium, amicis, non inimicis indiget. Et publica; quia impediuntur negotia, ubi judicia & tribunalia miſcentur. Cogitabit itaque, ſe & civem, & Legatum eſſe. Quoties ut civis, ut privatus læditur; diſſimulare injuriam ſive contumeliam poterit, ut vincat: quoties ut Legatus; pro Principe & Domino ſuo exſurget: ſtudebitque, ſi neceſſitas urſerit, ne cui ingeratur opinio, animum ei vireſve deeſſe ad vindicandum: vel ideo enim Legatus eſt,

DISSERT. XIX.

Non moroſus.

QVandoquidem omnibus, qui quidem non in Scytharum ſolitudine, aut lucifugarum vel eremitarum latebris, ſed in hominum cœtu ac Republica politice politeque vivere decreverint, elegantia morum uſui atque ornamento ſit; Legatus comis & amœni ingenii erit. Faſtuoſa enim ac moroſa ingenia, & quæ faſtidium ſui aliorumque ſecum trahunt, felix Legatio non admittet: irritandis crabronibus aptiora, quam pacandis. Dura duris ægre connectuntur; mollibus facile coaleſcunt & cedunt, ſeſeque accommodant. Dabit igitur operam Legatus, ne cui durum aut difficile limen, ne emendus aut exorandus ſermo ſit. Laudatur panegyrico Auſonii Gratianus, quod faciles interpellantibus præberet aditus, nec de occupatione cauſaretur; quinimo ubi poſtulata aut querimonias explicaſſent, percunctaretur, num quid præterea vellent. Titus frequens in ore habebat; Non oportere à ſermone Principis quemquam triſtem diſcedere. Ita qui Principem imitatur ac repræſentat, Principis Titi monitum opere exprimat, quo dicturi

ſturi fiduciam ſumant dicendi. Eoque ſalutantibus mutua officia rependet, vultu plano, prompto, hilari; ut videatur amare omnes, neminem odiſſe: doctus commiſerationibus indulgere, afflictos & exanimes ſolari atque erigere. Aderitque in colloquendo facilitas, in obvios compellando ſuavitas, in reſpondendo benignitas: eaque civilitate prodigum magis eſſe convenit (ſalva ſemper dignitate) quam parcum, cum nulla id fiat jactura. Ubique liberalem aut beneficum eſſe, ne maximæ quidem gazæ patiuntur. Blandus eſto: verba, munera facient: nec æque alia arte placebis. Quinimo tantæ humanitatem auctoritatis auſim aſſerere, ut gratior apud pleroſque ſit benignis negata res verbis, quam conceſſa moroſis. Spinas roſis, fel melli videtur ſubſtituere aut immiſcere, quiſquis benignitati auſteritatem; qua tamquam ſpongia omnis ſuavitas ac gratia abſtergitur. Quod ſit itaque Legati oculi geſtuſque, affectus ſint attractivi, candoriſque ac benevolentiæ velut emiſſitii quidam nuntii ac teſtes; inde conſequetur, ut plures ei fidant ac bene velint. Inde ad ſecreta penetrabit quadam velut cordium atque animi clave; clave magnæ virtutis & fortunæ. In quibus hæc comitas deſiderata fuit; mancum extitit quidquid præterea reliquæ virtutis aut fortunæ proceſſit. Sic Cæſarem quamvis

clementia, liberalitas, fortitudo, inprimis commendarent; odium tamen, conjuratio, præmatura mors oppreſſit, quod elatior populo blandiri, Senatoribus aſſurgere gravaretur aut neſciret: verbis quoque uteretur aſperis & inſtar ſerræ. Indecentes eorum mores ſunt, qui cum ſalutantur, nihiloplus commoventur, honoriſve rependunt, quam ſi ambulatoriæ ſtatuæ Maneſve ejuſmodi obſequio exciperentur: & quaſi putere alios putent, contracta nare faſtidiunt: ſatis humani, ſi ſuperciliosè contemplentur: qui, quidquid accidat, ſive quis rideat, ſive gemat, perpetuo truces & trunci manent, non aliter quam ſi mox pugnis certare in animo haberent; aut quaſi animal non riſibile ejuſmodi hominem natura finxiſſet. At inconcinna, inimicitiæ ſimilis & inſociabilis hujuſmodi moroſitas eſt.

Decumanum dogma dixero; à nimia familiaritate contemptum naſci, ab humanitate favorem; à majeſtate, cultum & admirationem. Præſtat etiam, virum ſedatum ac gravem dici, quam lepidum ac feſtivum, cui à claſſe fatuorum haud procul locus eſt. Quid etiam? affabilitas, comitas, facilitas amari quidem ſolet; at gravitas laudari etiam & coli: ſemperque faſtidium & ſatietas comites ſunt conſuetudinis & paritatis. Et vero quicumque ſurgere ac ſuſpici volet, inter-

dum

dum à populo ſe ſubducat, neque nimis vulgo ſe vulget. *Majeſtati major ex longinquo reverentia: continuus autem aſpectus magnos viros ipſa ſatietate minus verendos facit.* Viles etiam qui nimium civiles: atque infra ſuum aut alterius meritum ſeſe incurvare, adgeniculari, cervices tantum non conculcandas ſubmittere, officium videtur inofficioſe præſtitum, civilitate ipſa incivile. Quocirca cavebit Legatus, ne dum alienæ dignitati nimium conſulit, obſit ſuæ. Sapiet vero, & hic auream illam rebus in omnibus mediocritatem amplectetur, domi hilaris, foris compoſitus; ut neque odio, neque deſpectui jure habeatur, quod vel auſteritate triſtis, vel comitate diſſolutus ſit.

Moribus praætereà eorum ad quos mittetur, gravis ne ſit Legatus: facilis potius, quo facilius ſe ingerat. Nullius animo ſtudiiſve factioſe aut cavilloſe reluctetur, quaſi aut melior, aut ſapientior. Neque ob inſolentias, ineptias, luxum (Aulam ſi fecerint beatiorem) magnopere indignari conſpiciatur. Quin potius, ſi dignitas patitur, pulvillum cubito jacentium ſubdat, ac patiatur ſuum cuique eſſe pulchrum: approbationiſque oleo, quam redargutionis aceto uti malit. Sæpenumero dulce eſt deſipere in loco, reſpondere ſtulto juxta ſtultitiam ſuam. Sæpe utile aliquid de conſtantia mo-

rum

rum remittere, ut quorum conſuetudinem non damnas, affectum merearis. Quidquid uſus apud gentem ſtabilivit, pro honeſto eſt; quemadmodum leges, licet non ſemper optimæ, juſtiſſimæ tamen dicuntur, & parendi neceſſitatem imponunt. Quapropter ſi quæ melior apud exteras gentes viguerit conſuetudo; imitabitur, ſuam deponet aut ſeponet Legatus. Deriſus fuit, qui in conclavi ſobriæ Aulæ exiſtens, priuſquam admitti vellet, potum petiit, quaſi omnino loqui non poſſet, niſi colluto gutture. Et adeo quidem deriſus, ut jurarent omnes, jure Cretenſes inimicis ſuis impræcari ſolitos fuiſſe, ut mala conſuetudine delectarentur. E contra, ſcio Legatum, cui mores compoſiti & continentes maxime conveniebant & placebant, ſummam laudem promeruiſſe, quia conſuetudini gentis, quam adierat, non eſſet refragatus. Enimvero à cœna, choreis Magnatum permixtus, dum abſcedere protinus non liceret neque deceret, atque interim pro lege tripudii ac lubitu Matronæ, invitaretur ad tripudium; quid faceret ille? feminam principem pudore ſuffunderet? aliorumve mores aſpernando aut ſubterfugiendo damnaret? an vero ageret, quod neque didicerat, neque conditionis ſuæ ſanctitas patiebatur? Neutrum. Sed invitatricem ubi in medium cu-

biculi

biculi graviter & honorifice perduxiſſet, ſalutavit, locoque repoſuit.

Deinde rerum minimarum reprehenſio, imo obſervatio, vilitatem gignit. Prætereire quædam malim, quam perſtringere; non capere, quam carpere. Fuit è Parſis trivialis olim Legatus, qui, dum Cæſarem, cui ſolœciſmus ac illota quædam ſententia forte exciderat, redargueret; à toto negotio ineptiſſime deliravit. At Cæſar ad ſuos converſus, Vah, inquit, opinabar, rem mihi ſeriam eſſe, & cum Legato: at incidi in moleſtum Grammaticum, in magiſtralem dogmatiſten. Odioſa omnis cenſura eſt; adeo, ut de ſe perperam judicare quiſque malit, quam reprehendi. Imo cunctis id inſitum mortalibus, ut ſe miſeriores quam ſint exiſtiment; feliciores autem quam ſint, vederi expetant.

Ad rem quod attinet; ejuſmodi mittendus eſt Legatus, qui genio ſuo ingenioque non magnopere diſcrepet ab ea gente ad quam proficiſcitur. Unde qui naturæ amœnioris aut ſolutioris eſt, infelicius apud Hiſpanos, Germanos, Turcas, aget: & qui plus æquo inflatus aut taciturnus, Gallis diſplicebit. Tueatur dignitatem ſuam; & ſic facilis ſit, quaſi in ipſam gentem benignoiri quodam affectu pronus. Facilitas cum pondere ſuo libratur, detinet animos, jamque addictos

habet;

Digitized by Google

habet: quaſi benignam majeſtatem faciam, quam nemo deſpiciat, nemo etiam vereatur.

DISSERT. XX.

Gratus excipienti.

PRincipi ad quem mittitur gratioſus ſit Legatus, non gravis aut inviſus. Potens enim imperium affectus eſt in omnem partem: magna vis benevolentiæ, & hic potiſſimum ſpectanda. Qui placere petitor potuit, jam impetrare cæpit: adeo ut ab auerſo aut infeſto, ne ea quidem quæ æqua ſunt obtineri ſoleant. Sane quemadmodum conſultum non eſt, aut Magiſtratum odioſum plebi, aut inviſum Imperatorem exercitui præficere; ſic malis avibus ibunt ii, quos veriſimile eſt offenſuros, aut inacceptos vel ingratos fore. Diſplicet oratio, ſententia, res omnis, cujus perſona diſplicet; cum ab hoſtili dextera, utut blanda & picta, nil arbitremur amicum profuturumve porrigi aut promanare poſſe. Si Princeps Virginem ad nuptias per Legatum jam ſenem, imbecillum, & à Gratiis deſtitutum, ambiat; certum eſt non ita audiendum à Nympha, quemadmodum ſi quis efflореſcens ætate ac forma Mercurius, Amoris cauſam agat. Malignus ſpiritus, humani generis peroſor ac perturbator, ut plus fidei

dei venerationiſque apud homines ad ſeducendum impetret, præfigurat ſe interdum ſpecie exoptati auxiliatoris, etiam Angeli Lucis & Gratiæ. Et ſi parvis magna conferamus, Chriſtus ipſe, Dominus & Salvator noſter, divinitatem ſuam mortalium oculis inacceſſibilem, humana carne veſtivit; dein ut omnimodo, Legatione ſua, non poſſet non placere, & Homo factus eſt, paſſus & ſepultus eſt ut Homo. Prima urbis Romanæ diſcordia, ob ſævitiam fœneratorum nata, ſedari non potuit, niſi miſſo in ſacrum montem Oratore Menenio Agrippa: qui non tam quia facundus & ſapiens erat, quam quia populo charus (hinc quippe oriundus) placuit, pacemque perſuaſit. *Similiter* cum plebs ob injuriam Virginiæ ab Appio Claudio Decemviro illatam, in Aventinum montem ſeceſſiſſet; Senatus tres Conſulares Legatos, C. Iulium, P. Sulpitium; & Sp. Tarpejum, minus populares, miſit ad placandum. Sed ne admiſſi quidem illi, nedum reſponſum ullum tulere: ſed valida voce conclamatum eſt, ut L. Valerius & M. Horatius mitterentur: hos audiendos fore. neque quod æquum videbatur, ſed quod placebat, obtinuit: nimirum, ut non ſolum quæ nuntiarentur, juſta ac grata eſſent, ſed ii præterea qui nuntiarent, juſti & grati. Ita quidem populus affectus eſt: ſæpe non tam conſilium,

ſilium; quam auctor diſplicet: quinimo oratio quantum libet ſalutaris, diſplicet odio auctoris. Sane cum apud Lacedæmonios, turpis vitæ homo, commodam atque utilem tuliſſet ſententiam, populus eam rejecit, non auditam: eadem vero cum per Ephoros viro cuidam integræ vitæ ac fidei data eſſet, publice pronuntiata obtinuit. Nimirum averſionem ac nauſeam parit, quidquid è ſordido vaſe ſive effluit, ſive depromitur. Bonum igitur, probum, eximium eſſe Legatum volumus, ut ſi nihil aut pauciſſima in eo reprehendi poſſint, benevolentiam ſibi vel ipſa fama comparet, facilius dicturus acturuſque, ſi in anteceſſum animos virtutum encomio occuparit. Hoc conſilio Cardinalis Bembus à Leone X. ad Rempublicam Venetam miſſus eſt, cum de fœdere cum Cæſare ineundo Galloque abdicando ageretur. nimirum Venetus erat, & ſic non virtutibus tantum, ſed natalibus Patriæ charus. Extat adhuc oratio ejus, legitur, diſciturque. Sic & olim ad Caſſium, qui Rhodum obſidebat, miſſus eſt Archelaus Rhetor, à quo ille aliquando Græcis litteris fuerat inſtitutus: utpote, tanti diſciplinæ beneficium habitum eſt, ut ceſſura belli & obſidionis ratio videretur. Fuerunt nonnulli qui plus præſidii in benevolentia Principis, quam in eloquentia aliave virtute Legati,

gati, collocarent. Etinim cum Coſroëm Parſarum Regem gravi ſatis bello ſibi infeſtum Iuſtinianus haberet, & de morbo hoſtis intellexiſſet; Legatum miſit, & pacem petiit: Legatum, non nobilitatis ſplendore coruſcum, aut ſortis pulchritudine inſignem, aut virtutis decore eminentem; ſed medicum, tempori & occaſioni aptum; & eum quidem, qui alias quoque rogatu Coſrois à Iuſtiniano miſſus fuerat, Regemque ſanaverat. Quia amplius jam erat, convaleſcere, quam pugnare; vivere, quam vincere; felix Legatus medicus fuit, nam ægritudinem ſimul & bellum profligavit.

Ut autem Legationes acceptiores ſint, precibuſque accedat gratia precantis; etiam qui ab hoſtibus capti detinentur, ab iiſdem Legati ad ſuos mittuntur. atque hoc exemplo Regulus à Carthaginenſibus miſſus eſt ad Senatum, & ab eo, ut hoſtium Legatus, auditus fuit extra urbem. Dum raptis matronis virginibuſque Sabinorum diutino atque acerrimo bello pæne attriti eſſent Romani, nec ſpes ulla diſſenſionis componendæ affulgeret; viſum eſt Senatuſconſulto raptarum præcipuas apud gentiles & cognatos ſuos Legatione fungi, meliora & mitiora precaturas, viciſſimque pollicitaturas. Itaque ubi ad Regem venere, Legationis Princeps Herſilia, lugubribus lacrymis luctuque

con

conſpurcata, miſerabilem orationem elamentata verius, quam elocuta eſt. Tum omnes humi proſtratæ rogaverunt; Suos infantes, quos ſecum duxerant, reſpiceret, ſanguinis Sabinorum recordaretur, commiſeraretur, tandemque ſuis viris, domo & pace Rex frui pateretur. Placatus condoluit Rex (erat quippe inter barbaros urbanus) & quod armis aut vi viri ſperare nequiverant, feminæ Oratrices perfecere, tantæque diſcordiæ conciliatrices extitere. Non parum itaque profuerit tam mittentibus, quam miſſis, ſi oſtentatione ac commemoratione earum rerum quibus ſe gratioſos fore confidunt, ſeſe iis ad quos mittuntur affectu & gratia inſinuent, ac velut acceptiores efficiant. Quod ut Romani jam commemorato ſtratagemate per Sabinas prudenter fecere; ſic parilis induſtriæ par felicitas extitit, dum Veturia mater & Volumnia conjux ad M Coriolanum, vere Martialem illum, urbem obſidione coarctantem miſſæ, felici Legatione Romanum imperium certo funeri exitioque exemerunt: quippe duos ex eo gnatos, chariſſima atque unica pignora, ſecum ducentes, ubi in conſpectum venere; ipſus jam obviæ matri in complexum proruit: at illa ſalubriter & caute affectus indicia occultans, Fac, inquit, intelligam, hoſtemne an filium conſpicer atque complectar: mancipium-

cipiumne an mater venerim in hæc caſtra, ad hæc bella civilia, ecquam incivilia! Scilicet huc me longæva ſenectus protraxit verius, quam produxit, ut te patriis ſedibus laribuſque extorrem, jam inimicum non modo intelligerem, ſed nimio experirer! Potuiſtin, chariſſimæ quondam patriæ, parentis proliſque dulciſſima nomina & pignora ſic deſerendo deſtruere? Equidem, ni peperiſſem te, jam vitæ non tæderet me: non oppugnaretur Roma, quæ hactenus tutrix & altrix tui tuorumque. Denique, niſi te filium habuiſſem; haberem, nunc dum vivere nimio dolori & pudori eſt, facultatem libera in patria libere ſaltem moriendi. Hoſce matris, conjugiſque lacrymis liberorumque diſſuaviationibus permixtos, gemitus queſtuſque, mœſtus & ipſe excepit Coriolanus, propediemque caſtra ab urbe removit.

Sed hic inprimis colenda atque æſtimanda Legato erit probitas, integritas, virtus omnis, tum ipſa propter ſe, tum quia multum valebit ad auctoritatem, gratiamque apud adeundum Principem comparandam. Credimus enim, quos exiſtimamus candidos & apertos, nihil ex occulto aut inſidiis agere, ſed boni rectique eſſe cultores: eiſque omnia tuto committi arbitramur. Nec ſolum perſuaſum nobis eſt, non poſſe nos ab iis decipi; ſed neſcio qui conſcientia & huma-

manitate ducimur, ne iis imponamus. Sic paulatim efficitur, ut Legati tam indubitatæ virtuti & rectitudini fidens Princeps, cum omnia quæ ab ipſo proficiſcuntur, à pravitate libera exiſtimet, ejus quoque Principi amicior reddatur. In quo fere omnium negotiationum cardo verſatur. Etenim cum in omni opere ad aliquem ſcopum collineandum ſit; is initio ſcopus ſpectandus erit, ut Principem, apud quem functionem ſuam obibit Legatus, quanto majore quidem poterit affectu, Principi ſuo conciliet atque devinciat: non ſolum, quia Chriſtianæ charitatis & communis humanitatis officium eſt, jacere ſemina benevolentiæ mutuæque concordiæ, ſed etiam quia plurimum valet, ad perſuadendum atque obtinendum id quod voluerit Legatus, diſpoſuiſſe ac commoviſſe eorum animos quibuſcum agitur, ad benevolentiam eamque ſinceram. Eveniet autem, ut Legati Princeps, ab Principe quem acceſſit, diligatur, ſi huic apte perſuaſum ſit, ſe viciſſim ab altero Principe diligi. Vetus namque & prudens eſt monitum:

——— *Vt ameris, ama.*

Et quemadmodum ſilices inter ſe contriti emittunt ignem; ſic magnorum ſpirituum mutuæ benevolentiæ, amoris flammas, & beneficiorum commoda. Quocirca nullum tempus amiciſſimi animi declarandi prætermit-

mittet Legatus: lætari ſuum Principem rebus ejus ſecundis, dolere adverſis, commoda ipſaque vota communia cenſere: propenſo & anhelo eſſe animo ad quodvis obſequium præſtandum: idque Principem numquam non declaraviſſe. Tum ſi quid præclarius geſtum per externum Principem fuerit, id magnopere ab ſuo æſtimatum. Inſinuanda hæc hujuſmodi, verbis, ſententiis, geſtibus, lociſque maxime opportunis & convenientibus rei atque indoli Principis ineſcandi: adhibitis aliis nonnullis mediis, quæ uſurpare, quam ſcribere erit facilius, quia circumſtantiæ & res tangi poſſunt, videri poſſunt, prævideri non poſſunt, nedum exprimi.

Quemadmodum vero variæ eſſe cauſæ boni affectus ſolent: ita & mali. Ac neſcio quomodo facilius odimus, quam amamus: & utrumque tamen levi vel incognita ſæpe cauſa. Quoſdam primo ſtatim intuitu averſamur & fugimus: quoſdam protinus deligimus, interdum quoque vix cognitos aut viſos. Cujus ſympathiæ atque antipathiæ cauſam ad horoſcopi & ſtellarum conſenſum curioſa doctrina refert: plurimum ſcilicet intereſſe ad indolem ac fortunam cujuſque, quibus ſub planetis animam hauſerit, primos vagitus ediderit, lucem ſenſerit. Sed mihi lubet amplius etiam naturam admirari,

cum homine, hominis opus inſpicere. Duarum teſtudinum alteram, haud longo ſpatii intervallo, alteri ſuppone: tum enim ſi nervi utriuſque tono diſſentiant, licet unius chordas pulſes, alterius mutæ ac velut torpentes manebunt, nullo ſono ac motu: at vero ſi eadem tonorum utrobique intenſio remiſſioque fuerit, unam ſi pulſes, ſimul & altera pulſari videbitur, & arcana vi ſua Echonis inſtar reſonare, tamquam pari modo & arte contracta. Et adeo quidem hi quoque nervi contremiſcent, ut ſi forte ſtramen iiſdem, minime, inquam, impulſis, ſuperimpoſueris, idem ſtramen & moveatur & ſubſiliat ad numeros: quod tamen alias in chordis diſcordibus neutiquam eveniet. Diceres inanimatis ſic conformibus, & in concordiam jugatis, ſenſum quemdam ineſſe, qui affectum alterius provocet, eumdemque recipiat & exprimat. Videntur igitur animi & ingenia noſtra non diſſimili ratione tangi & ferri. Et Princeps quidem à Legato advena multis de cauſis alienus eſſe poteſt. Inter alias, ſiquid acciderit, quod moleſtum ac grave ei ſit: deinde ſi ingenium Legati atque mores diſplicent: præcipue vero, ſi ejus ad quem proficiſcitur ſubditus fuerit; nunc quaſi deſertor ſub alio vivere maluerit.

Ut autem placere ignotus poſſit, indolem

lem geniumque excipientis obſervabit Legatus. Præterea cærimoniæ modusque actionum & geſtuum religioſe implendus eſt, qui primæ ſcenæ debetur. Hæc enim boni affectus limina ſunt, hæ lineæ, hi gradus: hinc, aut felix aut infelix in negotio tractando progredietur. Et quantum, Bone Deus, momentum! Experientia docet, rem eamdem iiſdem rationibus & argumentis propoſitam atque explicatam, quia non æque concinne ac auſpicato cœpta ac præparata erat, quia non in animos pariter affectos incidit; hic admiſſam, alibi rejectam eſſe; iſthinc negata, illinc conceſſa quæ poſtulabantur. Nimirum alius Princeps, alia natio, alii mores & ritus. Hinc interdum evenit, ut quod ille Legatus aliquot annorum ſpatio vix ſperare aut tentare auſus fuit, alter breviſſimo tempore perfecerit. Sed ut Principem moveas, gentis quoque univerſæ naturam attendendam dixi, ut ſingula facili ac propitio quodam favore fiant, tamquam Favonio undique aſpirante. Incredibile autem eſt, quam tenues leveſque remoræ, jam pæne dixerim, nugæ & ineptiæ, res maximas & maniſeſtiſſimi juris conturbent & convellant. Ad exempla provoco, tam novitia quidem & vicina, ut conſpici, vel me tacente, queant: nimirum, quia ad Annales venient, po-

ſteris, admirationi erunt.

Cum igitur affectus tantum valeat inter homines, ut eo aucto vel imminuto facilis vel difficilis ſit omnis petitio, negotiatio, tractatio; cavebit inprimis Legatus, ut ſi non tenero affectu à Principe externo deligatur, certe non ſit odio. Deinde adjunget ſibi quoque, ſi fieri poſſit, comites, quos ſciet ei, ad quem eundum eſt, amicos & acceptos fore. Hac ſane ratione, vel placere magis ipſe poterit, ſi ingratus non erit, vel minus diſplicere, ſi non omnino gratus. Quibus omnibus neglectis, negligetur fortaſſis ipſe, & infelicem Legationem reddet. Infelicem? quid ſi turpem quoque? E neglectu contemptus naſci ſolet; & dum ſibi indulget Principis averſior animus in aſperiora gliſcit, audetque odio injuriam adjungere; & rurſus magis averſari ſi quem læſerit. Nam id habent peſſimum animi magna fortuna inſolentes, quos læſeſerunt, etiam oderunt; ut injuriam inferendo accepiſſe videantur.

Denique ſi gratus & acceptus fuerit Legatus Principi, ejuſque miniſtris & aulicis quibuſcum agendum erit; contentioſe ſcribent illi quoquoverſum, quam magnifice & prudenter ſe gerat: & tantum aberit, ut hi viam aut januam negotiis ejus umquam obſtruant, quin etiam favori & honori ſibi tribuent,

tribuent, petita commendare. De inviſo nihil laudis, vix veri quidquam audietur: nil lætum aut facile exſpectetur.

Accidit ſemel, ut Princeps ſtudio protrahendarum rerum, miſerit plauſibilibus inſtructum mandatis Legatum, quem non ignorabat fore minus acceptum; utpote alias profugum & proſcriptum: miſerit vero, quaſi id neſciviſſet. Ita impetratum, ut protinus alium ſibi mitti petierit alter: & ille quam deſiderabat, nec petere poterat, moram ſuis negotiis obtinuerit, remoram alienis.

Vt autem acceptior ſit Legatus, non ſolum litteras Credentiæ & commendatitias Princeps ei tradit, ſed præterea quaſdam interdum ad Magnates aut miniſtros, quos in adeunda Aula notos atque devinctos habet. Legatus quoque priuſquam itineri ſe dederit, ſimiles litteras ſibi conquirere ſolet ab Legato adeundi Reges, qui apud ſuum forte reſederit. Et quia forte incidet in homines vanos, compoſitos ad arrogantiam, & quos ſi non recte compellare, contemnere videatur; quorum interdum ſapientia vix extra vel ultra ejuſmodi cærimoniarum limites exurgit; glorioſum atque utile Legato hic erit, ipſi non ſolum Principi, ſed unicuique Magnatum, qui conveniant honoris tituli, intelligere: ut quemadmodum

Principes, virorum meritis dignitatem tribuunt;. ſic ipſe qui Principem repræſentat, cuique dignitati condignam appellationem.

Quid ſi Legato hic quoque gratitudinem obiter inculcem? Illam dico, quæ obſequium Principis non patiatur modo, ſed validius promoveat? qua gratum, memorem & benevolum, pro impetratis beneficiis, & in commune bonum, animum promat? qua etiam ab generoſo pectore plura & majora ſperare poſſit. Suaves & potentes beneficentiæ nexus, quibus, ceu compedibus, animi illigantur! Aliqui dum ingratum experiuntur, non tantum à beneficiis beneficam manum retrahunt; verum ad odia, ad everſiones extendunt. Quo fit, ut citius cum inimico, quam cum in grato in gratiam redeatur.

DISSERT. XXI.

Non adulator.

AB ſit vero, ut Orator noſter cujuſpiam adorator vel adulator jure videatur. Alibi Echo reſonet, alibi palpum obtrudat, qui tamquam conductitius præco, ad alterius voluntatem ac voluptatem omnia refert. Profecto Veritas & Sinceritas vinculum ſunt fulcrumque humani commercii & regiminis politici; nihil Princi-

cipi-

cipibus magis neceſſarium, nihil magis deeſt. Has Adulatio, humanæ ſocietatis venenum præſens, occultat, adumbrat, fraudat: non minus itaque vitanda animo, quam illud corpori. Fridericus Cæſar potentiſſimus, ſuaviludios ac fumivendos, ut peſtes execratus & averſatus eſt: interrogatuſque, anne moriones ſaltem ad convivia admitteret; Neque ſtultis aut vaniloquis, inquit, delectari poſſum, neque ſuperbis eſſe amicus. Dum Socrati vir Princeps occurreret, ſtipatus quam plurimis quidem aſſectatoribus, ſed aſſentatoribus; Vali, Heros, inquit, miſeret me tuæ ſolitudinis. Cælius ſenator clienti ſuo ubique ſibi conſentienti, iraſcens exclamavit: Dic aliquid contra, ut ſimus duo. *Vtinam frigidus eſſes aut calidus*: (ait Scriptura) *ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus; incipiam te evomere ex ore meo.* Ne Faunus quidem, ut eſt in fabulis, negotium ſibi eſſe voluit cum homine, quem animadverterat uno ore calidum ſpirare frigidúmque. Sciendum profecto, omnes palpones, ſimiles eſſe papilionibus, qui late circumvolitant, atque aſpectu pulchri ſunt, re noxii. Erucam vide: hinc naſcitur: quæ & ipſa varietate colorum picta, arborum folia, flores, fructuſque, & omnem anni ſpem depaſcit. Indubie, minus errori obnoxius

eſt, qui quo ſit eundum, ſolus divinare & ſtatuere debet, quam qui directionem ab eo accipit, qui ſtudio in devium deducat. Dicebat Galba Piſoni: Ego & tu ſimpliſſime loquimur; ceteri cum fortuna noſtra libentius quam nobiſcum: nimirum purpuram venerati, non hominem. Hinc ille apud antiquos: Nec nimium thuris tribuere eſt Diis immortalibus, nec ſatis blanditiarum Dis terræ. Nimirum, plurimis inponit philautia, id eſt, ſui amor & ignoratio: qua quis non modo ſeipſum diligit, ſed diligi prætcrea credit; imo quaſi dilectionem imperaret, & ſimul fortunam, utramque blanditiis metitur: craſſo prorſus errore. Vidi qui credebatur petitioni ſupplicis favere non velle, imo reluctari velle; quia dum opitulari ſe non poſſe prævideret, è re ac circumſtantiis oriundas vel timendas difficultates exponeret. Vidi qui dubitaret de fide Iudicis, quia repelleret oblata: odiſſe videbatur cauſam pollicentis, qui paciſci recuſabat. Quaſi vel affectu vel munere corruptus ſit, qui incorruptus perſiſtit.

Sed quin Ciceronis illud valeat: Sine fuco ac fallaciis, more Majorum. Utinam! Nec male inverſus verſiculus;

Appare quod es, aut eſto quod appares.

Sed heu pudor, heu dolor! nunc prorſus rari ſunt, qui vere ſerii & ſinceri: plures ſimpliſ-

ſimis

ſimis blanditiis, & quaſi innoxia quapiam ſimplicitate verſutiam tegunt; promptiores fallere Vlyſſeaſque artes expedire, quo viri boni officium manifeſtius videantur exercere. Nimirum Fama candoris ad decipiendum tutiſſima eſt via. Hanc famam captat quiſquis adulator, vitio animi ignavi, timidi, futilis & abjecti; ut credatur, fraudare nec ſolere, nec velle, ſed omnia ex animo facere & dicere, non ex arte. Certe ſi quem recte & rotunde procedere conſpicimus, ſemotis cærimoniarum & palpationum nebulis; hunc eſſe fidelem opinamur, tituloque Boni Socii donamus. Contra, ſi quem ficte aut fucate agere, quoniam ſtrui nobis inſidias veremur, nil minus præſtamus, quam ſimili artifici aſſenſum. Quin potius deligenter animadvertimus & notamus, quam opportune verba promere, vera premere & pervertere, ſuaque promovere nitatur, non quam ſincere aut ſalubriter. Etiam creſcit fugientis perverſitas animi; & tamquam latere nequeat, per jactantiam aut intemperantiam ſe prodit. Ut olim Leontinus Gorgias & Hippias ſophiſtæ, in illa quinquennali celebritate ludorum; ſic non ita pridem ſciolus quidam aſſentator, in publica muneris claritudine obſcuriſſimus, huic culpæ obnoxius fuit: qui ſe ſuper omni ſcibili univerſim doctum, at-

 que

que inſtar Altiſſimi, nihil neſcire gloriabatur; quod inſtructus eſſet cognitione generalium aliquot dogmatum ac ſcholaſticarum tricarum, tum quibuſdam confuſis ac obſcuris effugiis, quibus vel irretiret antagoniſtam, vel ipſe elaberetur. Nempe plurimum pulveris & fumi contradicentium oculis effundebat, quo impetraret, ut ſi non ſubſcriberent, cederent garrulitati. Prudens etiam ac politicus audire geſtiebat, quod jactaret, ſe lectitaſſe atque evoluiſſe omnium claſſium Atheos. Quid lectitaſſe? imo quintam eſſentiam (verba ſunt) ex eorum tenebris diſtillaſſe atque eruiſſe. Vtque religioſe legiſſe videretur, prerogativam à Pontifice ſibi indultam oſtentabat amplo diplomate. Quæ tamen conſultius ſingula occultaſſet; non ſecus quam emplaſtra, quibus quiſque vulnera & ulcera curat & condit, non plateatim prædicat vel oſtentat. At non omnis ille Philoſophus, qui facienda dicit, ſed qui facit dicenda: nec ille quidem Politicus, qui putat ſe ſcire pleraque, ſed qui ſcit quæ nō putant plerique.

Intelligat itaque Legatus, qui candorem & fidem in aliis requirere & æſtimare fas. Qui autem iiſdem utendum ſit, ex cujuſque perſonæ, negotii & loci commoditate diſcere poterit, non uno hoc ſcripto. Illud tamen monuero, inprimis caveat, apertæ adulationis aut ſubdolæ machinationis turpitudine

tudine notari aut innoteſcere: quod rebus agendis plurimum obſit. Credideris? Audio Legatum ſuo muneri aptiſſimum quidem extitiſſe, nihil tamen bonæ rei tractare aut peragere potuiſſe, quia is alium quemdam Regem, juxta quem Legatione functus fuerat, manifeſte nimis, nec caute vel excuſate ſatis fefellerat. Monuero inſuper: Si externus Princeps circumveniendus, nec hoſtis tamen fuerit; id ipſum ſic fiat, ut verſutia ſi deprehenſa ſit, magis è rebus ipſis, earumque natura & circumſtantiis profecta videatur, quam è pectore Legati. Nimirum integritatis exiſtimatio ſalva permaneat: qua velut virtute, tute rem faciet & promovebit. Imo, inquam, ipſis dolis, facile, improbandus quiſpiam caſus aut error appingetur aut affricabitur: quaſi procul à mente & malitia Legati ſcelus omne, viri utique maxime candidi & veracis. Monuero etiam Principes, diſpiciant ſemper, quantum hominum & præſertim Legatorum amicis conventionibus, phaleratis verbis, quantumlibet jurejurandi religione vallatis, tribuere debeant. Sæpe enim

Aſtutam tacito ſervant ſub pectore vulpem.

magis etiam ſub vulpe tygridem & lupum. Interdum blanda manus aut ſpongia, inimici propoſiti novaculam abſcondit & aconitum. Legato cujuſdam Regis vultus erat placidus & liberalis, os modeſtiæ

 hono-

honore ſignatum, geſtus candori proprius, nutus & color qualis eſſe ſolet animo tranquillis & innoxiis, loquela nil niſi manifeſtam pietatem ſpirabat. At externus Princeps ubi cum Legato tamquam cum mente ſua proloqui, & reſeratis arcanorum clauſtris perfidiam quoque paciſci cœpiſſet, tandem illuſus fuit ſuo candore, eoque ſtratagemate, quod nemo extra comœdiam narraret: Et heus, inquit, nihil ſeria inter & jocos ſincerum, nihil purum ſenſi; laruam vidi, non faciem. Erat quippe expertus doctiſſimam hominis innocentiam, vulpinam ſanctitatem. Qui eò tamen magis laudem præmiumque apud ſuos merebatur & accepit, quia tela quæ in ſuum Principem alter cudebat & vibrabat, in auctorem retorſit.

DISSERT. XXII.

Publice ſpectabilis.

AD certamina publica ludoſve non accedet, niſi præmeditatus & inſtructus. Non enim committere debet, ut ſpectantibus riſui ſit, dicaturve ignarus vel ignavus: id enim ſine exiſtimationis ſugillatione non contingat. Iſocratis ad Dæmonicum ſententia eſt: Quoties in laubabilibus verſaberis negotiis; fac quamplurimos ſpectantes velut virtutis tuæ teſtes habeas:

ſi qua

ſi qua re inhoneſta contigerit te delectari; fac clam id perpetres, ac ſemotis ſaltem arbitris turpis ſis. Qui raucus, balbus aut blæſus eſt, non præ omnibus garrulus aut vocalis eſſe debet (ſtolidorum ac vulgarium ea turpis conſuetudo, qui id ſtudioſiſſime agere videntur, ad quod ſunt minime idonei) ſed elocutionis ſuæ hallucinationem ſilentio & auſcultatione compenſare. Naturæ namque defectus arte ſupplendi ſunt. Architecti ſpecioſiora ſolent frontiſpiciis præfigere, ad laudem & ornatum magis, quam ad uſum; & ſic ad uſum. Ridiculum ſe præbuit Legatus, qui à quodam Magiſtratu in encæniis *invitatus*, ut pſittacum arcu baliſtico, è celſa turris cuſpide præfixum, jaculari dignaretur. Conatus enim aliquoties, tantum abfuit avem dejiceret, ut numquam tacturus crederetur animal quod divo Lucæ appingitur. Defectus quiſque ſuos, & è contrario elegantias examinet: illos ut tegat, has ut detegat & oſtendat. Male ambulabit, cui greſſus deformis eſt: male equitabit, qui regere frenum neſcit. Claudicare, & ſic diſcurrere, turpe eſt. Sed aliqui vel in ipſo equo claudicant, ephippio tamquam ſarcinæ hærent. Equo vehi, pulchrum eſt; ſed ſi vecti & vectoris velut corpus idem, idemque motus & inſtinctus, & ſi Centaurus exprimatur, Attende qui placere publice cupis:

Quodque potes vitium corporis abde tui.
Corporis? etiam animi & fortunæ. Quanto præſtantior habebere qui imperabis, tanto facilius impetrabis. Sic plures Principum, dignitatem atque auctoritatem ſuam cautiſſima impotentiæ diſſimulatione conſervarunt; & quia tegere potuerunt, quam invalidi eſſent, vires acquiſiverunt. Mercatorum quoque cenſus & fortunæ, non adeo opum magnitudine, ſed vero jacturæ, imo inopiæ apud alios ignorantia, tum fide & opinione opulentiæ atque proſperitatis, conſtant.

Ceterum Legatus coram aliis atque in publico, fronte erit, non continuo quidem ridibunda aut ridicula (fatuorum iſtud) ſed læta, exporrecta, & tali fere quam integerrimo Iudici convenire ſcribit Iuſtinianus. Et quia ex oculis plerique conjiciunt de animo; & fere ut horologium, temporis, ſic facies affectuum indice conſtat: quantumvis res perperam ſuccedere, ac velut retroagi videatur; hilaritatem vultu, dolorem corde ſuſtinebit.

Illud etiam advertet Legatus, ne cuiquam interſit negotio, quod cum jactura vel ignominia præſentium conjunctum ſit. Ut enim culpa nulla interceſſerit, tamen ejus exiſtimatio contagio inquinabitur apud malevolos & imperitos; ut contra, victoriæ rebuſ-

rebuſque proſpere geſtis qui interfuit, etiam nullo ſuo merito aut conamine, communis honoris laudiſque fit particeps. Similiter auctoritatem hic ſuam magni faciat, nec eam interponat ubi veriſimile fuerit eam contemptum vel neglectum iri. Tum nequaquam ſeſe immiſceat rebus, quas alium, quam ſperaret aut deceret, effectum habituras prænovit. Pharmaca ægris data, ni morbum levant, elevant.

Inceſſus in publicum non ſic celer ſit aut præcipitatus, ut videatur cujuſpiam medici, vel conducti veredarii; nec ita teſtudineus, inſolens aut affectatus, qualis foret ſponſæ, vel comœdi mimicam gravitatem exprimentis. Quid ſi tamen negotia præcurrant; tardus ſit Legatus? Ejuſmodi urgere & incitare poterunt negotia rerumque momenta, ut etiam volare decorum & neceſſum fuerit. Sic currat, ut comprehendat: & quæ pedibus aſſequi non poterit, conſilio & mente præcedat. Et tamen ſi & coram feſtinandum fuerit, nec opera aliorum commode uti poſſit, rhedæ vel equi velocitate utetur; & illius quidem decentius, quam iſtius. Alioqui greſſus præcipitatio, levitatis indicium eſt: hinc quoque judicium formatur anxietatis, etiam adverſitatis, quæ ſic agitet currentem. Hinc Plautus;

Libe-

Liberos homines per urbem modico magis par eſt gradu Ire. Servile eſſe duco feſtinantem currere.

Fuge, Legate, qui magna magis probare & præſtare debes. Quod ſi ingenti graveris pondere; ne properes, onere ab ipſo impediris: ſi ne graveris quidem; quid opus eſt feſtinato? Magnarum item rerum ea conditio eſt, ut non velociter aut repente cieantur, nec niſi intervallo moveantur aut mutentur. In corporis quoque motionibus congruentem naturæ proportionem ſervabit Legatus: flexos fractoſque motus mollium & effeminatorum virorum, agreſteſque & triviales proſus fugiat. Motiones iſtæ (ſæpius inculcandum) mores indicant; præſertim apud illos quibus neutiquam contingit audire loquentem Legatum, ſed qui dumtaxat vident. Profecto non ſufficit quædam bene fieri, niſi fiant & belle. Obſonia, alioqui opipara & lauta ſimulque ſalutifera, vix attingimus, & nauſeam potius provocant quam orexim, ſi ſordide ſubminiſtrentur.

Si Princeps peculiari & publico afficitur gaudio vel honore, (dum coronatur, victoria potitur, primogenitus natus eſt) minime torpebit aut latebit peregre qui eum repræſentat; ſed vero etiam extra privatos parietes ejuſce ſigna lætitiæ conſpicua & ſonora proculſaciet. Inter artificioſos arcus & ignes,

ignes, vaſa vinum fundunt: convivia, choreæ, haſtiludia, & quæ non paucorum mereantur invidiam, inſtituantur. Nuper duorum Legatorum, nec nimio amicorum, contiguis tamen ædibus degentium, alter ob ortam noviter Regi felicitatem, ſui ſtrepitus & ignis copia, alterius domum penitus fumeam, pæne ſurdam reddidit. Dumque manifeſta ſancti Spiritus deſignatione potius, quam admirabili piaque conſpiratione, creatus eſſet VRBANVS VIII. Pont. Romanus; conſpicua ſuæ gratulationis teſtimonia Bruxellæ ediderunt Ill^mi & R^mi Cardinalis Alphonſus de la Cueva, & Io. Franciſcus ex Comitibus Guidiis à Balneo, Suæ Sanctitatis Nuntius. Et illius quidem Palatii tres turres, artificioſis ignibus & lucernis diſtinctæ, inuſitatam ſic decore & ſplendide conſtellationem referebant, ut mille conjecturis encomiiſque populus circumluderet: alius Tiaram Pontificiam ceu Cornu Copiæ, alius triplicem Eccleſiæ Hierarchiam, alius denique tria alvearia atque examina cæleſtium apum exprimi diceret. Tonitruantes catapultæ, pyroboli ſeu miſſiles in omnem urbis regionem lætitiæ ignes, tubæ, tympana, tibiæque, celebria & luculenta felicis auſpicii & augu... ..dicia extiterunt: adeo quidem, ut nullus non ſpectantium aliquà afficeretur admiratione, nullus non ſenſuum

ſuum aliqua oblectatione. Apoſtolici vero Nuntii ædes, ignitis pariter arboribus, flammivomis vaſibus, ſclopiſque viciniam omnem procul illuſtrem & ſonoram reddiderunt: pulſæ tædis undique tenebræ, & vigili gaudio nox tota. Quid affectus, quid ingenium poſſit, non obſcure utrimque demonſtratum eſt. Hinc diſcet Legatus, ut quæcumque ediderit publica illuſtris lætitiæ ſpectacula, invẽtione inprimis appareant rara & ſignificativa, ſumptu magnifica, indicia bonæ ſortis & ſpei.

Duas autem refert Legatus perſonas, alteram ſui-ipſius, alteram Principis. Quemadmodum ii qui in theatro, Hectoris, Alexandri, aut Cæſaris dignitatem æmulantur, dum publice agunt, nihil non regium ſonant & exhibent: verum ubi ſe intra cortinas recepere, donec in theatro adhuc ſpectandi ſunt, veſtem & ornamenta quidem non deponunt, adſcitiam tamen majeſtatem & gravitatem ponunt, ſolitam familiaritatem reſumunt & uſurpant: ſic Legatus in admiſſionibus, congreſſibus, triumphis publicis, ne latum quidem unguem ab decoro recedere debet, ſed Regiæ exiſtimationis ſemper meminiſſe: verum tamen privatim, in colloquiis conviviiſque ſemotis, licet Legatus eſſe non deſinat, gravitatem illam publice ſpectatam, in nativam comitatem & liberiores mores convertere poteſt: ut videatur hic

malle

malle apparere quis ſit, quam cujus ſit.

Ceterum in victu, veſtitu, ædium ſupellectile & ornatu, famulorum & aſſeclarum numero & cultu, reliquos Magnates ſuperare Legatus poteſt, Principem tamen externum neutiquam æquare: quaſi ut eum quopiam pudore afficeret, emiſſus & egreſſus. Dum quidam ingloriis ortus parentibus, ſed affectu ſui Regis, apud exteros Legatione fungens, exteriore omni cultu hic ipſo Principe ſplendidior appareret; atque inde quiſque ei ſtudioſius detrahendo, occineret, non cantica virtutis aut meriti, ſed eum eſſe oriundum patre mercatore, matre mechanica, proavis humillimis: Quid dixerimus, ait Princeps, hunc eſſe impium, an imprudentem, qui parentes ſic ſuos exhumat, atavoſque citat è ſepulcris? Scilicet hominis ignobilitas magis excuſata latuiſſet, ni fatuo luxu faſtuque ſe prodidiſſet. Et ne ſic quidem eo Principis ſarcaſmo redargutio finita eſt, ne limitibus etiam iſtiuſce Regni terminata: ſed protinus in patria ab aliis qui ibi anteriore Legatione, minus autem pompatice, functi erant, pro apophthegmate indies celebrabatur. Et quam exteros interdum nimius Legati ſplendor offendere poſſit, docuit Ariſtagoras Mileſius: is apud Spartanos adverſus Perſas auxilia petens, quia cultus & apparatus luxu diffluebat, admo-

admonitus fuit, ut apud ſuos, non in virtutis urbe, eo vanitatis & prodigæ oſtentationis genere uteretur. qui ornamenta non ferrent, auxilia ornatis denegare.

Ceterum qua magnificentia Legato utendum ſit, ægre regula aut methodo una definias. Nam pro Principum facultate, reique quæ agitur gratia, apparatus ille ceteraque omnia grandiora vel arctiora eſſe debent. Dein ſplendorem hunc alii aliter æſtimant. Septemtrionales metiuntur eum apparatu menſæ, velut fumo culinæ. Ii vero qui ad Meridiem, non tanti pendunt quod per guttur illabitur, ſed magis quod in numeroſo comitum, equorum, rhedarum & famulorum ſtrepitu atque ornatu, omnium oculis procul affulget. Interdum Legato, ut in illuſtri Legatione ſpectabilior appareat, inditur titulus majoris nobilitatis, Ducis Marchionis, Comitis vel Baronis, & conceduntur danturve ipſa monilia atque utenſilia Principis. Obſervare etiam eſt, in Legationibus ad certamen ſplendidis, Hiſpanos Galloſque ſæpius contendiſſe, non tantum ne agendi aut veſtiendi modo convenirent, ſed ut maxime differrent: neque adeo ut ſplendidiſſimi eſſent, ſed ne quid ſplendidius adeſſet aliis.

Diſsert. XXIII.

Religionis, Veſtis & Vrbanitatis patriæ tenax.

INter reliquas Legati virtutes, imo ante reliquas, niſi maxime Pietas luceat, in vanum fere quidquid molietur. Ideoque ſacros gentis ſuæ ritus colet Legatus; ſi publice quidem non licuerit, privatim licebit. Quinimo etiam innoteſcat publice, cum privatim pium eſſe: hoc enim erit vere eſſe, & probitatis fidem in negotiis mereri. De atheo aut in Religione vacillante, firma integritatis opinio non ſit. Refert Ariſteas (hiſtoria L X X I I. Interpretum) quod ubi in Alexandriam ab Eleazaro ſummo Sacerdote Iudæorum hos Sacri Scripti Interpretes adduxiſſet; juſſiſſe Regem Ægypti,ut his qui à Iudæa venerant, conſueta omnia præberentur ad oblationes & ſacra, prout cuique genti mos foret. Non tamen ſuaſerim Legato, ſtupenda in fanis latitatione, neglectis iis quorum cura eum maxime ſolicitum tenere debet, omne otium conterere, aut Sanctuli nomen geſtuſve affectare. Quippe non ab ſpirituali oratione Orator eſſe dicitur, ſed ab ea qua Principis Regnique decus & tranquillitatem afferat, ſtabiliat. Bonus animus, gratiſſimus Deo cultus

cultus eſt: & optime oraverit, qui officio gnaviter functus, patriæ incolumitatem procuraverit, unde tot hominum ſalus, virtutiſque & pietatis exercitium dependeat.

Non divinæ tantum, civilis etiam reverentiæ cærimonias quiſque è ſua civitate feret; non vero illorum apud quos divertitur, aſſumet vel affectabit. Ni fiat; non jam amplius ex more gentium officioſa humanitas, ſed ſubjecta humilitas, abjectaque adulatio dicenda eſt. Adorationis in modum genu ſupplice procumbentes Regem ſuum ſalutant Tartari: eadem civilitate apud exteros utuntur eorum Legati. Itaque ſedile accedentibus offerre, error ſit. Neque enim illi quidquam demiſſius agunt quam Legationis dignitas ferat, ſi domi uſitatam, moribus noſtris peregrinam ſalutationem exhibeant. Ne illaudata quidem Legatorum Moſcoviæ Regis ſive tergiverſatio ſive conſtantia fuit; quod vix, ac ne vix quidem induci poſſent Romæ, ut Pontificis Gregorij X. pedes exoſcularentur, quod Regibus eorum is mos & honos eſſet incognitus; donec edocti, ſummo univerſalis Eccleſiæ Præſuli, ſpiritualium rerum regimen, præcipuæ ſalutis curam incumbere, obſequium pietati & ſpiritualibus adſcripſere, indulſere. Alioqui generaliter iniqui cenſendi ſunt, qui ritibus ſuis, exterorum mores

mores correſpondere aut pares eſſe cupiunt.

Conſuetudinem, legum, eſſe legem, & naturæ velut germanam ſororem, recte dixeris. Ideoque homini civili utendum veſtibus, inconſtantiæ vulgi & loci quem in habitat, fere conformibus; ne moribus gentis, quacum vivit, immorigerus eſſe videatur. Legatus hic tamen exlex & ſingularis eſt; peccaturus, ſi à ſuo cultu receſſerit. Nam velut patriorum rituum fugitans, Principem ſuum privatim odiſſe, publice aſpernari videbitur, qui vernaculum gentis ſuæ indumentum mutabit, alienum mutuabitur. Olim in ipſa Romana urbe, quæ ſui tamen ſplendoris juriſque pertinax fuit, Legatos exterarum gentium cultu peregrino ludos ſpectaſſe, Tacitus memorat. Deformant igitur pulcherrimi muneris faciem, quicumque in exteras Nationes delati, tamquam Protei, ilico ſeſe peregrino habitu amiciunt. Contemptus eam ob rem à ſuis Macedonibus fertur ipſe Alexander, quod patrio cultu relicto, apud Babylonios Babylonicum ſibi aſſuiſſet. Acute Rex, qui dum mandatorum Legati ſtrenua enuntiatione offenſus, diſcedentem odio & ſtomacho perſequeretur; ei qui hunc miſerat ſcripſit, Hermaphroditum & Androgynum ſibi adfuiſſe: cum tamen is nihil inconſtantiæ, præterquam in veſtitu, admiſiſſet.

Atta-

Attamen & hoc prudentis Legati erit, ne illa in conſpectum exponat, quæ aut ipſa per ſe moleſta ſunt, aut aſpectum ſui ingratum & odioſum facere poſſint. Quoſdam apud Turcicum Tyrannum repulſam paſſos novimus, quod viridis coloris amictu, qui triſtis & funeſti ominis apud Barbaros dicitur, induti eſſent. At noſter ea prudentia erit, ut cum rubei panni objectu, bovis furorem accendi reſciverit, removere eumdem à tergo & tragœdia norit. Venetorum quemdam apud Turcas Legatum accepimus, alieno ritu feliciter & ſic cum laude uſum; nam cum quæ exponere & excipere haberet, toto non impetraret biennio; tandem familiari veſte in Turcicam commutata, admiſſioni ſuæ aditum paraſſe, Legationemque ex voto confeciſſe. Apud Barbaros nempe, ubi Legationis decus atque libertas non digno nec tuto ſatis loco habentur, domeſtici amictus, ne alii quidem ritus uſurpari ſemper poſſunt. Turoxanthus Turcarum Dux Valentinum Tiberii Legatum ita alloquitur: Quandoquidem, ô Romani, huc venientes me in maximo luctu conſtitutum offenderitis (recenter enim pater meus eſt mortuus) oportet vos facies veſtras abradere, & legi quæ apud nos in juſtis mortuorum invaluit, obtemperare. Tum confeſtim Valentinus, & omnes qui cum eo

erant,

erant, gladiis genas raſerunt.

Olim Legatis annuli dabantur, queis exterorum honoratiſſimi cenſebantur. Specialis præterea veſtitus erat cõnſtitutus: quemadmodum peculiares etiam nonnullis Conciliis ac Magiſtratibus veſtium formas eadem antiquitas præſcripſerat. Ævi mutatio & hoc laudabile inſtitutum pæne proflixit: ut quaſi tæderet aut puderet ejuſce quod profitentur officii, veſtibus indui pulchrius ducant, quas vulgi inconſtantia ſingulis annis novas & communes facit. Adeo ut Senatores, Aulicis; & Conſiliarios, quia nobilitatis functioniſve conſpicuo ſigno deſtitutos, ditioribus ruricolis aut civibus non abſimiles dixerit quiſquis non novit, etiam quiſquis novit. Senatui Veneto, pauciſque aliis, veſtitus religio aliquam adhuc laudem & venerationem conciliat atque tuetur.

Plerique hodie qui dignitatem gerunt, non contenti nitida & nova veſte, etiam cultam & comptam requirunt: quod virum & Magiſtratum veſtis indicet. Ab hiſtrione licet exemplum ſumere; qui ſi trivialiter amictus in ſcenam prodeat, exſibilatur. Quanti autem facienda ſit veſtium ratio, vel ex eo patet; quod quiſque, dum elegantius atque operoſius veſtitus egreditur, magis etiam honoratur, non ab ignotis modò, ſed etiam à notiſſimis & amicis. Hujuſce my-

ſterii ratio eſt, quod veſtis indicium quoddam eſſe videtur cujuſque fortunæ: at quo iſta, eo ſe hominum favor inclinat. Alii ſecreto atque ſeorſim ſuo bono paſci malunt, rati dignitatem atque amplitudinem ſuam magis auctum & conſervatum iri modeſtia vitæ, quam inſolenti ſtrepitu aut inani faſtu. Tales fere qui publicæ aut alienæ rei præſunt: qui Principi à theſauris, conſiliis, confeſſionibus; aut qui repente ex humili in altum emerſere. Hi non magnopere ambiunt oblongum magnificentiæ ſuæ ſpectaculum, aut digito monſtrari, aut dicier, Hic eſt. Scilicet, ut doceant, ſe etiam in rerum copia tenuitatem, in ſollicitudine ſolitudinem æſtimare: ſe parvo Sapere & Lætari: bonum publicum promoviſſe, ampliſſimi inſtar honoris & præmii eſſe. Interim malunt item horum aliqui, arcam ſuam auro ſcatere, quam deauratis tectis vel pavimentis curioſorum & invidorum oculos oblectare, aut calumniatorum linguas acuere in ſuſpicionem injuſtitiæ vel peculatus. Mille circum ſe cenſores habet in confuſionem ſuam proclives & conſpirantes, ſi quem ſupra ſuam ſortem fortuna favens evexit & dementat. Demoſthenes priuſquam induſtria & eloquio innotuiſſet, vilem pallam in ſumptuoſiorem veſtem convertit: parata autem exiſtimatione, pallam reſumpſit priſtinam,

ſtinam, nec mutavit. Contrario prorſus conſilio & eventu plebejus ille, qui primum omnium virtutum hypocriſi inſtructus, probus & pius videbatur demiſſis oculis honeſtatem & ſecuram modeſtiam affectare, atque obſtipo capite non niſi humilia ſomniare, imo mente velut hoſpitari in ſepulcro, animo apud Deum: ad honoris evectus, ſupercilium erexit, & indignis modis præfuit, qui tam ſancte putabatur ſubeſſe: quos prius errores damnaverat, amabat deinde ut mores: pluſque vaframenti ſub unius togæ, quam ſub unius regionis, ambitu latebat. Rogatus autem à familiaribus, quamobrem antea vultum & oculos in terram ſic deflecteret; Quærebam claves regiminis, inquit: quibus inventis, quidni utar? Sed & iſtum ſua manſit tandem pœnitentia & pœna; claveſque oſtium calamitati & carceri aperuere.

Legatus in omni hoc veſtium & ornamentorum cultu ita ſe componet, ut neque tenuitate vilis, neque elegantia faſtuoſus, effeminatus, aut vanus appareat. Diſſimulare & velut neſcire præſentis ſplendoris ſui ſumptum pretiumque, prudentis eſt, & ornatiſſimam tamen ſimplicitatem habere: ut ſplendor omnis non tam obtrudatur aliorum oculis, quam incurrat.

DISSERT. XXIV.

Eruditus.

BEllo inter Florentinos & Alphonſum Regem, Matthæus Palmerius, Florentiæ civis & pharmacopola, quia ingenii & ſcientiarum cultu clarus apud ſuos erat, Neapolim miſſus eſt Legatus. Cujus multifariam eruditionem dexteritati atque eloquentiæ conjunctam Rex admiratus, interrogavit, quis, & quo loco apud ſuos eſſet. Cumque intellexiſſet Pharmacopolam eſſe, in has erupit voces: Si tales Florentiæ Pharmacopolæ, quales igitur Medici? Medicæos innuens, qui in Republica eminebant. Eruditionis profecto cum nulla pars ſua laude careat, tum inprimis Hiſtoria vetus & nova, omni ætati conditionique utiliſſima. Eſt enim palæſtra prudentiæ, ſtimulus ſapientiæ, calcar virtutum, interpres dubiorum, memoria præteritorum, ſpeculum futurorum, præſentium fax & moderatrix, breviarium experientiæ, ſcientiarum theſaurus, directrix diſciplinæ bellicæ & togatæ: breviter, compendium artis vivendi. Itaque videar commendaſſe eruditionem omnem, cum Hiſtoriam nominarim. Ejuſque ſtudium habet id peculiare, ut & theoricam & practicam ſimul conferat. Hiſtoriam Legatus evoluat, & aſſe-

& aſſequetur, ut, quaſi infinitas obierit Legationes, antequam ullam attigerit, intelligens videatur & expertus. Inter Scriptores autem, ſi rem politicam ſpectamus, unus inſtar eſt omnium, Tacitus; ſi moralem, Seneca: ille ad prudentiam, iſte ad ſapientiam ductor: ille tacite, iſte ſane legendus, intelligendus. Quid ſi Sacram Legato Paginam quoque comprobem, rectam illam ad probitatem, ad prudentiam, ad cælos ducem? Scrutetur, ſi otium & animus indulſerint: plures inibi Legationes, cum humanas, tum divinas inveniet, exempla atque dogmata rerum optimarum. tum ex hujus divini Scripti lectione hauriuntur, quinimo inſtillantur animo ſalubria quædam medicamina, in ſpiritualium morborum, priuſquam reſederint, præcautionem. Et quanto quis attentius hunc Codicem evolverit, plura ſemper mirabitur & eliciet in receſſu: haud ſecus ac clara nocte firmamentum cæli intuentium oculis plures ſemper ſtellæ eluceſcunt, & velut ſubnaſcuntur, quo diutius intendunt. Quod ſi cuipiam ſic non videatur, qui in profanis vagari malit: magnum tamen quid eſſe exiſtimet, quod tot viros principes in venerationem ſui traxit; tot Martyres & Cœnobitas in contemptum orbis, atque etiam ſui, pellexit; tot naſutiſſimos in interpretatione halluci-

 nantes

nantes demiſit: tot ſæculis Nobile Ænigma. In reliquarum ſcientiarum oceanum quo altius provehimur, contingit aliquando ut longius abſimus ſimul & à vado & à portu. Quid? interfui ubi non leves doctrinæ & auctoritatis Præſul evidentibus demonſtrationibus aſſereret, è ſacris illius Magni Teſtamenti codicibus, ceu ſcaturiginibus, hauſta eſſe, quæcumque ſive dogmata ſive præcepta ſententioſi atque politici Scriptores, limatiore alioquin ſermone, profanis expoſuere. Profecto Adrianus Florentius, poſtea Pontifex ejus nominis VI. qui ob eximiam Pietatem & Doctrinam Carolo Cæſari ab Margareta Auſtriaca præceptor datus, ſatis oſtendit, è quo fonte Imperii ſubſidia hauriantur. Etenim Lovanii in Arce tantum Diſcipulum adhuc puerum erudiens, è Sacris litteris ei Libros Regûm propoſuit & explicuit: fruſtra, ratus, doceri hiſtorias, niſi & pietas accederet. Qui eo modo doctus eſt, Cæſaris mox inſignia accepit: qui ea docuit, Pontificis. Sic Magiſtrum ſuum Diſcipulus numquam non veneratus eſt. Et tamen quam humili ille origine! Primam ætatem litteris occupans, & tum quidem egens, variis à proavo meo D. Ægidio de Marſelaer Toparcha de Opdorp beneficiis affectus fuit. Eorum vero memor, cum in Regnum ſuffecto Carolo, primas

Primas Hiſpaniæ eſſet; avum meum Adrianum de Marſelaer, ejuſque fratrem Guilelmum, pro Majorum ſuorum honore & meritis, ſtipendio Regio decorari procuravit, & hunc præterea Equitem Auratum à Cæſare creari. Neque hic ſubſiſtere gratitudo aut gratia potuit. Pontifex enim factus, utrumque inter familiares ac domeſticos eſſe voluit: & illum quidem intimis ſecretis, hunc Arci Oſtienſi, tribuſque biremibus præfecit: Antonium quoque de Marſelaer, fratrem tertium, paulo ante immaturum obitum, advocavit, & Pontificiæ cohorti atque cuſtodiæ Capitaneum conſtituit. Verum ut in viam redeam; illorum mores non ſatis admireris, qui cum ingenii cultum omnemque doctrinam contemnunt, magni ac ſerii ſibi videntur. Ab omni ævo obſervare eſt, opportunum rebus ſcientiarum ſubſidium acceſſiſſe, ſive privatis, ſive publicis: æſtimari viros, qui ceteris Numinibus Palladem junxere. Doctrina quidem vel meliores efficit homines vel deteriores, pro cujuſque indole. Sed licet non omnes doctiſſimi potiſſimum ſibi temperent ab improbitate aut nequitia; non item medici, omnium hominum ſint temperantiſſimi; communiter tamen, ſi quem minus latuerit, quid ſe deceat aut obſtringat, vehementius quoque neglecti pudebit officii,

 ficii,

ficii. Nec minus profecto arte, quam experientia ſapimus: illa cauſam ubique præbet, hæc dumtaxat exemplum. Et quantillum eſt, quæſo, quod intra anguſtos vitæ terminos experimur, ſi non ulteriore proſpectu & liberiore cælo fruimur, ope eruditæ lectionis? Alphonſus, eximius ille Regum, dicebat, Principem ineruditum videri ſibi aſinum purpuratum. Idem, percunctanti, qui eſſent optimi Conſiliarii; Muti & mortui, reſpondit: libros innuens, qui & ſemper præſto ſunt, & ſapiunt plurimum, nihilque adulantur. Nec enim ab alio auditur verum ſincerius, nec minori pudore, quam ab iſtis. Interrogatus denique Alphonſus, utrumne armis, an libris majorem deberet gratiam, E libris, inquit, & arma & armorum jura didici. Certe in Principatu beatiſſimum videtur, non cogi; miſerrimum, non moneri. O felicem populum (inquit prudens Cominæus, nec ipſe magnopere litteratus) cui continget habere Principem, qui ubi ſeriis occupationibus debitum tempus impenderit, nonnihil etiam politicarum ſcriptionum lectioni vacaverit! Eruditionem autem æſtimans Magnus Rex & Princeps noſter, in adminiſtratione Belgicarum provinciarum viris potiſſimum eruditiſſimis utitur: prorſus tamquam vel ideo quoque miſſi, ut Orbi innoteſcat, Nobilitatem Hiſpanam animi atque

ingenii

ingenii elegantia quam maxime excellere.

Iuvet itaque illuſtres viros, interdum chartis immorari, non immori. Vitioſum eſt ubique quod nimium eſt. Aliud ſceptrum, aliud plectrum. Reperias fortaſſis nonnullos litteratores, qui umbratili ſtudio ſic ingenium occupavere, ut ſupine ſtulti evaſerint: alios, qui ſedentarias meditationes ita morbide ſitiunt, ut, velut veterno oppreſſi, negotia fugiant, negligant publica & privata, nihilque æſtiment quod non aſperſum ſit librario hoc pulvere. Et cum omnia agant, ut ſciant, ſi ſciant, nihil agunt: ſibi ſapiunt, ſibi omnia intelligunt, docti & prudentes, ſed ſibi. Ita vero quod ſciunt, neſciunt, Reipub. tandem, ſibique inutiles. Et cum auctoritatem ſibi arrogent doctiorum, nihil omnino minus ſunt, quam docti. Quippe dum hanc rem ſterili contemplatione probant, illam improbant; nullam non ignorant: & ubi omnia didicerint; vel neſciunt quod ſciunt omnes, vel ſciunt quod utilius neſcirent: in virilibus exercitiis inepti, imbelles, effeminati, meticuloſi, imbecilli. Nam quaſi ex abditis educti antris, conſpectis hominibus velut umbris territantur, ac in hominum turba ne homines quidem ſunt: quaſi eis ipſa Minerva nervum mentis inciſiſſet. Ea vero non ſimplex inſania eſt. Neque putandum eſt, Platonem, Ciceronem,

Lycurgum, alioſque ſcientiarum præſides, Reipub. Principes, plura è Philoſophia in Rempublicam, quam é Repub. in Philoſophiam contuliſſe. Exerat ſe in germen ac frugem neceſſe eſt, omnis ille doctrinæ & ſcientiæ flos. Itaque non id Legati laudibus adſcribetur, quod totius vitæ ſpatio ſeſe abdiderit torpentibus litteris & libris; ſed quod erudita actione uſuque præceptore fideliſſimo, ſupra vulgus ſapiat & aſſurgat. Nec ii quidem Legationibus excludendi, qui licet neque litteris Latinis, neque Græcis, neque ſcholaſtica illa ſcientia imbuti ſint; ſenſu tamen illo qui dicitur communi, ſolerti, ſolido polleant; quique Legationis negotium vivacitate ingenii, maturitate judicii perſpicere, etiam peragere valeant. Sic multi olim fuere, etiam ſunt hodie multi; qui ſopita atque etiam vivida ingenia & judicia eorum qui numquam non ſtuduerant, promptiſſima dexteritate longe exſuperarunt, nullis tamen ad hoc regulis adjuti, nullo lumine aut lima litterarum. Et quod illi ſolum laudare aut præſcribere vel exoptare noverant, id iſti etiam expedire, etiam conſequi: Leges ſtatuere æterna obſervantia dignas, nec tamen Iuſtinianeas umquam inſpexerant; & quod numquam didicerant, benignæ matris Naturæ adminiculo intelligere, judicare, eloqui. Hujuſmodi

inge-

ingeniis in Legationem miſſis, ſuffecerit, mandatum ſuum ſeu inſtructionem deligenter inſpicere: nec parum tamen iis utile, aliorum etiam Principum in ſimilibus negotiis mandata, conſilia & conſulta, relationeſque Legatorum revoluere; tum ſi quod ad manum venerit, ea lingua quam calluerint, de Legatione politicum ſcriptum. Quod quidem in gratiam ſtudioſorum non aſſerimus: ſed ut ne diffidant quidem ii Legati, qui cum ſcholaſticis ſcientiis hactenus non ſint inbuti, in poſterum Grammaticos fieri non convenit.

Humile dixeris, circulatrice lingua eruditionem ſuam nimio oſtentare vel obtrudere ineruditis, aut cum hiſce diſputatorie altercari ſuper terminis ignotæ artis, aut quia ſyllogiſmum non forment in Friſeſomorum aut Baroco. Nempe ſcientiarum diatriba imperitiores ſuperaſſe, haud magnum eſt; ſuccubuiſſe, non leve.

Sunt porro nonnullæ ingenii occupationes, quæ Regio Oratori negligi prorſus poſſunt citra incommodum. Quales mille ſtramineæ & operoſæ nugæ tam in ſcientiis practicis, quam ſpeculativis. Cujuſmodi ſunt mirabiles artes Lullii, Polygraphia & Steganographia Trithemii, ingenioſiſſima Tholoſani: tum Sophiſtarum adeo tenues, macræ, ab omni carne & oſſibus avulſæ, per-

ſonalitates, entitates, hæcceitates, quidditates, Petreitates, & ejuſmodi infinita punctorum & atomorum agmina, quæ tum vere ſunt, cum otioſi illi faciunt & fingunt. Huc & chymicum auri coquendi ſtudium; quod ne Di quidem Midæ indulſerunt ſine mulcta: & damnoſa aleatorum dexteritas, ubi quiſque quanto peritior, tanto nequior. Ipſa quoque artium philomela Muſica: quam ipſi licet calleamus; per præcentores tamen decentius pleniuſque percipimus. Nec ullas idcirco ſprevero, quas quidem Legatus calluerit, ejuſmodi delicias, quæ ornamento ei eſſe poſſint, neutiquam oneri, quamvis etiam minus uſui. Arboribus enim, quarum propria dos eſt fructum ferre, etiam folia videmus congenita, etiam flores.

DISSERT. XXV.

Eloquens.

ELoquentia, ſeu copioſe loquens ſapientia, Oratori noſtro nomen & munus tribuit: tamque ei neceſſaria eſt, ut ſine hac prorſus eſſe non poſſit. Reliquis eruditionis cultis ingeniique vigor in tenebris ſepultus jaceat, niſi Suadæ luce hominum ſenſibus inſinuetur. Nam ut nullus abſconditi theſauri occultæve muſice uſus eſt; ita neque profondiſſimæ rerum omnium cognitio-

gnitionis, niſi proma eloquentia acceſſerit. Quod amplius eſt; Nihil univerſo orbi tam potenter dominatur, quam hæc Diva, qua velut Delphico gladio ad quælibet pertractanda feliciter utimur. Idque innuerunt ingenioſæ poëtarum fabulæ, dum diſertos viros, flumina, feras, ſaxa moviſſe cecinerunt. Et conſtat gloriatum coram familiaribus Demoſthenem; potuiſſe judicum ſententias, ut cereas, ad nutum lubitumque ſuum flectere in quamcumque partem, energia hac artificioſi ſermonis. Atque ita ad ejus arbitrium Athenienſibus cum Philippo ſæpe bellum, ſæpe Pax fuit. Pyrrhus quoque, ſe imperii fines magis extendiſſe & firmaſſe, ac plura oppida recuperaſſe gloriatur, Cyneæ Oratoris facundo eloquio, quam cataphractorum operoſa manu. Nimirum amplius hic verba interdum, quam arma. Facit huc Taciti ſententia: *Nemo magnam Potentiam ſine Eloquentia eſt aſſecutus.* Dicebat Græcia de Pericle, perſuaſionis numen atque aram in labiis hominum conſiſtere. Mercurio attributus eſt Caduceus, qui dictus à cadendo; quia Eloquentiæ interventu ſtatim cadunt controverſiarum tempeſtates, nimbi, ac procellæ. Sed opponunt aliqui, Eloquentiam quidem Legatos, procuratores & miniſtros decere, non autem Principes. Et tamen, quam ea non inutilis dos

ac virtus Principum cenſeri debeat, docuerunt quędam infortunia atque pericula Henrici IV. Galliæ & Iacobi VIII. Angliæ Regum, quibus ſeſe ægre explicuiſſent, ſine eximiæ eloquentiæ adminiculo. Refert Heſiodus, Reges omnes qui Deo chari ſunt, eloquentia cælitus eſſe donatos. Multiloquentiam certe, & inanem illam verborum profluentiam, nedum ſummos Principes, ſed omne genus hominum dedecere, non inficior. An vero Majeſtati vel exiſtimationi adverſabitur, quæ proferenda ſunt, apte, diſerte, ſapienter proferre? id enim eloquentiæ proprium. Præclarum contra, quidbus dotibus, ratione & oratione, à brutis animantibus mille nos artifex natura diſtinxit, earum eminentia hominibus ipſis præſtare. Ut non minori loco ponenda videatur fandi facultas, quam vita, dignitas, ſalus. Et novi Viros Magnos, qui tanti facundioris linguæ theſaurum facerent, ut ſi quis hoc inſtructus eſſet, eumdem magnorum munerum capacem judicarent. Quaſi ut quiſque eloquitur, ita & ſapiens, & bonus ſit. Quemadmodum non fruſtra Eloquentiæ Deum, Legatorum eſſe numen antiquitas voluit, & perſuaſionis aram in labiis hominum conſiſtere. Optandum igitur, ut ex illuſtri animo, illuſtris effloreſcat oratio. Quæ tamen neque ſcho-

ſcholam redoleat, neque affectationem: alioqui nil comptu eo incomptius, elegantia ineptius: nihilque non vitiat oſtentatio & jactantia. Nam ut amabilior venuſtas eſt naturali pulchritudine exurgens, nullo fuco vitiata, iu iiſque quæ ſe formoſas eſſe velut neſciunt; ita & oratio quæ ſuapte indole placet, non affectata, non turgida, non ſeſquipedalibus aut ſpumantibus velut verbis exundans. Summa etiam Oratoris laus eſt, ita ex arte dicere, ut quam longiſſime videatur ab arte recedere. Nemo ſic inſidias putabit auribus ſuis fieri, nemo ſuſpectam orationem habebit. Qui timet ne decipiatur, ægre verbis expugnatur. Audito ab Senatu Romano, Carneade Athenienſium Legato, judicatum eſt, ex uſu Reipub. non fore, tam valido eloquio & artificio Oratorem publice audiri: quoniam eo argumentante, argutante, quid verum, quid æquum eſſet, haud facile diſcerni poſſet: adeo ejuſce linguæ blandimenta, aurium catenæ, animorum compedes erant. Dum enim Romam cum Diogene Stoico miſſus eſſet ab Athenienſibus per Æmilium Paulum ſubactis, deprecaturus mulctam quingentorum talentorum, quæ irrogata erat propter Oropum, civitatem in Attica, direptam; auditus fuit Cæcilio interprete, eoque Senatore. Sic voti compos, diſputationem inſtitui,

inſtituit de Iuſtitia & Iure: cujus partes cum annuentibus cunctis egregie defendiſſet, poſtridie non minore ingenio & applauſu, contra Iuſtitiam argumenta contorſit. Quo factum, ut etiam è Senatu faceſſere eum debere dixerit Cato. Neque ideo tamen violata fuit Legatio ejus qui jam ſophiſtam agebat, doctus in omnem partem rem propoſitam eloquio vertere.

DISSERT. XXVI.

Facetus, non dicax.

DIcteriis uti, tantum abeſt ut Legatorum muneri indignum, quin potius aptum eſſe ducant multi, ad ea inter confabulandum indicanda aut inſinuanda, quæ aliter explicari aut obtrudi non convenit. Sic tribus verbis repente apteque prolatis, interdum mage profeceris, atque placueris, quam trecentis longe præmeditatis periodis. Socrates, Plutrachus, Seneca, aliique graviſſimi viri, hoc genere facetiarum & dicteriorum frequenter invicem incitarunt. Ceterum facetiæ, ſive pungant, ſive ungant, niſi ſubtiles ſint & argutæ, auditorum non modo oblectant, ſed eidem etiam tædium adferunt: qui ſi nihilominus rideat, faciat id quidem, non propter jocum, ſed propter jocantem; quod forſan is facie magis

magis ridiculus ſit, quam facetiis. Stultus eſt, qui ut alios oblectet, ſeipſum vilem aut ridiculum præbet. Seriis quidem gravitas debetur, jocis lepos: ſic tamen, ut joci ipſi aliquid ingenii, atque etiam ſerii ſpirent, & ſeria ab lepore non videantur aliena. Sed iis abſtinendum proverbiis dicteriiſve, quorum quidem ſententia bona ſit, ſed verba ſordibus vulgi aut ſcurrilitate quapiam inquinata: item iis, quæ in alicujus vituperium vergere aut torqueri poſſint, & quorum ignominioſa ac ſiniſtra interpretatio eſſe poſſit. Scio equidem, convivantes in graves pugnas irruiſſe, recitato forte levi hoc verſu, ceu magico carmine:

Parvum, humilem numquam vidi; longum, ſapientem;
Aut craſſum, audacem; luſcum rufumve, fidelem.

Cum ad religioſum Bavariæ Ducem verba facturus Eraſmus R. facetiis minime facetis, jocaretur; ſe ſtomachum habere Lutheranum, ſed mentem Catholicam: obvertit tergum Bavarus, & diſerti hominis orationem deſeruit. Legere quidem eſt hinc inde hiſtrionias quaſdam commiſſas aut prolatas ab Legatis; illota itidem apophthegmata, ſcommata, ludicros ſarcaſmos: ſed neque ſimilium ineptiarum congerie, meliorem papyrum, recenſendo commaculare, animus

animus eſt. illorum interim nomina dum aliorum ſcriptis recitantur, in dedecus citantur. Quapropter ne quem verborum aculeis Legatus ſic pungat, ut aculeum relinquat; neve acerbis dicteriis, & quæ vero aut pudori nimium vicina ſint, delectetur. Dicacitas cum læſione eſt: nemo autem placere poteſt, ſi lædat. Et ludibrium licet & ludus argumento ac propoſito diſcriminentur; ſunt tamen qui amicitiam, auctoritatem, nihil non perdere & perire & malunt, quam quid ſalſe vel inſulſe inflictum perpeti. Hinc enim tot ſæpe duellorum indictiones, ad monomachiam provocationes. Quod ſi ita eſt, nolim Legatum fruſtra rem tam dubiam aut periculoſam exercere, eave proferre quæ aliis intelliget fore moleſta. In conſultum eſt enim, ubi cauſa non ſubeſt, aliorum inimicitiam ſponte accerſere, aut incitare; cum etiam non quæſita multorum malevolentia, odia dolique ultro ingruant, & unicuique ſat negotii faceſſant. Sales quidem hilaritati admiſcendi, ſed cum modo, cum judicio; præſertim apud Principes viros, ne umquam plus ingenio vel affectui, quam cauſæ tribuere videamur. Imo cum proclivis ſit ab amore ad odium progreſſus, difficillimuſque regreſſus ab odio ad amorem, quod illud acrius incitet, quam iſte; non committet Legatus, ut cum Princi-

pe

pe quem adiit, licet jam familiari, jocari aggrediatur, quantumvis invitatus ac propejuſſus. Nec enim ferreus aut plumbeus Principum affectus eſt, ſed cereus, qui nimiuſculo frigore rumpi, & immodico calore eliquari poſſit. Iocis quidem in confabulatorem directis, ineſſe videtur deſpicientiæ, aut certe præſumptionis ſignificatio & ſecuritas quædam; qua offenduntur interdum & velut irritantur ii, qui ſacro illi morbo Euripidis obnoxii aut affines ſunt. Temerarius itaque Legatus, ſi dentem in purpuram acuerit, aut ſatyrico ſcommate majeſtatem invaſerit: & quo alio fine, quam ut uſurpet audaciam muneri non conceſſam? Majores Principes ſunt, quam ut verborum petulantiæ ſubjaceant. Qui acutus eſſe volet, videat, ut pari ratione cautus ſit: præſertim is qui non probandi acuminis, ſed ſtabiliendæ auctoritatis cauſa miſſus eſt. Sæpe graviter lædit, etiam qui ludit. Dum Legatus quidam, Maurorum Regi litteras tradidiſſet, quibus non ſat titulorum inſcriptum erat, quos ille ſibi tribuendos putabat; audiit: Sus has peperit. Scilicet, ait Legatus, ne iis veſcaris. Abſtinent ſiquidem Mauri ſuilla, ſed non utique ſemper verberibus; quæ tum in caput incauti Legati ubertim pluerunt. Quis itaque non ſobrie utendū duxerit iis, quæ frequens indignatio atq; contentio, numquam affectus, ra-

rius

rius rerum promotio ſequatur? Quam au-*dacia* parum lepida, ſurorique propinqua fuit ejuſce Legati, qui ubi ab Athenienſibus miſſus, à Philippo Rege Macedonum rogaretur, ecquid grati obſequii Athenienſibus præſtare poſſet; reſpondit: Si teipſum ſuſpenderis. Magis excuſate & decenter ille, qui cum nuper à Cæſare Carolo Sereniſſimi titulum ſuo quoque Principi ambiret, quo plures jam per Italiam Germaniamque Dynaſtæ donati erant, & ambiret fruſtra; diſcedendi veniam die quodam, vix die, petiit, cum cælum terramque fulmina atque tonitrua miſcerent. Admiratus Cæſar, cur cælo tam invio, turbidaque & infeſta aura ſe itineri accingeret, ſuaſit, ſeneritatem exſpectaret. At nihil eſt, inquit Legatus, quod hinc timeam, cum Majeſtas tua mundum implerit tanta Serenitate. Quid hoc vero erat aliud, quam argute, modeſte tamen, repulſam exprobrare? Nec minus generoſe, & pro dignitate, Antonius Pucius: qui dum à Florentinis ad Ducem Mediolanenſium miſſus, admitti diu non poſſet, quia Dux, Aſtrologi cujuſdam ſecutus cerebrum, publica non aggrederetur, niſi prævia horoſcopi inſpectione; ipſe hujus remoræ ac tergiverſationis prætextum Rempub. florentiſſimam in comtemptum trahere ſenſit. Quapropter, dum tantum dies & horæ

horæ punctus indictus eſſet, quo ad aulam veniendum & mandatum exponendum nuntiabatur; Ignoſcatur mihi, inquit, qui toto hoc die id agredi non poſſum, dum nimis vereor, jamque ſcio, aſtra, quæ Mediolanenſibus propitia convenerunt, infortunium modo coxiſſe & minari Florentinis.

Sed ne joco quidem proferet aut probabit ea Legatus, quæ Principi ſuo dedecori verti poſſint. Ideoque haud citra offenſam, dum faceti eſſe vellent, Legati ab Demetrio miſſi, fœdam atque infelicem ſui Regis voluptatem turpiter exprobrarunt, & quidem apud tyrannum æmulum, & cui potius memorabile quodpiam virtutis apophthegma enarrare debuiſſent. Quippe Lyſimacho ſuam cum leone luctam, & adverſo pectore exceptas plagarum cicatrices jactanti atque oſtentanti; Et noſter, inquiunt, Rex morſibus & vibicibus inextinguibilibus inſignitus eſt, ſed Lamiæ, & quidem in collo.

Legatus itaque facetus & feſtivus erit citra opprobrium, calumniam ac ſcurrilitatem: & quem neque contemnere, neque odiſſe, ac ne redarguere jure liceat. Pomponii Attici exemplo, qui ad Lacedæmonios Orator miſſus, frugi erat, non avarus; conſtans quidem, nec tamen cerebroſus; modeſtus, non moroſus, nec moleſtus; facilis & facetus, non futilis; ſeverus, non ſævus, non

non ſuperbus; cujus quiſque vereretur occurſum, nemo formidaret. Abſolvam verbo? Quod ſal in cibis, id jocus in verbis eſt; qui niſi apte immiſceatur, vitiat edulia, non condit.

DISSERT. XXVII.

Linguarum peritus.

CVm vero potiſſimum apud exteros obeundum ſit hoc munus; plurimarum linguarum peritus ſit Legatus: ac præſertim ejus gentis ſermonem calleat, ad quam mittitur. Nam alioqui incommodius hic ſua explicet: & ſi quis forte explorator quid patefacere vel deferre deſideret, liberius libentiuſque id faciet ſemotis quaſi arbitris, quam Interprete teſte accedente, ſive hoſtilia ea fuerint, quæ nuntiare volet, ſive amica, Lentulus Conſul, cum Pompeio profectionem ad Parthum diſſuaderet, imperitiam linguæ Parthicæ, ut ingens rebus impedimentum, ei objecit. Deus ipſe miſſurus Ezechielem pro Legato ad populum Iſraëlis, *Comede*, inquit, *volumen iſtud.* erat autem id, ſymbolum Legationis, ajunt commentatores. Et rurſus, apud Ezechielem: *Vade ad domum Iſrael, & loqueris verba mea ad eos: non enim ad populum profundi ſermonis & ignotæ linguæ tu mitteris.* Quibus verbis oſten

dit

dit ſane Deus, quantum Legati interſit, ejus ad quem mittitur populi linguam callere: eaque de cauſa miſſurus Apoſtolos ſuos orbe toto, tamquam Legatos (*Pro Chriſto Legatione fungimur*, inquit Paulus) linguarum omnium ſcientia eos inſtruxit, cum linguas igneas cælitus pluit. Et Moyſes, populo vocem Dei audire nolenti, ſic minatur: *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non poſſis.* Laudatur Mithridates Ponti & Bithyniæ Rex inclytus, quia duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habuit, ore locutus eſt, linguaſque per calluit. Atque hoc erat cum omnibus, tamquam cum una agere. Neque id mirum adeo videbitur ei, qui noverit, apud Indos familiare idioma ſeptuagies centenis vocabulorum millibus conſtare: nimirum unicuique ibidem rei dictio reſpondet monoſyllaba & character peculiaris; cum reliquarum gentium linguæ vix ſex mille vocabula complectantur. Hodierni Turcæ, à litteris quantumvis alieni, hujus peritiæ uſum quotidiano eventu edocti, quot linguas quis callet, totidem illum viris æquivalere, proverbio dictitant. Non fruſtra ſane Carolus IV. Romanorum Imperator Aurea Bulla de Imperatorum electione præcipit; ut Electorum

ctorum filii, præter vernaculum, inſuper Latinam, Italicam, & Illyricam diſcerent, ut ſermonem cum variis gentibus communicare poſſent, neve in conſcientiam rerum ingentium (quarum anima ſilentium eſt) adſumere cogerentur ullum teſtem. Ex Dione diſcimus, à Caracalla Interpretes non ſemel enecatos eſſe, ne innoteſceret quid moliretur. Tanto periculo commiſſa ſecreta interdum ſciuntur. Sed quomodo externi obſequii integritatem fidemque non metuat Legatus, ſi ea ipſa, quæ ſuo nomine dicuntur, nec diſtinguere, nec dijudicare ipſus poſſit? Quid autem ſi eo loci aut temporis explicanda mandate inciderint, ubi ne Interpretis copia adfuerit? Sane ex rerum varietate, affectuum ſignificatione, tum ex iis quæ alter dixerit vel dicturire parat, immutanda oratio nonnumquam eſt. Nec vero id per ſe facere Interpres, aut quomodo fieri id debeat ſurdaſter iſte præcipere poteſt: quippe qui nihil eorum quæ fiunt intelligit. Andreas Gritius à Venetis Conſtantinopolim miſſus Legatus, noluit pactis cum Imperatore Turcarum jam initis, imo firmatis, manu ſua ſubſcribere, quod Latino ea idiomate conſignata eſſent. Ideoque Turcico reſcribi voluit: ſciebat enim, nullum apud eam gentem pactum, pactum eſſe, niſi vernacula lingua expreſ-
ſum.

ſum. In linguis porro exactius citiuſque percipiendis, compendiaria ratio eſt; in omni congreſſu, ratiocinatione, ſcriptione, lectione familiarem eam reddere, ac ne Deo quidem loqui, niſi ea lingua.

DISSERT. XXVIII.

Peritus lectionis, ſcriptioniſque.

PUerile quoque præceptum dici poſſit, Legato tamen perutile, ut expedite legere ſciat cujuſlibet idiomatis ac ſcripturæ genus, non inelegantis modo, ſed & vacillantis & diſtortæ, ipſoſque characterum nexus & compendia cognoſcat, ne rebus interdum maximis; vel apud amanuenſem, vel infidum amicum, & ſecreta, & ſimul ignorantiam ſuam periculo exponat, communicandis epiſtolis, quæ ex variis locis adferri poſſint. Moleſtum præterea ſit, curas & ſollicitudines hac parte augeri; cum ſemper aliena fides anxium tenebit, præſertim in rebus gravioribus, & unde momentum magni vel commodi vel incommodi in utramque partem. Deinde cum litteras ipſe exarabit, daturus eſt operam, ut nitide, ut diſtincte pingat; poſt ingenium, manum quoque æſtimet. Habet tamen inſulſus error ſuos applauſores, laudemque apud nonnullos imperitia invenit. Sunt namque qui

eo ſe altiores generoſioreſque habendos exiſtimant, quo fuerint ad ſcribendum ineptiores. Tamquam faſtidiant literas, exprimunt: & quod male agunt, non agendum eſſe oſtendunt. Dubites jure, ſerpenteſne figurarint, an characteres. Confuſæ enim erranteſque lineæ maculæque ſunt, & quales galinæ ruſpando ſignant. Divinare arduum ſit, unde tam bellæ tabellæ; niſi vel ſigillum dignoſcas, vel à tabellario auctorem ſcias. At nihil turpius, quam quod crebro & neceſſario facias, id inſulſe & inepte exequi.

DISSERT. XXIX.

Prudens.

DUæ ſunt præcipuæ propriæque hominis dotes, duo vitæ regendæ quaſi organa & ornamenta: Prudentia, qua bona ac mala diſcernimus; & Eloquentia, qua ſuademus quæ bona ſunt, diſſuademus quæ mala. Et hanc quidem neceſſariam eſſe Legato, oſtendi: ſine illa quidquid dicetur, in vanum diffluet. Ut negotia & occaſiones ſe offerunt aperiuntque, magnanimitas, munificentia, fortitudo, & reliqua virtutum nomina ſuo loco & ordine aſſumenda ſunt: aſt una ubique prudentia locum habet, ordinemque facit. Quod ſi autem in rebus propriis vix nobis ſatiſfacimus,

mus, dum coram intendimus; qua non prudentia opus erit ei, qui abſens procurare debet aliena, & quidem tot cautelis & inſidiis obſeſſa? Ceterum præſcribere omnia quæ ad prudentiam faciunt, tam difficile eſt, quam facile rebus omnibus conſiliiſque caſus & error ſubrepit. Dici ſolet: Nemo mortalium omnibus horis ſapit. Prudens autem, quia futura potiſſimum ordinat, caliginem non poteſt non metuere. Si Xenophonti credimus, tam erit arduum præſcribere quæ facienda ſunt, quam futura omnia præſcire. Hoc vero ſolius Dei eſt, majus conditione mortali: & quid aliud, quam omnia poſſe? Ecce aliquid Dei ſic quidem Legatus ſuſtinet; & quia prudens, in ventura excurrit: qui ut ſibi conſtet ſufficiatque, primum conſiliis & conatibus ſuis à Deo fulcrum prudentiæ & ſapientiæ jugiter flagitabit. Nam illa quæ capite humano tantum ſtat, infirma eſt & incauta quædam temeritas. Ad nullam autem provinciam erit inhabilis, ad nullam virtutem indocilis, qui Pietatem didicerit, Numiniſque cultum. Fruſtra & ſtulte ſæpe homines, votis ſibi prorſus contrariis, & magnis cogitationibus quoquoverſum velificantes, animum obruentes, valetudinem, vires, tranquillitatem, cenſus, honores expetunt, ab horum largitore Deo devii, penitus alieni. Mentem ſanam

poſſidere, veræ divitiæ ſunt; ſed profecto parum intellectæ: à Deo dantur & debentur Deo: à Deo ſunt, à Deo petendæ. Quo ſine, quid ſcimus? quid ſumus? Velut trunci manibus, oculis orbi, mente capti, tentamus non tangimus, inveſtigamus non intelligimus, quærimus non invenimus, quod ubique & neceſſarium: uti apte conjicit, convincitque Auctor quidam Operis imperfecti, cui veſtibulum; *Phi Munde, ecquam cæcum eſt judicium tuum!* commentum alioqui atheoſatyricum, impie divinum. Monent Sacræ Litteræ, ut prudentiæ noſtræ modum ſtatuamus; id eſt, mentis aciem etiam flectamus ad Cynoſuram Deum. Hac pietate conſequemur mortales, ne ſerpentina illa verſutaque calliditas ſimplicitatem columbæ excludat. Prudentia igitur, quæ cæleſtibus quibuſdam ſcintillis diſtincta eſt, & à bona prorſus mente proficiſcitur, felicem fortunatumque Legatum faciet; cum ipſa conſiliorum actionumque omnium facula ſit, humanitus accenſa, divinitus illuſtrata, norma ac regula rerum que publice privatimve fugiendæ vel appetendæ. Definitore Ariſtotele, Prudentia rationis virtus eſt, apta comparare quæ ad felicitatem faciunt. Alius non abſurde dixit, artem & arcem Principis unam eſſe prudentiam: & juſtitiæ quidem ſummum eſſe præceptum, honeſte

honeſte vivere, & alterum non lædere, id eſt, jus ſuum unicuique tribuere; prudentiæ autem id nihilo inferius, ne decipiaris aut impingas efficere.

Primum hic Legati munus eſt, inſtituta, ritus, leges, privilegia Regni ſcire; jura, titulos, & ſpes Coronæ ſui Principis; tum uſurpationes, injuriaſque, quibus Principatus ſtatum exteri inquietarunt: inſuper nomina ſitumque provinciarum, urbium, arcium, & ſi quid raritate inibi inſigne: etiam ſtemmata nobilitatis patriæ, & avitum Primatis cujuſque genus, affinitates, egregia facinora & virtutes: denique ſuperiorum ætatum, & veteris memoriæ ordinem. Non ſolum, quia in rebus commemorandis antiquitatis exemplorumque notitia, ſumma cum delectatione auctoritatem orationi adfert & fidem; ſed etiam, ne à Gallo Germanus, à Belga Hiſpanus, de rebus, quas inter natus & notis eſt, edoceatur: quod a dignitate foret alieniſſimum. Etenim aliena & longinqua ſine dedecore ignorare interdum poſſumus: noſtra nobis ſcienda ſunt, aut peregrini, indignique focis ariſque patriis habeamur.

Explorabit pariter Legatus formam ac faciem Provinciæ ac Reipub. ad quam miſſus eſt; capacitatem, aditus faciles & obvios, operoſos & inacceſſos: qua inquam par-

te maxime firmus, qua debilior, mage patulus aut facilis ad ſubvertendum vicinorum & exterorum ſtatus ſit: qui urbium compedes ac propugnacula munita ſint; anne cura vel natura: num eadem omnibus fuerint ſtatuta, atque etiam privilegia; & num ea ipſa in præjudicia ſubverti poſſint: quæ forma legum, edictorum, judiciorum; quæ auctoritas: num portus, aquæ-ductus fluviique ſint Principis, an alicui oppignorati: quæ maria fluminave Regnum alluant: num plus mercimonii exportetur, vel invehatur. Obſervàbitur præterea, nec minus ſtudioſe, quibus difficultatibus ſuæ gentis mercatores ac peregrini, hic ubi Legatio obeunda, implicentur; quibus item modis iiſce moleſtiis obvenire aut mederi poſſet: quæ diſciplina & directio ſit armaturæ pedeſtris, equeſtris, navalis: quæ ſingulorum Ducibus auctoritas: quot in unum, & quanto tempore cogi poſſint copiæ præter præſidia militum: qui ſumptus luendi; quæ facultas & adminiſtratio præſentis ærarii: onus vectigalium; modus exactionis ordinariæ & extraordinariæ; num ſine publico gemitu impetretur: quæ Magiſtratuum politia; ſoli fertilitas: quis affectus populi: quæ diſſenſiones, factiones, querelæ multitudinis & Magnatum; num religionis, an regiminis cauſa: qui affinitatis aut ſocietatis nexus cum vicinis Principibus populiſve con-

contractæ: ſintne Regni vires & provinciæ conjunctæ, an diſjunctæ; &, ſi hoc, anne vi armorum præcludi aditus, commeatus mutuumque auxilium intercipi poſſit: anne conſiliorum reſolutio abſolute à Principe dependeat, anne potiſſimum à Statibus Patriæ, quibuſcum agere operoſius, ubi ille precario regnaverit. Caute vero hic ſe Legatus geret, ne in Honorii aut Theodoſii legem ſiniſtre impingat, de alieni Regni arcanis non ſcrutandis: neve qui credebatur eſſe Orator, reperiatur explorator Argus aut Ulyſſes. Quin potius omnem à ſe ſiniſtram opinionem dimovens, laudabit quidquid hic utiliorum ac digniorum rerum: efficietque ut exteri credant, Legatum non modo Regni Regiſve incolumitati non adverſari aut inſidiari, ſed magis (quantum honeſtas fideſque patiantur) favere, atque etiam ſtudere.

Attendet etiam, qua indole, conſuetudine, natura ſit Princeps; quibus rebus potiſſimum delectetur: quibus etiam vitiis deditus ſit; iiſdem expugnandus. Præterea, ſucceſſione an electione, vi vel ſorte Principatum adeptus ſit: alius enim aliuſque hoc diſcrimine erit, aliterque tractari debet. Differt quoque, juveniſne an ſenex ſit, calidus ancallidus, facilis an ſeverus, Martis pullus an Minervæ. Omnino qualis ſit animo & inclinatione, inveſtigandum eſt: id autem è moribus

actionibuſque magis, quam dictis elucebit. Vita enim cujuſque, veriſſima oratio eſt: at fictis abſcondet mentem verbis, qui tum maxime nihil dicet, cum blandiſſime loquetur. Cogites, geſta & conſilia, ſine mendacio verba eſſe; ſic loqui Principem, cum maxime ſilet; ſic in lucem arcana prodire. Magnum prudentiæ momentum eſt, ſcire, quomodo aliquando ſumpſerit arma, & poſuerit, qui pugnare adhuc poteſt: inducias quomodo conſervarit: injurias quomodo ultus aut paſſus ſit, fidem quomodo ſpreverit aut coluerit. Ad ſummam, ſcies quodammodo qualis futurus ſit, quem vides qualis fuerit.

A Principe ad eos flectendi ſunt oculi, qui cum Principe agunt; ut explores, quinam præcipue gratia valeant, & auctoritate: ut ſi vel illi ad te accedant, vel tu ad illos, facilior ſit omnis tractatio, quia cum notis. Item qui Regi ſuo magis addicti ex iis ſint, qui mage ſinceri & fide digni: qui incorrupti atque integri: qui muneribus inhiare iiſve in nequitiam ſequaces ſint. Et perpendendum, num Princeps aulæ ſuæ munia pluribus rerum peritis partitus fuerit, an vero uni ſorte non minus tribuerit auctoritatis, quam ſibi reſervarit. Tum enim ejus dumtaxat ingenium obſervandum, benevolentia captanda erit; qua cupiditate ducatur, quo ſcopo jaculetur, quarum rerum affectu odio-

ve

ve feratur, quid rerum non ignoret, quid minus intelligat. Ejuſmodi indagini aut amicitiæ, etiam moriones demerendi ſunt, quos conſtiterit eſſe gratos Iovi. Nam id genus hominum per ludum ſeria nonnumquam agunt: & quia familiares, facilius arcana penetrant; & rurſus, quia leves, eadem liberius revelant. Et certe Legato nullus non movendus eſt lapis, ut opus extruat quod molitur. Etiam robuſtiores parxeos pharmacis fors utendum fuerit; præſertim ſi inciderit in caput heteroclitum Principis, qui juſtitiæ aut rationi auſcultare noluerit, niſi mediis atque inſtrumentis minus obviis, minus integris: quibus ſuus quoque locus. Reſciet etiam Legatus, quis Princeps, quæ Reſp. atque etiam, ſi ſubodorari poſſit, quæ cauſa ſimul alios Legatos ad eum quem adivit, exciverit. Ut hiſce omnibus perſpectis, inſignis & accurata Relatio conſcribi poſſit, & pro occaſione vel neceſſitate, majori molimini commodior ſit via atque anſa.

Ad hæc non parum profuerit, diverſarum Nationum diverſa ingenia perſcrutari & perſpecta habere; ut in occaſione conſilia valeant. Nam ut artifex materiam circa quam verſatur, tum inſtrumenta quibus utendum eſt, perſpicere & cognoſcere debet; ſic Legatus gentem quam adit. A populo autem populus diſſidet ſua quiſque lin-

gua, lege, natura. Cælum & ſolum cauſam indolis cujuſque non minus diſtinguit, quam disjungit. Ut ergo alia in regione, aliæ elementorum ſunt qualitates; ita & humani corporis cerebrum & humores inæqualiter confundnnt, varieque afficiunt. Elementa autem cæleſtium molium motu agitantur: imo in ipſo corpore humano elementa ſunt: ſanguis, qui aëri deputatur, in venis, ſpiritus in ſanguine, anima in ſpiritu, mens in anima; quæ tametſi ab omni concretione libera, contagione tamen & cohæſione plurimum afficitur. Qui ad Auſtrum vergunt, & ardore ſolis torrentur; exhauſtis corporis humoribus atra bile abundant, quæ non aliter à ſanguine, quam fex à vino ſecernitur, & in imo ſubſidit. Septemtrioni viciniores, ſanguine & humore diffluunt; ideoque tardiores mente, etiam corpore; hujus tamen mole, & armorum audacia viriles, & interiore calore in pocula proniores. Qui medii ſunt, ex humoribus mixtis & confuſis, non una varietate aguntur. Ita tamen, ut qui plus Auſtri habent, ad animi motus ſint agiliores; qui plus Septemtrionis, ad ea quæ ſub ſenſum cadunt, id eſt, ad artes & opificia mechanica ſponte ſua ferantur. Galenus, cum humorum virtutes à corpore ad animum transfert, flavæ bili prudentiam tribuit, atræ conſtantiam, ſanguini læti-

lætitiam, pituitæ manſuetudinem: quorum humorum uno abundante, vel temperato; animi quoque virtus, aut extrema aut temperata exiſtit. Qui melancholia abundant, ait Ariſtoteles, ingenioſos cenſendos eſſe; qui pituita, tardos & conſtantes; qui bile, iracundos & actuoſos; qui ſanguine, alacres & benignos. Horum vero ratio phyſica reddi poteſt, quod flava bilis & ſanguis multum ignis & aëris admixtum habet; melancholia autem ſeu atra bilis & pituita, multum terræ & aquæ. Animadvertendum itaque, quo cæli climate degat Princeps, tum quæ in ipſo elementorum qualitates potiſſimum emineant aut dominentur. Reliqui autem populi (& quidni percurram?) alius in negotiis ſic celer eſt, ut prius rem geſſerit, quam iniiſſe conſilium credatur: alius omnem occaſionem conſultando conſumit. Eſt qui ante factum ſapere dicitur, qui in facto, qui poſt factum. Alius circumſpectus, alius ſtupidus; bibax alius, alius edax; alius ſobrius, alius intemperans audit, quod eas dumtaxat delicias forte æſtimet, quæ in ventre & ſub ventre. Item hic facilis, blandus, officioſus; ille auſterus, agreſtis, inhoſpitalis. Hic ſui & alieni negligens in felicitate; ille in adverſis etiam non egens. Ille atheus, alter ſuperſtitioni, tertius magiæ deditus. Hic turbulentus, pacificus

iſte: hic manu valet, ille mente. Eſt juxta Terentium quoddam genus hominum, qui ſe omnium exiſtimant eſſe primos, nec tamen ſunt: & quoſce diceres quantivis pretii, ſi non noſſes. Benignitas familiaritaſque in quibuſdam contemptum, amorem in aliis provocabit: maturitas gravitaſque in his venerationem, in aliis odium. Majeſtatis ſevera quædam oſtentatio quid divinum in his, in aliis barbarum faſtim redolet. Denique amari quidam volunt & benevolentia duci, cogi alii & impelli; dum illi libertatem, hi ſervitutem patiuntur. Alii ſuperlativis & cothurnatis, imo barbaris nominibus compellari geſtiunt: alii flocci faciunt quidquid nihil ad rem vel ad cutem. Quid? quod ipſæ Nationes etiam ritibus & geſtibus adeo diſcrepant, ut non aptius definias aut diſtinguas, quam ſi unam alteri obverſam dixeris. Ut ſingulis hominibus, ſic univerſim populis ſuum quidam genius eſt, ſuæ labes, ſuæ laudes. Ait Ovidius:

Ille laborabat vitio gentiſque ſuoque.

Ut autem nemini plus æquo detrahere aut tribuere videar; quoſdam ſic delineabo, ut in hanc potius favoris partem propendiſſe videri malim, quam in iſtam redargutionis. Amant enim hodie omnes exprimi ſermone, quemadmodum puellæ in tabella, quæ ſuæ venuſtatis typum ac delineamenta pingi

volunt,

volunt, non ſolum ſine nævo, ſed etiam ſine umbra. Nam & umbræ indignantur, quam forte ſymmetria, vel loci ſitus, ac luminis ratio exigit. Sed quia, ut quid omnino perite pingatur, non prorſus robuſtiore penicillo opus eſt; etiam blandior oculis artique ſatisfacit; hoc utar.

Itaque Germanos videre eſt corporis majeſtate venerabiles, ſermone pariter & ſilentio graves, in actionibus ſerios, induſtrios, laborioſos, quibus ingenuitas, fides, conſtantia hereditaria eſt, candor potius quam aſtus naturalis; nobilitate antiquos, veteri militiæ diſciplina claros; litteratura & mechanicis artibus eminentes.

Galli ſermone faciles, inceſſu ac totius corporis motu agiles gracileſque, in congreſſu morumque civilitate effuſa quadam benignitate blandiuntur: inſignes ſunt equites: in pugnis minaces, nec minus metuendi quia præcipites: denique ingenio, conſilio, moribus à moroſitate alieni.

Hiſpani ſtatura ſunt mediocri, ſupercilio elato, geſtu maſculo, ſermone oratorio, ut inceſſu ſic facto lenti, ab ebrietate & temeritate alieni, meliori fortunæ inhiantes, imo quaſi fiducia ſecuri, in conſiliis cunctabundi & providi, recondita inprimis mente; pedeſtri militia laudatiſſimi, arma & pacem temporibus prudentiſſime æſtimantes, Sed

& corporis cultum amant, ſordeſque palam odere, nec à patrio ritu facile diſcedunt: religione conſpicui, juſtitiæ rigidi cultores, Principum obſervantiſſimi, gloriæ & laudis quam lucri appetentiores.

Habitu compoſito Itali, inceſſo & ſpecie virili, victu frugi ac ſobrii, in congreſſibus circumſpecti & callidi, compoſita nonnumquam ad vindictæ languorum exulceratæ mentis larva: ſermone eloquentes, ingenio & judicio acres ad ea quæ futura ſunt profunde intenti, ad rerumpublicarum gubernationem validi, ſibi cauti, erga exteros officioſi.

Eſt & quoddam hominum genus facie venuſtiore, idiomate abrupto, melancholicum, & tamen vivido ingenio, exterorum impatiens, venationi, prædæ & peregrinationi addictum, navigio conſpicuum, muſicam & lautas menſas proprie ſibi vindicans: ceterum longi magis laboris & incommodi fugax, quam certi periculi aut leti: fortior his quippe victoriæ cura eſt, quam vitæ. Britannos non expreſſi, & tamen deſignavi.

Belgas, ut plurimum, ad vitia & virtutes æque proclives novimus, ſago & togæ aptos, libertatis ſtudioſos; externæ magis æmulos elegantiæ, quam ſuæ æſtimatores; mutuæ laudis parcos buccinatores; injuriarum atque beneficiorum tam facile immemores,

mores, quam ad pacem & humanitatem promptos; in domandis vero affectibus, in œconomia, in omni fortunæ calculo, in victu, amictu, moribus, peculiari quadam tinctos mediocritate.

Ferociores animo & fronte Poloni; alienis verius quam ſuis moribus culti: veſte virili atque immutabili, niſi quando peregrinantur: admiſſis beneficiis haud ingrati ſunt: bello ſtrenui, ſed ſolutiores; equitatu inprimis inſtructi. Ubi prælium neceſſitas ſuadet, pericula non ingrediuntur modo, induunt: ita fortunæ ſufficiunt vires, vel audacia pro viribus. Libertatem vero morum & religionum amant: veterum tamen legum & privilegiorum ſtudioſi ſunt: Regibus ſemel ſumptis, ſemper fidi.

Turcæ denique ſpeciali prorſus ſecernuntur indole, lege, cultu; ſervituti quaſi per libertatem aſſueti, orbis magis quam unius Regni incolæ: Martiales, & tamen Venerei: laborum tolerantes, crudeles, fœdifragi, ab elegantia potius quam mundicie alieni, in eduliis tenuiſſimi, litterarum contemptores, ingenio ſtolidi, ſimulque faſtuoſi: apud quos etiam ſuper religione rebuſve eorum geſtis ſcribere aut diſputare nefas: qui quodcumque volunt, æquum putant; iniquum, quidquid nolunt.

His quidem ſic perſpectis, haud ita grave

novumve

novumve cuivis fuerit cum Nationibus ſingulis agere, converſari, gratiam inire, illæſam conſervare, & e præſcripto Prudentiæ cautum atque circumſpectum eſſe. Particulatim vero ſingulos ſi homines penitius contemplari juvat; reperiemus, naturam ultra patriæ communis genium, adhuc proprium ac ſingulare aliquid indidiſſe ſingulis: prorſuſque ingenti miraculo, per tot capita populorum, cuique ſua lineamenta indidiſſe, quæ tam frontis quam animi habitum diſſimilitudine diſtinguerent. Reperiemus, inquam, quot homines, tot quodammodo naturas eſſe: imo quemque ſuos pati manes, & habere peculiarem inſtinctum, velut domeſticum dictatorem, cui parendum ſit, vel violenter reſiſtendum.

DISSERT. XXX,

Non ignarus Aulæ quam aditurus.

SUperior quidem Diſſertatio Nationum genium deſignat: ſed deſignat tantum. Plura aliunde conſtabunt. Nunc in pleraſque Principum Europæ Aulas Legatum deducamus, non longa, ſed utili, quemadmodum ubilibet acturus, inſtructione.

RO-

ROMÆ.

Ut mundi caput Roma, ita Legationum prima eſt Romana. Eccleſiaſtici Imperii hæc majeſtas, quæ ſumma eſt, ſancta eſt. Equidem Numen quoddam adire, huc ire eſt. Hæc Aula ceu Theatrum eſt, & tot Regnorum ſcenam continet: imo ceu Cælum eſt hæc Sedes, unde in tot Regna proſpectus. Sed & primam faciunt Legationem momenta rerum, quæ hoc loco maxima, ubi minima quoque Religionis fiunt colore, agitantur prætextu: eo ſubtilius & ſecretius, quod ſinceritas quæ mentis eſt, plerumque ignoratur quam procul abſit à mente. Sagacem nuſquam non ſolertiam, hodie prudentiam dicunt: rationem ſtatus, ſalutem; ſalva omnia, ſi is ſalvus. Quo facit acutum & ſobrium Italicæ gentis ingenium, tum ſapientiſſimorum toto orbe ſelectorum Cardinalium Concilium; ſed vel maxime omnium qui huc legantur conatus & curæ: quæ non omnes cæleſtes etiam dum cælum ſpectant. Multi dum ad unum hunc eumdemque locum conveniunt, ad eumdem etiam non raro ſcopum collimant. Aſtra ſuſpiciunt; ſed terram dum tangunt, ſperant, ſpirantque. Religionem prætendunt & clamant; ſed Regna moliuntur: & qua non facie, aſtu, arte? ò perſonatos!

Itaque quem hic Legatum voles, vir eſſe debet, non dici ſolum vel putari. Superficies quoſdam tales facit, non quod ſint, ſed quod appareant. Gigantes mole, hominum opinione, favore; qui nihil magis intus & in cute, quam Pygmæi. Procul eſte Roma tales;ne ambite,ne accedite. Virum, inquam, voles, qui mare illud ingreſſurus, cæleſti quodam animi vigore, ſtabili rerum agendarum experimento, vivaci prudentiæ præſagio, obvia devia, aſpera plana, turbines tempeſtates,vortices ſcyllas, &, quorum hic frequens numerus, ingentia balænarum corpora poſſit internoſcere, evitare. Latent iſta: & non ſemel Legationis ſcopus ſcopulos fit Legato. Sunt etiam Favonii, aliique mitiores flatus; quos obſervare decet, ut vela tuto facias. Sed nec ibi tutus es, quia venti ſunt, favor eſt, mel eſt; & ſub his violentia, furor, abſynthium.

Ante omnia vero meminerint quicumque ad Pontificem mittuntur, ſe eum adire, qui non hominis, ſed Dei ipſius locum & miniſterium ſupplet. Quo itaque cultu? qua obſervantia? qua animi corporiſque ſubmiſſione? ſane maxima: quæ tamen in Legato parva etiam erit, ſi ſummos quoque Imperatores ad pedum oſcula acceſſiſſe non ignoret. Nihil hinc decedit, cum ſic demitti, ad ſumma ſit admitti; & dejici, ſit

ele-

elevari. Abſint ergo refractarii, ſupercilioſi, impetuoſi & acerbi. Certe benignos, faciles, humanos, & tranquille dexteros Curia iſta petit, & ipſe ſummus optat Antiſtes; apud Principes, qui Legatos miſſuri ſunt, idipſum per Nontios ſuos procurans. Viciſſim quoque exterorum Legati qui Romæ degunt, inſtant idque agunt apud Pontificem, ne ab Apoſtolica Sede mittatur ad Principem Regi ſuo inviſum Nuntius, qui ille nimium addictus vel obſtrictus, Principi autem eorum offenſus vel ab eodem læſus ſit; ne ejus relationes hinc in favorem, iſthinc in odium undiaquaque propendeant. Magnum quippe in his momentum, res & conſulta turbare vel promovere.

Debet vero præcipue Legatus Romæ excellenti pollere ſolertia, inſigni ingenii vigore & promptitudine: quia agendi modus quo Pontifex utitur, multum differt ab eo qui eſt aliorum Principum. Ii enim, ea quæ proponuntur, vix umquam definiunt præſente Legato, ſed ad Concilium aut neſcio quem negotiorum Præſidem remittunt. Pontifex autem coram ſæpe & ex tempore reſpondet, difficultates diluit vel opponit. Quapropter apprime calleat Legatus apices ſingularum difficultatum & circumſtantiarum omnium, quæ ad negotium ſuum trahi vel hinc torqueri poſſent. Inſtructus præterea

terea ſit ſuper controverſiis prætenſionibuſque ſi quæ inter Principem ſuum Pontificemque, aut cum aliis, ſed coram Pontifice motæ quidem, ſed nondum definitæ ſint. Tum & rationes noverit, ob quas ſic definiendum fuerit: tum argumentorum rerumque nodos & nexus omnes, quibus jus ac prærogativa ſui Principis potiſſimum aſſeri, ſtringi atque extendi poſſit. Denique attendet, ne quidquam Pontifex decernat aut ſtatuat, quod domi Princeps præſtare, executioni mandare, vel nequeat, vel nolit: attendet, necubi in patriæ gentiſque genium impingatur. Eadem ratione non indiligenter inſtabit, ne Pontifex ulli in patria dignitates aut inſigniores præbendas conferat, ſe, aut potius Principe inconſulto. Rudis alioqui & harum rerum imperitus Legatus, hallucinationi, infortunio, atque indignationi expoſitus ſit neceſſum eſt, ſingulaque timide & tepide agat.

Arctiſſimum vero Pontificem inter & Principem ſuum amicitiæ vinculum conciliare quaqua ratione elaboret. Hic Legationis finis eſt, fructus eſt. Et licet Pontificis, qui plerumque in extrema ætatis linea conſtitutus, affectum & fœdus parum duratura quis dixerit, tum etiam mutandæ ſententiæ prætextum numquam deeſſe, dum ſemper Eccleſiæ majus commodum, major Dei gloria

ria prætendi poſſit: odium tamen Sanctæ Sedis neſcio cui non damno ceſſerit; inimicitia cui emolumento? Sane Chriſtiani reliqui Principes, utpote Religionis ſuæ ſtrenui cultores, facile id Eccleſiæ patrocinium præſtabunt; ut ſi quis Eccleſiam turbare aggreſſus fuerit, ſpolium fiat iis qui piæ ac religioſæ occaſionis titulo optimo, ſua augere, aliena occupare non tergiverſabuntur. Amari ergo ille inprimis debet & coli, qui omnium parens eſt quidam, & à quo in omnes multa ſunt & plura eſſe poſſunt cæleſtis & politicæ liberalitatis monumenta. Et quia in Aulis Principum non ordinarium magis nec efficax æque officium eſt, quam ejus quem illi ſuis ſecretis dignantur, & cui plurimum præ ceteris fidei & affectus tribuunt; maxime obſervandus & colendus erit quiſquis apud Pontificem gratia prævalebit, ſive ille conſanguineus, vel affinis, ſive Præſul, vel alius miniſter Eccleſiaſticus vel ſæcularis. Certe cum Cardinales omnes inſtrumenta quædam ſint, vel potius nervi & venæ queis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ corpus, utut diffuſum, minime confuſum, ſubſiſtit, vegetatur, nutrimentum ſimul & robur ſumit; hinc eſt, quod nemo ſit è ſacro illo Purpuratorum Patrum cœtu, qui non prodeſſe frequenter, obeſſe etiam non raro poſſit. Devinciendi itaque omnes, alii ut pro-

ſint,

ſint, alii ne obſint. Magna eſt Regum quorumdam in hos liberalitas. Sed hic cautela opus, quæ per Legatum adhibenda. Cum enim emolumenta ejuſmodi & penſiones, honoris æſtimatione cenſeantur magis quam utilitate, caute diſpiciendum, ne minori quingenta, majori trecenta improvide deſtinentur. Ingentes animi, ut fomites quidam ſunt, odii flammas tam cito concipiunt, quam diu alunt: cum aliis vel componi tantum, poſtponi eſt; diminui, comminui. Hinc quoque exacte noverit Legatus, quos anteceſſor in eo ipſo munere ſerio addictos Cardinales habuerit, quibus arcana credere poterit, ut & ipſe pari opera & amicitia eorumdem utatur: ne negligi illi videantur, appareatque anteriorem Legatum privati magis commodi quam publici cauſa eos coluiſſe; unde gravis offenſio, dehinc incommoda oriantur. De Pontificis Nepote quid addam? Ille juxta ſolem ſidus eſt, quod Romanum cælum maxime ornat. Sine illo cæca cuncta, & quam voles ſecus evenient. Plura ſuggeri poſſint, ſi poſſint. Unum monuero, ut etiam defuncti Pontificis Nepoti nihil non honoris ac beneficii conferatur: latens hoc & magnum in præſens & in poſterum gratitudini & benevolentiæ incitamentum.

Sed quid de eo quem defuncto Pontifici ſucceſſorem quidam volunt, alii deſtinant, tu ar-

tu arbitraris? quid ſi rebus non idoneus, non amicus? quid ſi turbulentus, qui ſtatui politico univerſim nil expediat? quid ſi quorumdam favore, factione, ni obſiſtant alii, intrudendus? quid de coëmptis, conſtructis ſuffragiis aut repulſis? de ejuſmodi aliis quæ electioni huic familiaria, forte etiam quædam neceſſaria? Nihil decerno, ne delibero quidem. Deliteſcant hæc apud eos penes quos Imperii cardo voluitur, & inter ea quæ tanti miniſtro muneris inſinuanda ſolum duxi, non explicanda. Hoc affirmo, Pontificis electionem, ejus magis cujus ille eſt Vicarius fieri nutu, quam hominum conatu. A cælo eſt, non hominum zelo; dum creatur plerumque præter, imo contra etiam opinionem ſingulorum.

Pergam porra minuta quædam in medium proferre, quæ hodierni in Urbe Romana uſus ſunt. Legatis Obedientiæ, ſeu qui Eccleſiaſticam ſubmiſſionem exhibituri, vel feudum, clientum ritu, oblaturi ſunt Pontitifici, dum eo venerationis actu funguntur, ſolemnis excepto & admiſſio præſtatur: Legatis autem Reſidentiæ, quos vocant, non item; ſed ordinario Concilio (quod Conſiſtorium dicitur, & ſingulis ſeptimanis convocatur) aditus patet. Obedientiæ etiam Legati, tunc reliquos ab exteris miſſos præcedunt, In primo acceſſu, & noviſſimo ab-

abſceſſu, pedes Suæ Sanctitatis genu flexo exoſculatur Legatus: deinceps dum admittitur, minime; honorem tamen per quam reverenter exhibet. Sedent in Conſiſtorio Cardinales ligneis pictiſque ſedilibus in orbem diſpoſitis (nimirum ut facies Pontificis, nullo obſtaculo intermedio, omnibus pateat) quorum in centro thronus ſeu tribunal eſt Pontificis. Surgunt illi dum loquuntur, & capite ſemper nudo: ſic quoque Regum Legati; quamvis Oratorem adduxerint, qui declamet eorum cauſa. Hoc tamen diſcrimine ſedent: nimirum Cardinales in ſedilibus quæ fulcris commodiora & ornatiora ſunt; Legati in iis quæ fulcris vacua, & inferiore ordine. Ideoque etiam illi caput, modo non loquantur, cooperiunt; hi nequaquam: ſed ipſis ſolum id liceret Principibus. Si quid autem ſoli Pontifici ſeorſim indicare ibi velit Legatus, ejus tribunal conſcendit; ſic tamen ut magis ad aures quam ad os loqui videatur, ne Pontificis proſpectus umquam occultetur. Dum autem aliis diebus privatim admittitur Legatus, Pontifex caput tegere, etiam ſedere plerumque jubet: ipſus autem publicis in congreſſibus non niſi ſedens loquitur, & ſtantes audit. Ubi primum advenit Legatus, atque à Pontifice admiſſus fuit; primum inviſet ejus Nepotes, mox Cardinales, prout

prout ibi auctoritate, tum prout ſui Regis favore atque amicitia præſtabunt. Sicubi deinceps eodem tempore pluribus adeſſe & gratificari deberet, nec poſſet; prævio epiſtolio remora excuſanda erit. Pius Quintus audiendis Legatorum poſtulatis præfixit diem Veneris: eaque conſuetudo adhuc modo inſtar legis eſt Oratoribus Imperatoris, Galliæ, Reipub. Venetæ, Sabaudiæ, Maltæ, Urbini, Mantuæ, Modenæ, Farraræ & Lotharingiæ. At vero Legatus Hiſpaniæ, ut incommoda vitaret quæ ex concurſu oriri ſolent, obtinuit admiſſioni diem Saturni; quo etiam admittuntur, ſi qui à Florentia, Parma aut Bononia audiendi ſint. Et quamvis ſuus cuique Legationi hic locus decretus ſit (non hic ad invidiam recenſendus, nec omnibus probatus) nonnumquam tamen, ſi non contentio, indignatio tamen apparet, aut abſentia auctoritati & honori conſulitur. Hiſpaniæ quidem Rex nihil non ſibi jure tribuendum exiſtimat, ob vaſtiſſimum qua terra qua mari Imperium; tum quia è ditionibus provinciiſque ejus, triplo plus emolumenti percipiat Sancta Sedes, quam à reliquis junctim Principibus. Solet Pontifex Legatos Regum extraordinarios ſemel invitare ad prandium. Sedent vero & veſcuntur illi in menſa humiliore, & parum remota ab iſta Summi Præſulis: dumque is pri-

ma vice bibit, ſurgit nudatque caput Legatus; poſt denuo ſedet. Non ſubminiſtrantur Legatis edulia: indies tamen mittuntur cuique quatuor panes, qui Honoris vocantur. Donaria & lautia quæ hinc accipiuntur, fere ſunt ſpiritualia, reliquiæ Sanctorum, roſaria, numiſmata, aliaque ſacris Bullis benedictionum & indulgentiarum munita. Solet in Legatorum ædibus, quemadmodum & Cardinalium, campana pulſari, quoties pranſuri ſunt, itemque quoties Heros quiſpiam ædes ingreſſurus vel egreſſurus eſt: qua nimirum illuſtris viri admiſſio indicetur, & protinus adſint qui deducant: in ſtipatorum enim, ſalutatorum, commeantium, confluentium numero, ornatu, qualitate, multum cenſeri & conſiſtere volunt decus ſplendoremque Legati. Hic infra dignitatem Principum atque etiam illuſtrium Legatorum putatur, voce ſua cubicularios alioſve famulos vocare, quorum fuerit obſequio præſentes auſcultare. Ideoque decentius exiſtimatur, argentea quadam campanula tinnitum edi, eamque ſuper holoſerico pulvinari collocari, curioſe adornato. Hac tamen diſtinctione, ut ſi quis dignior advenerit; juxta ejus ſedem pulvinar iſtud ponatur: quaſi omnino pulſus edi non debeat, non vocari ullus, niſi ad lubitum juſſumque dignioris. Loquitur Pontifex lingua Itala;

quam

quam ſi non calluerit Orator, Latina: ſcribit autem omnibus, etiam Barbaris, Latina.

PRAGÆ.

Extraordinariis Legatis plerumque hoſpitia cibique præbentur, Cæſaris ſumptu: Ordinariis non ſic. Domi autem inprimis magnificus & genialis ſit Legatus. Nam Germani non alia comitate facilius, quam conviviorum, peregrinis hoſpitibus ſe credent: utque naturæ candidioris ſunt, veriſſimam à ſe benevolentiam, & in ſe ex promi cenſent, ſi mutuo Lyæo affatim inundentur. Itaque ſi quis rem facturus eſt, eos omnes quibuſcum aut per quos agendum erit, ſæpius invitet ad epulas, ad hortos, ad ſeceſſus liberiores; in quibus numquam non aliquid quod faciat ad palatum.

Perpenduntur vero & tractantur Legationum negotia in Concilio Privato, ſeu Sanctiori: cujus Conſiliarii fere ſunt, cum Principes quidam Imperii, tum primariæ Nobilitatis viri. Si quæ pacta aut peracta fuerint, conſcribuntur per Vicecancellarium. Attamen Concilium Supremum, quod quaſi Univerſale, nuncupatur Diæta: quod conſtituunt tres Principes Eccleſiaſtici,

& totidem Sæcularis, haud ignoti nominis. Decernunt hi ſuper ſtatu & ſucceſſione Coronæ Imperatoriæ, rebuſque graviſſimis Orbis Germanici: & ſi ita inter ſe diſſenſerint convenerintve, ut tres ab una, nec minus ab altera parte ſteterint; cuicumque tunc Rex Bohemiæ (penes quem, numero votorum non diſpari, poſtremæ eſt deciſionis ſuffragium) acceſſerit; huic acquieſcendum erit, non ſecus quam ſi junctim omnes, unius ſententiæ extitiſſent. Et quia Sceptrum iſtud non ſucceſſione, ſed electione defertur; nil attinet dicere, quanti interſit Legatorum quorum Principes eo aſpirant, tantæ electionis Præſides ſibi devincire.

Iſte quidem per Diætam & Comitia eligendi mos ab antiquo eſt, & præſcriptus. Sed & alius quandoque intervenit ſecretior aut manifeſtior, dum integer Exercitus in Legationem mittitur, & ad Electionem concurrit. Scilicet ut tumultus omnis & injuria prohibeantur; nec minus ut intelligant Electores ceterique Principes, quam Auguſtus, quam potens ad tutamen atque incrementum Imperii, ad aſſerendum juſtitiam & dignitatem ſit futurus, qui ſic armis prævalet. Imo ut intelligant, quam tuto eum eligere poſſint, qui ne tuto quidem non eligi poſſit. Solet autem, ubicumque Corona aliter quam hereditate defertur, magna eſſe

eſſe ſub novo Principe varietas & diſcrepantia rerum omnium, major quam ubi patri filius ſuccedit, vel patruo nepos vel avo: adeo quidem, ut etiam in ipſis hominibus, dico Miniſtris, alium atque alium aſpectum ſenſumque erit deprehendere.

MADRITI.

Apud Hiſpanos, exterorum Legatis magna omnia, & extra mediocritatem profuſa: quaſi Majeſtatis tantæ pars ſit, cum nullis comparari. Non alibi gentium, animi majores, ſive in concedendis iis quæ petuntur, ſive in largitione lautiorum. Sed volunt Legatum foris ſplendidum conſpici, licet domi frugalior foret. Gravitatem & quamdam maturitatem æſtimabunt, ſed quæ velut ex naturæ præcepto intumeſcat. Levitas contemptui, propemodum odio erit apud eos, qui in ultima quoque ſorte ſupercilium non ponunt. Hic inter tardos diligens ſit Legatus. Quandoque, ubi cunctando conſtituendæ res, longos & ipſe cuniculos ſubducat, & veluti obſeſſis inaſpectos. Ventis addat pondus, menſuram flammæ.

Concilia varia ſunt, nec hiſtorico commentario inſtituta ſingulorum enucleanda. Illud tamen non omiſero; Legatum ſerio perpendere debere, quo in Concilio nego-

tium ſuum explicare & promovere aggredietur, eo omnia aptanda fore. Conciliorum Supremum eſt Status: cui Rex præſidet, Conſiliariorum tamen arbitriis neutiquam aſtrictus. Hoc in cœtu graviſſimorum virorum deliberatur, quid proponendum aut ſcribendum ſit exteris, quid reſpondendum Legatis; ſuſcipiendane, an ponenda ſint arma, ut ampliſſimum & protenſum toto orbe Imperium ſapienter ſuſtentetur, feliciter augeatur. Qui vero cærimonias formulaſque Aulæ & congreſſuum obſervare, cum ipſe gratia creſcere, gratia quoque potiri Legatus poterit ejus quem Rex privato magis favore dignatur, ſuopte ingenio & negotio perdiſcet.

PARISIIS.

Nullis mortalium indoles ad ſpeciem civilis elegantiæ magis facta quam Gallis: ſed & jocandi hilaris facilitas, ubi facetiæ plerumque non in præcordiis, ſed in labris natæ. Quocirca nequaquam moroſus ſit Legatus, neque ad faſtum intumeſcat: alioquin rerum ſuarum remoram frequens patietur, ſuique contemptum. Comitas quæ frontis artificio, luminumque clementer vibrantium, per ſermonum familiaritatem blanditur, magnum ibi ad recondita compendium.

Quia

Digitized by Google

Quia autem præcipua hujus Coronæ gubernacula atque officia, de patre hereditaria tranſeunt in filium; eo majori cura horum Miniſtrorum benevolentiam ſolicitabit, & Principi ſuo obnoxiam reddet Legatus: majori etiam fiducia apud hos veſtigiis præceſſoris ſui inſiſtet. Plurima ibi Concilia auctoritate illuſtria: eminent Parlamentum, & quod vocant Privatum ſeu Secretum. His dextere Legatus ſeſe inſinuabit, quoniam quæ petierit vel propoſuerit, plerumque ibi diſcutientur. Non omnes Legationum ritus recenſendi videntur, quia uniformes aut conſtantes ibi non ſunt. Minus propalaro, quæ aptiora Legationi hic & alibi conſilia & conatus: præſens occaſio & ingenium ſuggeret. Quædam ſciri poſſunt, imo fieri poſſunt, ſcribi non poſſunt. Unum adhuc dixero; Inprimis devinciendum eſſe eum, quiſquis Legatorum dandis inſtructionibus, relationibuſque conciliandis præfuerit: utiliorem enim eſſe quam dici contingat.

LONDINI.

Parlamenti auctoritas olim ſumma fuit, major quam ipſius Regis: adeo quidem, ut ſupremi hujus Concilii placitis atque ſtatutis Rex ſubſcribere deberet, obſiſtere non

poſſet. Hodie adhuc imago quædam extat ejus quod fuit. In Parlamentum Rex admittit quos cupit; non admittit quos non cupit: ne convocatur id quidem deinceps niſi conſulto & volente Rege. Convocari vero ſolet, quoties res graviores ad manum ſunt, & ex quibus Reſpublica Anglicana urgens damnum vel commodum ſpectat. Hinc ipſus Rex cœtui iſti Ordinum nonnumquam ſeſe adjungit, deliberationes rationeſque hinc inde intellecturus; ut majori affectu, publico bono videatur conſulere: utque ſimul à ſubditis impetrare queat, quæ imperare nequeat; ſed quamvis neceſſaria ſint, petere tamen cogatur. At vero quotieſcumque ea quæ Legatus exponit, ad Parlamentum examinanda remittuntur, tam difficile eſt, pro votis rem implicitam polliceri & promovere, quam haud facile eſt edocere tam diverſos atque demulcere. Quæ inter alias cauſa fuit, cur relationi ſuæ Anglicanæ quidam insereret; Blande inprimis & cum patientia ibi eſſe negotiandum, accito potius frigore quam calore. Creatum jampridem eſt Concilium Regum; quod quindecim Primoribus conſtat, qui intimi ſunt Regi, ejuſque Aulam ſequuntur, Regio ubique hoſpitio & apparatu. Conſiliariis hiſce mandata Legatus nonnumquam aperit: ideoque ut eorum quæ deſiderat potiatur,

tur, permagni intereſt, ut hos omnes ſibi devinctos, certe benevolos habeat vel faciat. Hac in Aula non dies, vix locus ullus conſtitutus eſt audiendis Legatis: ſed facilis patet acceſſus. Ædes eduliave publico ære non ſubminiſtrantur Legato: ſæpius is tamen ab Rege & Regiis invitatur. Majori proin ſui cultu, aliorum admiratione excipiendus erit Orator, quo numeroſiori comitum aſſeclarumque ſtipabitur cohorte: gratiamque conciliabit & augebit, ſi & frequens fuerit Aulicorum hoſpes ut ſplendidus conviva.

CRACOVIÆ.

Intricatioris & hic negotii momentum, haud minimam difficultatem laudemque adferre poteſt: non enim abſoluti Principis auctoritate Rex præfulget; ſed ſuper bello, pace, fœderibus & rebus Status, demum ſtatuit conſultis totius regni Nobilibus. Itaque ſi horum quam plurimos Principi ſuo Legatus amicos reddiderit, id ſpei foveri contingat, quod dum Corona hujus Regni non hereditario neque ſucceſſionis jure defertur plerumque exteris; ad eam ſic Legati Dominus, aut hujus amicus (ſiquidem Interregnum fuerit, aut novus Rex eligendus) facilius aſſumatus. Nolunt enim Po-

loni Nobiles Regem ex incolis & ſibi æqualibus conſtitui; qui ipſus per ſe imbecillior exiſteret, affiniumque ambitione tyrannidem forte induceret, vicinis Turcis nimio notam.

Primus à Rege, dignitate præeminet Cancellarius, Legatorumque poſtulatis vacat: qui alternis vicibus nunc ex Equitibus, nunc è Litteratis conſtituitur. Si quando ex Equitibus; plerumque in expeditionibus militaribus Aula abeſt. Ordines Regni duo ſunt, Senatorum & Equitum, qui junctim ad Comitia conveniunt: & illi quidem loco digniores, aſt non auctoritate. Senatorius quoque ordo, utpote per Regem adſcitus, quidquid Rex probat, facile approbat: Nobilium vero Deputati liberius votum ſuffragiumque promunt, quibus bonum & libertas patriæ ſuprema lex & ſpes.

Protinus ut Regnum Legatus ingreditur, Præfectus loci curſim præmittit ad Aulam, qui nuntiet Legatum adeſſe & progredi. Poloni autem Legatum non diu detinent; magnifice vero venientem excipiunt, abeuntem proculdeducunt, prout gratia negotii & perſonæ dignitas pompam merentur.

VENE-

VENETIIS.

Cum Venetorum Republica agere, non parum difficile credat Legatus; ubi cum tot hominibus negotium explicandum erit, qui ſumma invicem diffidentia feruntur, pereundique metu, æqualitatiſque & conſervationis ſui amore, adlaborant, ne quis præ reliquis excellat. Reſpublica, pacis apprime ſtudioſa, atque ita diuturniore tranquillitate digna, hoc egit ſemper, non adeo ut cuiquam imperaret, quam ut ne cui ſerviret. Et cum relationes totius orbis regiminum accuratiſſimas & abſolutiſſimas aſſeruent & perdiſcant Veneti; non aliunde Legati inſtructiores prodeunt quam ex hac Republica, ceu equo Trojano, vel rei politicæ palæſtra. Hic quoque attentius quam uſpiam alibi notatur, quidquid agat aut molliatur Legatus. Utpote quia Venetorum Legati ſecretis exterorum cognoſcendis & penetrandis maxime intenti ſunt; ita viciſim hic metuitur, ne eadem curioſitas & cura occupet atque erudiat exteros inibi reſidentes. Ideoque incolis non promiſcue licet, dum lubet, Legatum adire, ejus ædes frequentare, domeſticos convenire aut excipere. Male tamen quis neget, hic (ubi etiam homines degunt, & regunt homines) Legati induſtriæ,

largitioni fidoque ſilentio invia & occluſa eſſe omnia. Equidem cum ament Veneti, prudentem & felicem ſui regiminis modum celebrari, tum æſtimari avitum ſtemma & virtutum inſignia Nobilium & Senatorum: dum hæſit ibi præclariſſimarum animi dotium Legatus, ne ſolitudinem tædioſam experiretur, adeo exacte ſingulorum prima ab origine ſtirpem, tum progeniei ſeriem, & ſi quid in ea potiſſimum laudabile aut notandum eſſet, perdidicit; ut iis ipſis, quos ea ſtemmata & elogia contingerent, diſtinctius certiuſque ſingula referre & probare noſſet. Ita factum, ut multorum ille aures oculoſque oblectaret, animos ſibi devinciret: & curioſa quotidie Genealogicarum quæſtionum aviditate, plures congredi vellent; quos Legatus non difficilis admitteret, dum nobile hoc jucundumque Genealogiæ ſtudium, honeſtiſſima eſſet (ſubinde etiam neceſſaria) colloquendi diutiuſque ſubſiſtendi cum multis occaſio. Sic aliud agens, ad oſſa & medullas ſecretiſſimarum machinationum, innocua tutaque indagine, peruaſit.

Porro in hac Repub. primum munus eſt electi Ducis: proximum, ſex Procuratorum S. Marci. Officia hi gerunt perpetua: reliqui certis temporibus definita. Ne Ductor quidem exercitus aſſumitur, niſi ad tempus, iſque externus; quo minus forſan aucto-

auctoritate vel bellica gloria intumeſcens, Imperium invadat. Et quamquam Venetorum Dux ordine primus ſit; ſeorſim tamen ſine Concilio Decemvirum (quod apud eos ſummum), non deliberat aut ſtatuit quidquam: ne epiſtolam quidem externi Principis aut Legati referat, niſi quiſpiam ex prædictis Decemviris caſu vel vocatus adſit. Quinimo ſuffragium cujuſque Senatoris non aliter numeratur, quam ipſius Ducis: proindeque, pro ratione & Reipublicæ bono, libere Senatores eidem refragantur. Denique non niſi Reipub. nomine, nec aliud quam quod decrevit Concilium Decemvirum, exterorum Legatis Dux reſpondet. Hujus Concilii vir magnæ ſemper exiſtimationis eſt qui à Secretis eſt; Legato colendus.

CONSTANTINOPOLI.

Hic quæ potiſſimum obſervanda ſint, liberius lubet proferre, prout minus tegi debent, & fida mihi & perita relatione conſtant. Quoties, accepta fide publica, Turcarum limites & ditiones ingreſſus eſt Legatus, communia ei patent Xenodochia, quæ piâ privatorum hominum fundatione, præcipuis in viis, olim extructa & dotata adhuc extant excipiendis advenis, non vagis tamen inertia aut mendicabulo hominibus,

quales ibi ratio nuſquam fert politica. Hiſce in xenodochiis, etiam Legati aſſeclis præbentur lecti, ſtragula, panes, placentæ, tum oryzæ quod ſatis eſt: liquor etiam coquitur, ſedandæ ſiti & nutritioni aptior quam inebrici. Sicubi ejuſmodi xenodochium non extiterit; facile erit Legato, deſignatione Præfecti vicorum, nanciſci & ingredi domum alicujus opulentioris incolæ: ubi ſingula quoque ſuppeditentur, ſed ſumptu Legati. Interdum tamen lautius & publico ubique is ære exceptus & deductus eſt, ſed Legationis gratia & exemplo pæne ſingulari. Ubi autem, accepto itinerum deſignatore, Byzantium prope attigerit; obviam procedunt Nuntii Curiales, Regiique milites, quorum præfecti duo ſtipant Legato latus, & ad hoſpitium privato vel publico ære aſſignatum deducunt: hic protinus aliquot viri Primarii (qui Baſſæ vel Vizyres nuncupantur) familiareſque corycæi, mandata Legati certatim exquirunt. Iſque ſi ingrata vel infauſta attulerit, niſi diſſimulaverit, non introducitur ad exponendum: ſed præſentem omnis contumeliæ injuriæque ultionem generoſiſſimo & maximo Domino inprimis cordi eſſe, ſuggerunt: nimirum, ut vel inauditus abeat, vel ſileat Legatus, & gratiora à Principe ſuo mandata exſpectet, etiam in multos annos, Admiſſio autem non

niſi

niſi bis Legato conceditur : ſemel in acceſſu, iterumque in abſceſſu. Et tum quidem ſobrie ſed graviter reſpondet Turca : per Miniſtros tamen ſententiam aut imperia ſua uberius poſtmodum denuntiat. Et hæc admiſſio non tam Legationis decus, quam barbarum liᶜtoriæ ligationis dedecus repræſentat. Namque intromiſſum comitantur vel verius cohibent duo Dynaſtæ, qui Legato claudunt utrumque latus; ejuſdem libertati illorum manibus ceu manicis injectis, ne commovere ſeſe, aut brachiis omnino libere uti queat. Nimirum cum tam felix non ſit tyrannus, ut quis ei nocere nolit; hoc agit hercule, ne poſſit. Quem morem inſtitutum volunt ex eo, quod Georgius Servlas, necem herilem & oppreſſæ patriæ calamitatem ulturus, certus cupiduſque ſimul perdere & perire, ad tyrannum admiſſus, mucrone exerto eum trucidarit. Ut hinc etiamnum hujuſmodi diffidentia duret in Legatis: quamvis & iſta hæc ad faſtum quoque faciat quam plurimum. Ne quis autem peregrina veſte & externa quaſi auᶜtoritate Turcam accedat; adeunti Legato, tum ejuſdem nobilioribus comitibus, Secretario quoque & Interpreti, qui una ingrediuntur, dono datur palla Turcica, ſerico & auro intexta; quam tunc veſtibus ſuis ſuperinduiſſe omnes tenentur. Unus tamen Legatus

ad

ad thronum ſeu tribunal Turcæ, ſimul cum Interprete, admittitur: reliqui ad medium ejuſce cubiculi ſubſiſtunt. Tum alter deductorum Dynaſtarum ſic infit: *Legatus Imperatoris* (ſic enim exteros Principes Dominus ille appellat) *Galliæ, Angliæ,* ····· *Mancipium tuum, ad genuum tuorum oſculum ſeſe provoluit.* Exinde tactam fimbriam exoſculari debet Legatus, mandataque proferre, ac denuo adverſa facie retrogredi. Cujus tam projectæ ſubmiſſionis cauſa, Tyrannus iſte, ab Hiſpania Legatione numquam decoratur: idque Maximi Regum dignitati auctoritatique illuſtre & eximium eſt.

Regio in cubiculo quamdiu, uti dictum eſt, Turcico amictu conſpicitur; caput quoque pari ritu non nudat Legatus, nec ulli Magnatum ibidem ad ſtantium honorem exhibet, neque excipit ab ullo. Admiſſionis quoque die inſtruitur Legato epulum, quo eum primarii aliquot viri in Aula (quæ Porta Turcis dicitur) excipiunt. Reliqui aſſeclæ (dummodo Legato conſanguinei non fuerint, neque comites Legationi) inferiore cubiculo & conſortio, laute tamen, menſis adhibentur. Ceterum genialis illa hoſpitalitas conviviorum, quæ apud candidiores & cultiores gentes in veneratione atque uſu eſt, apud Turcas minime obtinet: qui licet vino libenter ſeſe ingurgitent, eo tamen ab-

ſtinere,

ſtinere, ſacris & politicis legibus jubentur; ne ſcilicet ingenia ſæva & faſtuoſa, vini vapore in furorem acta, publice privatimve noceant. Invitati tamen à Legato Primates, liberioris convictus ergo, lubentes adſunt. Hac tamen in animi remiſſione, ipſaque quodammodo intemperantiæ licentia, cautus maxime tectuſque perſiſtat Legatus apud hominum genus, quos ſola perfidia, peſtis & venenum converſationis humanæ, nobiles reddit: qui in pejus ſingula ſuſpicando attollunt: ubi neque Legationis, neque ullum jus gentium ſatis colitur aut in tuto eſt.

Dominus Turcarum, licet Illyricam & Italicam linguam calleat, Legatos nec audit nec affatur peregrina. Interpretes autem, tam Chriſtianos, quam Iudæos, locatitia opera Byzantii affatim invenire eſt; & hos minus fidos. Legatorum quoque pacta idiomate & charactere Turcico conſcribi debent, alioqui jure & efficacia obligationis, dum Barbaris viſum, carent.

Pro gratia negotii, atque auctoritate ejus qui Legationem mittit, ſingula Legato hic auctiora aut contractiora ſubminiſtrantur. Nonnumquam hoſpitium publicum datur, mittuntur aulæa, cibi, fœnum, hordeum, ligna; aliquando nummi, queis ea omnia ſibi conquirat. Et rurſum elargitio illa minuitur vel ceſſat, prout nimium differ.

differtur vel negatur, quidquid Turca non tam petere aut proponere, quam exigere aut imperare ſolet. Aſſignantur Legato quatuor Regii milites, qui ædes & ſacra ejus ab omni injuria tueantur, tum & domeſticos quoquoverſum ad forum aut negotia deducant, prohibeantque ne quis petulanti manu aut lingua infeſtus incurrat. Legatos vero Principum, quos magis vicinos & metuendos Turca habet, (Germaniæ, Perſiæ, Poloniæ) comitatur præterea Nuntius aliquis Curialis; explorandi tamen magis quam honeſtandi ergô.

Quia vero Turcæ, religione quapiam ac velut naturæ ductu, Ingratitudinem execrantur; tum quia muneribus plus quam ceteri mortalium inhiant; quod alibi conſultum, hic prorſus neceſſarium dixero, munera Domino atque etiam familiaribus ejus offerre: quamvis ille ex oblatorum pretio atque præſtantia, eo majus obſequium ſibi ab exteris, ceu clientibus, in Majeſtatis & Auctoritatis ſuæ ſignum, deferri putet. Ideoque oblatis muneribus, utut multis & magnis, vix quidquam rependit, quaſi ſibi debitis. Abeunti Legato auratis phaleris equus datur, nec quidquam præterea; immenſo immanis arrogantiæ tumore.

Sciendum quoque, id eſſe ingenium Turcis: quod ſi quis ad humile nimis obſequium,

ad

ad degeneres preces deſcenderit, eum deſpectui habeant, demiſſo ac cedenti facile inſultent moleſti & iniqui; arrogantiam ſuperbiamque, dummodo à contumelia diſjunctam, magnitudini tribuant animi & fortunæ. Potiſſimarum dignitatum & functionum munia, ex primis politicorum Legiſlatorum inſtitutis, potiſſimum committuntur iis, qui dogmate & nomine Dei Vivi abjurato Mahometiſmum ſunt amplexi; & Renegati vocantur. Nec quæritur, qua illi Natione aut Stirpe ſint; dummodo conſpicua in obſequium fide, in rebus agendis ſtrenui atque ſolertes. His quidem conſtantius fidit Turca, quod nullo ibi robuſtæ cognationis vel affinitatis nixos fulcimento, minus fore in ſeditionem rebellionemve proclives putat aut paratos: tum vel maxime, quod in Chriſtianos eorum opera præſtantior ſecuriorque, qui à Chriſtianis Apoſtatæ receſſerunt, nulla ad eoſce redeundi ſpe aut mente, apud quos pares voluptates, opes, honores non exſpectent nec experiantur. Hi autem, ceterique etiam qua Toga qua Sago conſiliarii, præſides atque miniſtri, majori auctoritate præditi ſunt, prout Turcarum Dominus magis iners aut ſolers eſt, ingenio judicioque repit vel inſurgit.

DISSERT. XXXI.

Polytropus.

QVid ſi & Peregrinationes olim ſuſceptas hic laudavero ? Utiles arbitror, ſed ſi ad uſum referantur ; magiſque ad prudentiam , quam ad voluptatem directæ ſint. Quidam enim amœna tantum inveſtigatione urbes , populos , & adeſa rudera perluſtrant, ut oculos curioſos aureſque , non ut animum paſcant , mutentve : ut fors quid præ ceteris ſeſe ſpectaſſe , portentoſe gloriari poſſint , & quæpiam narrationum monſtra objicere credulorum mentibus. Similes fortaſſe juvenibus , qui cum multum temporis & peculii ſtudiis nequidquam impenderint ; nihil domum conferunt præter tritam togam , & ſcholaſticorum appendicem illuviem. quibus merito Homericum illud occinatur :

Turpe foris manſiſſe diu , vacuumque rediſſe.

Aſt quorum animus una cum corpore non exulat; probe intelligunt, Troiæ quidem, id eſt, domi , Hectores naſci ; foris vero Vlyſſes fieri. Et hi , quidquid uſpiam viderint boni moris vel exempli, imbibunt, animumque quodammodo grandiorem efficiunt obſervatu tot ſublimium & novarum rerum. Congreſſus enim ſapientum , diligenſque rerum

rerum & eventuum obſervatio Polytropum facit, non maria, non montes. Multum ſane deerit ei, in actionibus interdum ceu mutilus aut mancus erit, qui numquam patriæ, vix culinæ limen egreſſus, tranſverſo tantum foro ambularit. Nativum hoc & domeſticum rus ſæpe diluitur quæſita & peregrina illa inter ignotos conſuetudine: multaque ibi diſcuntur, quæ nullus liber doctorve inculcet. Certe generoſiores ut feras cavea fatigat & frangit; ſic altas mentes patrius ille carcer. Si tamen externa Legatus non peragrarit; proximum erit, ut è geographiæ ac coſmographiæ tabulis (quas hiſtoriæ oculos indigetat Ortelius) eruditam aliquam diſſitorum locorum cognitionem habeat, hauriatve. Hujuſmodi diligentiæ & cognitionis adminiculo, conſtat eximium quemdam Maximi Regis Conſiliarium, poſſe, ſummo applauſu, deſcribere atque diſtinguere præcipuarum orbis plagarum, etiam Belgii noſtri non ſolum urbes, ſed portus, pontes, flumina, itinera: adeo ut ii qui hiſce in locis diu verſati & exercitati putantur, ne contradicere quidem ſoleant, niſi erroris manifeſte convincantur; cum ille Belgium numquam viderit.

DISSERT. XXXII.

Adverſam fortunam expertus.

QUinimo proderit, ſi Legatus ipſa malorum conſuetudine robuſtior, varia ac novercante ſorte exercitatus ſit, ardumque decurrerit calamitatis circum. Alitur enim & invaleſcit adverſis rebus animi vigor: & vere quæ nocent, docent. Ærumna velut vitæ regula, cos virtutis eſt, excuſſoque veterno ad ſapientiæ vigil ſtudium homines acuit. Interdum magnus peccator, bonus admonitor eſt. Gloriatur Mithridates: Mihi fortuna ereptis rebus, uſum dedit bene ſuadendi. Quid enim ſapiat, qui ſemper in deliciis ac lætis? Facilius inveneris, qui ſapientiam acquiſierint in adverſa fortuna, quam qui non amiſerint in ſecunda. Neque omnibus nocuit fuiſſe lapſos. Etiam ægrotaſſe, interdum medelæ ac ſaluti fuit. Sic fluviorum non paucos per medium maris ferri conſtat, nulla puritatis aut dulcedinis ſuæ jactura. Et pulcherrimus iſte mundi oculus deformia ac fœda etiam loca ſuis radiis perluſtrat, nec inquinatur. Quippe peregrinatur, vel verius hoſpitatur quorumdam animus in nequitia, non habitat. Juxta Lactantium, duo ſunt Sapientiæ gradus: primus eſt, falſa intelligere; ſecundus, vera cognoſce-

noſcere. Negavitque Plato, ſatis continentem ſibi videri eum, cui anterior vita non inter errorum & voluptatum mille pericula explorata ſit. Sic pariter ſtatuendum eſt, non eſſe aptum cuilibet Legationi virum, cujus robori & conſtantiæ iniquitas fortunæ non ceſſerit. Profecto qui numquam circumventus fuit, imparatior & incautior eſt in inſidiis fraudulentorum. Adeo humanum ingenium adverſitatum velut affrictu acuitur, ſtimuliſque excitatur. Forte quia adverſorum ſucceſſuum attentior eſt conſideratio, tenaciorque memoria. Demetrius ajebat, Nihil ſibi videri abjectius eo, cui nil in vita accidiſſet adverſi: quod oporteat talem hominem, aut ſibi ignotum eſſe, aut Diis inviſum; ut quem præterierint velut ignavum, nec idoneum ad fortunæ conflictum. Hinc non pauci ea ſolum infelicitate laborant, quod numquam fuerint infelices: quos utique felicitatis dignoſcendæ & infelicitatis prohibendæ artes latebunt.

Quod venit ex facili, faciles ſegneſque tenemus;
Quod ſpe, quodque metu torſit, habere juvat.

Quamvis pariter fatendum ſit, nihil intolerabilius eſſe eo, qui ſecunda nimis fortuna ſaginatus, ſtimulos ingenioſæ paupertatis in ſuperbum otium commutarit. Notum illud:

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.

Et

Google

Et certe ſæpenumero virtus deſeritur copia vel inopia fortunæ. Idemque in artibus evenire ait Plato, cum dives diſſolutior artem amplius exercere non velit; inops, magis de rerum conquiſitione, quam de cognitione ſollicitus eſſe debeat, veriuſque de auertenda fame, quam de aſtruenda fama.

Nolim tamen Legatum amplius adverſæ fortunæ incumbere, velut ſcopulis adhærere. Virum quæro qui ſurrexerit, & obduruerit; ut ferendo oneri in poſterum par ſit. Minus Principi ſufficiet, qui fortunæ injuriis & anguſtiis diſtringitur & abripitur, jam minor ſeipſo. Novi quondam hominem, ingenio accenſum, ad ſublimia à natura factum, qui dum aliquot difficultatibus, litium quoque tricis exagitatus, inique vapulaſſet; totus mox perfunderetur rerum nauſea, & ſibimetipſi gravis, implexam, quaſi torcularibus compreſſam, depreſſam mentem, deinceps numquam attolleret: quinimo abhorreret à rebus lætioribus & amœnis, triſtibus & ſolitudine afficeretur: ne vinum, ne oleum quidem à Samaritano propinatum admiſiſſet: adeoque omnem ſurgentis ſpei fructum infelix litium lolium ſuffocarat; ut nobilis ille magnarum cogitationum ſuccentor ignis elangueret in lethargicum & emortuum teporem atque gelu. Hem Melancholia, illuſtrium inimica moliminum!

DIS-

DISSERT. XXXIII.

Intrepidus.

MAgno munus ſuum animo amplectetur Legatus: ſumetque, non ſuperbiam ex merito, ſed fiduciam, periculis, opprobriis, miniſque omnibus, ipſaque morte validiorem. Tanti eſſe patriæ ſalus debet, tanti dignitas auctoritaſque Principis: nec Legatus erit, niſi timori aularum nocturno, dæmoniis incurſibuſque meridianis, ipſique adeo in tenebris ambulanti negotio, imperterritum & impenetrabile pectus circumferat,

——— *mediis tranquillus in umbris.*

Urticam ſi cunctantur attingis, urit; ſi preſſim, hebeſcit.

Degeneres animos timor arguit. ———

Itaque quo tendat, non quæ paſſurus ſit, æſtimabit Legatus; niſi quod & hæc ipſa in gloriæ augmentum cedent. Neque infelix dicendus erit, qui magnum animum non inglorio exitu probarit, pro Rege & Deo non timidus mori. Et quanti omnino intereſt, quo infortunio perieris? Animamne per vulnus, an per os emiſeris? ferrum, an febris excuſſerit? gladius, an gula? niſi quod glorioſius gladius, quam gula. Semel mori,

ad thronum ſeu tribunal Turcæ, ſimul cum Interprete, admittitur: reliqui ad medium ejuſce cubiculi ſubſiſtunt. Tum alter deductorum Dynaſtarum ſic infit: *Legatus Imperatoris* (ſic enim exteros Principes Dominus ille appellat) *Galliæ, Angliæ, ····· Mancipium tuum, ad genuum tuorum oſculum ſeſe provoluit*. Exinde tactam fimbriam exoſculari debet Legatus, mandataque proferre, ac denuo adverſa facie retrogredi. Cujus tam projectæ ſubmiſſionis cauſa, Tyrannus iſte, ab Hiſpania Legatione numquam decoratur: idque Maximi Regum dignitati auctoritatique illuſtre & eximium eſt.

Regio in cubiculo quamdiu, uti dictum eſt, Turcico amictu conſpicitur; caput quoque pari ritu non nudat Legatus, nec ulli Magnatum ibidem ad ſtantium honorem exhibet, neque excipit ab ullo. Admiſſionis quoque die inſtruitur Legato epulum, quo eum primarii aliquot viri in Aula (quæ Porta Turcis dicitur) excipiunt. Reliqui aſſeclæ (dummodo Legato conſanguinei non fuerint, neque comites Legationi) inferiore cubiculo & conſortio; laute tamen, menſis adhibentur. Ceterum genialis illa hoſpitalitas conviviorum, quæ apud candidiores & cultiores gentes in veneratione atque uſu eſt, apud Turcas minime obtinet: qui licet vino libenter ſeſe ingurgitent, eo tamen ab-

ſtinere,

ſtinere, ſacris & politicis legibus jubentur; ne ſcilicet ingenia ſæva & faſtuoſa, vini vapore in furorem acta, publice privatimve noceant. Invitati tamen à Legato Primates, liberioris convictus ergo, lubentes adſunt. Hac tamen in animi remiſſione, ipſaque quodammodo intemperantiæ licentia, cautus maxime tectuſque perſiſtat Legatus apud hominum genus, quos ſola perfidia, peſtis & venenum converſationis humanæ, nobiles reddit: qui in pejus ſingula ſuſpicando attollunt: ubi neque Legationis, neque ullum jus gentium ſatis colitur aut in tuto eſt.

Dominus Turcarum, licet Illyricam & Italicam linguam calleat, Legatos nec audit nec affatur peregrina. Interpretes autem, tam Chriſtianos, quam Iudæos, locatitia opera Byzantii affatim invenire eſt; & hos minus fidos. Legatorum quoque pacta idiomate & charactere Turcico conſcribi debent, alioqui jure & efficacia obligationis, dum Barbaris viſum, carent.

Pro gratia negotii, atque auctoritate ejus qui Legationem mittit, ſingula Legato hic auctiora aut contractiora ſubminiſtrantur. Nonnumquam hoſpitium publicum datur, mittuntur aulæa, cibi, fœnum, hordeum, ligna; aliquando nummi, queis ea omnia ſibi conquirat. Et rurſum elargitio illa minuitur vel ceſſat, prout nimium

differ.

differtur vel negatur, quidquid Turca non tam petere aut proponere, quam exigere aut imperare ſolet. Aſſignantur Legato quatuor Regii milites, qui ædes & ſacra ejus ab omni injuria tueantur, tum & domeſticos quoquoverſum ad forum aut negotia deducant, prohibeantque ne quis petulanti manu aut lingua infeſtus incurrat. Legatos vero Principum, quos magis vicinos & metuendos Turca habet, (Germaniæ, Perſiæ, Poloniæ) comitatur præterea Nuntius aliquis Curialis; explorandi tamen magis quam honeſtandi ergô.

Quia vero Turcæ, religione quapiam ac velut naturæ ductu, Ingratitudinem execrantur; tum quia muneribus plus quam ceteri mortalium inhiant; quod alibi conſultum, hic prorſus neceſſarium dixero, munera Domino atque etiam familiaribus ejus offerre: quamvis ille ex oblatorum pretio atque præſtantia, eo majus obſequium ſibi ab exteris, ceu clientibus, in Majeſtatis & Auctoritatis ſuæ ſignum, deferri putet. Ideoque oblatis muneribus, ututmultis & magnis, vix quidquam rependit, quaſi ſibi debitis. Abeunti Legato auratis phaleris equus datur, nec quidquam præterea; immenſo immanis arrogantiæ tumore.

Sciendum quoque, id eſſe ingenium Turcis: quod ſi quis ad humile nimis obſequium,

ad

ad degeneres preces deſcenderit, eum deſpectui habeant, demiſſo ac cedenti facile inſultent moleſti & iniqui; arrogantiam ſuperbiamque, dummodo à contumelia disjunctam, magnitudini tribuant animi & fortunæ. Potiſſimarum dignitatum & functionum munia, ex primis politicorum Legiſlatorum inſtitutis, potiſſimum committuntur iis, qui dogmate & nomine Dei Vivi abjurato Mahometiſmum ſunt amplexi; & Renegati vocantur. Nec quæritur, qua illi Natione aut Stirpe ſint; dummodo conſpicua in obſequium fide, in rebus agendis ſtrenui atque ſolertes. His quidem conſtantius fidit Turca, quod nullo ibi robuſtæ cognationis vel affinitatis nixos fulcimento, minus fore in ſeditionem rebellionemve proclives putat aut paratos: tum vel maxime, quod in Chriſtianos eorum opera præſtantior ſecuriorque, qui à Chriſtianis Apoſtatæ receſſerunt, nulla ad eoſce redeundi ſpe aut mente, apud quos pares voluptates, opes, honores non exſpectent nec experiantur. Hi autem, ceterique etiam qua Toga qua Sago conſiliarii, præſides atque miniſtri, majori auctoritate præditi ſunt, prout Turcarum Dominus magis iners aut ſolers eſt, ingenio judicioque repit vel inſurgit.

Dissert. XXXI.

Polytropus.

QVid ſi & Peregrinationes olim ſuſceptas hic laudavero ? Utiles arbitror, ſed ſi ad uſum referantur ; magiſque ad prudentiam, quam ad voluptatem directæ ſint. Quidam enim amœna tantum inveſtigatione urbes, populos, & adeſa rudera perluſtrant, ut oculos curioſos aureſque, non ut animum paſcant, mutentve : ut fors quid præ ceteris ſeſe ſpectaſſe, portentoſe gloriari poſſint, & quæpiam narrationum monſtra objicere credulorum mentibus. Similes fortaſſe juvenibus, qui cum multum temporis & peculii ſtudiis nequidquam impenderint ; nihil domum conferunt præter tritam togam, & ſcholaſticorum appendicem illuviem. quibus merito Homericum illud occinatur :

Turpe foris manſiſſe diu, vacuumque rediſſe.
Aſt quorum animus una cum corpore non exulat; probe intelligunt, Troiæ quidem, id eſt, domi, Hectores naſci ; foris vero Vlyſſes fieri. Et hi, quidquid uſpiam viderint boni moris vel exempli, imbibunt, animumque quodammodo grandiorem efficiunt obſervatu tot ſublimium & novarum rerum. Congreſſus enim ſapientum, diligenſque rerum

rerum & eventuum obſervatio Polytropum facit, non maria, non montes.* Multum ſane deerit ei, in actionibus interdum ceu mutilus aut mancus erit, qui numquam patriæ, vix culinæ limen egreſſus, tranſverſo tantum foro ambularit. Nativum hoc & domeſticum rus ſæpe diluitur quæſita & peregrina illa inter ignotos conſuetudine: multaque ibi diſcuntur, quæ nullus liber doctorve inculcet. Certe generoſiores ut feras cavea fatigat & frangit; ſic altas mentes patrius ille carcer. Si tamen externa Legatus non peragrarit; proximum erit, ut è geographiæ ac coſmographiæ tabulis (quas hiſtoriæ oculos indigetat Ortelius) eruditam aliquam diſſitorum locorum cognitionem habeat, hauriatve. Hujuſmodi diligentiæ & cognitionis adminiculo, conſtat eximium quemdam Maximi Regis Conſiliarium, poſſe, ſummo applauſu, deſcribere atque diſtinguere præcipuarum orbis plagarum, etiam Belgii noſtri non ſolum urbes, ſed portus, pontes, flumina, itinera: adeo ut ii qui hiſce in locis diu verſati & exercitati putantur, ne contradicere quidem ſoleant, niſi erroris manifeſte convincantur; cum ille Belgium numquam viderit.

DIS-

DISSERT. XXXII.

Adverſam fortunam expertus.

QUinimo proderit, ſi Legatus ipſa malorum conſuetudine robuſtior, varia ac novercante ſorte exercitatus ſit, ardumque decurrerit calamitatis circum. Alitur enim & invaleſcit adverſis rebus animi vigor: & vere quæ nocent, docent. Ærumna velut vitæ regula, cos virtutis eſt, excuſſoque veterno ad ſapientiæ vigil ſtudium homines acuit. Interdum magnus peccator, bonus admonitor eſt. Gloriatur Mithridates: Mihi fortuna, ereptis rebus, uſum dedit bene ſuadendi. Quid enim ſapiat, qui ſemper in deliciis ac lætis? Facilius inveneris, qui ſapientiam acquiſierint in adverſa fortuna, quam qui non amiſerint in ſecunda. Neque omnibus nocuit fuiſſe lapſos. Etiam ægrotaſſe, interdum medelæ ac ſaluti fuit. Sic fluviorum non paucos per medium maris ferri conſtat, nulla puritatis aut dulcedinis ſuæ jactura. Et pulcherrimus iſte mundi oculus deformia ac fœda etiam loca ſuis radiis perluſtrat, nec inquinatur. Quippe peregrinatur, vel verius hoſpitatur quorumdam animus in nequitia, non habitat. Juxta Lactantium, duo ſunt Sapientiæ gradus: primus eſt, falſa intelligere; ſecundus, vera cog-

noſce-

noſcere. Negavitque Plato, ſatis continentem ſibi videri eum, cui anterior vita non inter errorum & voluptatum mille pericula explorata ſit. Sic pariter ſtatuendum eſt, non eſſe aptum cuilibet Legationi virum, cujus robori & conſtantiæ iniquitas fortunæ non ceſſerit. Profecto qui numquam circumventus fuit, imparatior & incautior eſt in inſidiis fraudulentorum. Adeo humanum ingenium adverſitatum velut affrictu acuitur, ſtimuliſque excitatur. Forte quia adverſorum ſucceſſuum attentior eſt conſideratio, tenaciorque memoria. Demetrius ajebat, Nihil ſibi videri abjectius eo, cui nil in vita accidiſſet adverſi: quod oporteat talem hominem, aut ſibi ignotum eſſe, aut Diis inviſum; ut quem prætererierint velut ignavum, nec idoneum ad fortunæ conflictum. Hinc non pauci ea ſolum infelicitate laborant, quod numquam fuerint infelices: quos utique felicitatis dignoſcendæ & infelicitatis prohibendæ artes latebunt.

Quod venit ex facili, faciles ſegneſque tenemus;
Quod ſpe, quodque metu torſit, habere juvat.

Quamvis pariter fatendum ſit, nihil intolerabilius eſſe eo, qui ſecunda nimis fortuna ſaginatus, ſtimulos ingenioſæ paupertatis in ſuperbum otium commutarit. Notum illud:

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.

Et

DISSERT. XXXIII.

Intrepidus.

MAgno munus ſuum animo ample-ctetur Legatus: ſumetque, non ſuperbiam ex merito, ſed fiduciam, periculis, opprobriis, miniſque omnibus, ipſaque morte validiorem. Tanti eſſe patriæ ſalus debet, tanti dignitas auctoritaſque Principis: nec Legatus erit, niſi timori aularum nocturno, dæmoniis incurſibuſque meridianis, ipſique adeo in tenebris ambulanti negotio, imperterritum & impenetrabile pectus circumferat,

——— *mediis tranquillus in umbris.*

Urticam ſi cunctantur attingis, urit; ſi preſſim, hebeſcit.

Degeneres animos timor arguit. ———

Itaque quo tendat, non quæ paſſurus ſit, æſtimabit Legatus; niſi quod & hæc ipſa in gloriæ augmentum cedent. Neque infelix dicendus erit, qui magnum animum non inglorio exitu probarit, pro Rege & Deo non timidus mori. Et quanti omnino intereſt, quo infortunio perieris? Animamne per vulnus, an per os emiſeris? ferrum, an febris excuſſerit? gladius, an gula? niſi quod glorioſius gladius, quam gula. Semel mori,

non ſæpius datum eſt. Omnia paſſus eſt qui periit: &,

——— Lex eſt, non pœna, perire.

Fortitudine autem Legatis noſtris prævivere inprimis illi, quos Deus divina in terris Legatione fungi voluit: qui nec ſpe nec metu ab officio flecti potuerunt: ſed entheo ſpiritu & zelo, nihil remiſſe, nihil aſſentatorie egerunt aut admiſerunt, inflexibiles uſque ad mortem, mortem autem tot tantiſque cruciatibus illuſtrem. Aſt illi, pulcherrima virtutum coronide, è vivis inter Divos relati ſunt. Invenias tamen, qui blanda humanitate, ficta amicitia, honorificis verbis, magnarum rerum oſtenta ſpe, vel incommodorum injecto metu corrupti vel decepti, ſuſceptam ſemel Legationem deſerunt, mandata prætermittunt, vel remiſſius cunctantiuſque, quam par eſt, exequuntur.

Narrant hiſtoriæ Indicæ, Chinenſium Regem duos miſiſſe Legatos ad Regem Iaponum. Dumque illi diutius in caſtro quodam detinerentur, donec eos evocare aut admittere Iaponi integrum eſſet (nimirum, ut interim epulæ, choreæ, & nonnulla magnanimitatis & magnificentiæ ſpectacula præpararentur) Legatorum alter, ſe tamquam carcere detineri, moxque rapiendum credidit in præteritarum injuriarum, quæ utroſque Reges graviter commiſerant & exer-

cue-

cuerant, talionem. Et quamvis ejuſmodi facinus haud alienum videretur à communi rumore, neque ab ingenio Iaponum; alter tamen hæc ſuſpicionum monſtra, velut inanes fabulas, conſtantiſſime contempſit, ſperans, omnem præteritæ contentionis acerbitatem præſenti conventione dulcorari & ſopiri poſſe. Quo factum, ut pax ſubſecuta, & ipſe eo grandiore honore exceptus fuerit à Iaponenſibus. At qui clandeſtina fuga ſaluti conſuluerat; reverſus ad ſuos, non ſolum omni nobilitate exutus fuit, verum etiam parentes & conſanguineos omnes, qui pro Legati fide ſpoponderant, in dedecus & ſpolium traxit.

Quis non miretur Ieſualdi robur? Is à Grimoaldo Longobardorum Rege miſſus, ut Beneventanis, quos Conſtans Imperator obſidebat, ſuppetias nuntiaret, in hoſtium poteſtatem venit. Iuſſus igitur, aut ſævam variiſque tormentorum auctubus cumulatam mortem eligere, aut deſperata obſeſſis ſubſidia mentiri; ſimulavit obſequium, ut majori fide Legationem perficeret. Ducitur ad mœnia, & oppidanos compellans, diverſa longe oratione uſus eſt; adventare cum copiis Regem, perva adhuc mora libertatem poſſe redimi. Negares captum eſſe, qui ſpreto diſcrimine ſic libere locutus fuit; qui ut ſalutem obſeſſis promitteret, & munus

I 2 ſuum

ſuum impleret, proprium caput impendit. Sane id ſubito reciſum, & in urbem lithobolo injectum, adhuc fidem velut loqui omniumque ſalutem adferre videbatur. Imperator vero imminentis prælii nuntio territus, & Grimoaldi impetum declinans, Beneventum reliquit. Sic itaque Ieſualdi cum voce vita extincta eſt, ſed majorum inſtar luminarium, quæ clariſſime lucent dum extinguuntur. Sic victus de victuris, quinimo mortuus triumphavit de vivis. Sic pœna ei levis, *brevis fuit*, ſanguis publicæ felicitatis & gloriæ ſemen fuit, morſque velut benignæ obſtetricis manu fortiſſimum virorum reſtituit meliori vitæ.

Felicius nunc vero à vetuſtiore ævo exemplum depromo, ut ſciant omnes, fidem plerumque etiam ab hoſte æſtimari. Meſſanæ in Sicilia civis fortiſſimus Megacles Agathocli eam invadere conanti modis omnibus adverſabatur. Quid tyrannus? miſſo præcone feciali petiit, ut vel urbem. vel Megaclem ſine mora traderent. Suſpenſi hærebant cunctorum animi, anguſtiiſque expoſiti rerum pondere huc illuc ferebantur: tandemque deditionis ſententiæ ſuffragia omnes & calculos apponebant. Megacles vero paratus nimio in fortunio emergere vel immergi, ire nil renvit, ſi Caduceator mitteretur. Decernentibus ita Meſſeniis, Abiit: & poſtquam veneratus eſt Agathoclem; Ego vero,

vero, & civitatis nomine venio,& moriturus» inquit, ſi decernis. Sed enim priuſquam de Legatione audias, æquum ſtatuito. Si ad excidendas Syracuſas expeditionem Meſſenii ſuſcepiſſent; utrum pro Syracuſis, an pro Meſſeniis omnia faceres? Ob fidelem candorem placatus Rex (non enim hominem exuerat) abdicato bello Megaclem incolumen remiſit, amicitiamque iniit cum Meſſeniis. Nimirum; quemadmodum is qui amnem tranſnare contendit, & caſu in abſorbentem vorticem lapſus, ut nec vires, brachia; pedeſve ſufficiant ad enatandum, non deſpondere, verum erigere animum debet, tum id protinus artis atque dexteritatis expedire, ut quam minimum tam intricatæ aquæ immergatur; ideoque alvo reſupinus, manibus ſimul pedibuſque electetur atque exiliat neceſſe eſt, ne potentiore morte intereat: ſic Legatio inter ardua & confragoſa cum difficultate animus accreſcere, non labaſcere, non nutare debet. Si quis autem tenerior molliorque, aut certe inferior; inferiorem ſe quoque ipſo munere, priuſquam ſuſcipiat, arbitretur, veſtigiiſque Ciceronis potius quam Demoſthenis inſiſtat. Ille enim Legatus ad Antonium ire noluit, quod parum ſe profecturum ſciret, multum offenſurus: hic ad Alexandrum quidem proficiſci cœpit, ſed dum

in itinere impotentiore pectore iram Regis expenderet, deſerta Legatione rediit. Si quis ſemel in animum induxerit non timere; is profecto intelliget quid ſit Legatum agere: imo intelliget, plus ſæpe in rebus pleriſque metus quam periculi eſſe. Non neſciens id Magnus ille qui plura vicit quam vidit, non dicere, ſed docere ſolitus fuit; Nihil forti timendum eſſe, nihil timido ſatis munitum. Interdum quoque minora fiunt mala, ſi contempſeris; ſi contra audentior ieris. Tantum aude; dexteram fortuna porriget, negliget remiſſum. Ignavi ut primum aſperiora ſenſerint, manum retrahunt, ad mollia flectunt; maluntque humili potius conditione ſtertere, repere, latere, quam per ardua viam ad alta, ad magna, ingredi & ſternere. Non accerſet interitum aut pericula Legatus, tamquam ſi iiſdem gauderet: (quin contra, non à prudenti pectore venit periclitandi acceleratio, non à virili pectore libido illa citra cauſam moriendi) attamen ubi divertere prudentiæ clypeo & honeſti ſpecie, pericula non dabitur, generoſus in illa & per illa gradietur. Ne ferrum quidem durum ducet. Non dico, non ſentiet duritiem; vincet: illud inanimatorum, hoc Legati eſt. Et quamvis majori proſtratus vi, plagarum molibus tamquam montibus ſepelietur; animo tamen ſtabit inconcuſſus, intrepidus. In Selectis Diodori

dori legere eſt, quod dum Carthaginenſium Legatus nonnulla atrociter recenſita protuliſſet atque excepiſſet, tandem hoc forti dicto Romanos æquiores effeciſſe: Niſi pacem dare vultis, Sardiniam & Siciliam reddite, quibus non ad tempus aliquod, ſed æternam à vobis emimus amicitiam. Cornelius Centurio Legatus pro Auguſto Conſulatum petens, oſtenſo enſis capulo, non dubitavit in curia dicere: Iſte faciet, ni vos feceritis. Modus tamen atque diſcretio in ejuſmodi adhibeatur. Et veluti magnanimi ſublimibus animis afficiuntur; ſic altera Romanorum virtus erat,

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Non minus laudata quam vulgata fuit fides & fortitudo Pompeii, qui Legationis munere functurus, cum ab Illyriorum Rege interceptus, Senatus conſilia, & mandata (quæ alieni neutiquam arbitrii ſunt) aperire juberetur, blanditias minaſque pari loco habuit, nec animo cecidit vel in ipſo caſu. Sed ardenti lychno admotum digitum cremandum præbuit, & ſuam ipſius virtutem fidemque allocutus, Pompei, ait, hic prius in cineres te flamma rediget, quam patriam populumve tuum proditorie proſtitues. Sic conſtantis patientiæ indicio, ulterioris quæſtionis periculum evaſit; unuſque & ſolus (quod exercitus nequiverat) hoſtibus cum

populo Romano faciendi fœderis inſevit cupiditatem. Memor haud dubie eſſe poterat Mucii Scævolæ Aſiæ Proconſulis, cujus effigies ituris in Provinciam Magiſtratibus & Legatis proponebatur, tamquam exemplum & norma officii. Animadvertant hic Principes, in Legationum libertatem impium atque irreligioſum cenſeri eum, quiſquis illa quæ à Legato occultantur, aut certe non eduntur, & forte neſciuntur, vi aut minis extorquere nititur: quippe quæ libera Legati poteſtate ſtant; & ſic referantur aut reſervantur pro uſu ac voluntate admiſſi, non admittentis. Ideoque ſi quid omnino occultarit, vel obſcurioribus implicitiſve vel perplexis verbis aut ſententiis protulerit Legatus, ut id ipſum exprimat rogari poteſt; ſalvis autem gentium jure iiſque litteris, quas fidei diximus, cogi non poteſt, cum nihil minus alieni ſit arbitrii, quam Legatio. Polycratidas Spartanus ad Duces Regios Legatus miſſus, & ab iiſdem interrogatus, privatim an publice veniſſet; Publice, inquit, ſi impetrem quæ peto; ſin minus, privatim. Pulchre & generoſe, & vel ideo dignus, ut impetraret. Ne quid Reſpublica pateretur, omnem repulſæ contumeliam ad ſe pertinere voluit; & ut oſtenderet quantum Reipub. deberet, à ſe removit quidquid gloriæ ex voto erat ſucceſ-

ſurum.

ſurum. Hoc erat Legatum agere: injuriæ, Legationem eximere voluit, ſeque obnoxium fecit; cum in munus magis, quam virum, repulſæ nota recideret. Gravis quondam Principum contentio, per eorumdem Legatos, arbitrio Pontificis definienda, commiſſa erat; ratum fore pactos, & legis inſtar irrefragabilis, quidquid ille ſtatuiſſet. Verum inſtitit Legatorum unus callidiſſime, etiam per quoſdam ſuarum partium Cardinales, ut nonnulla inſeri ac definiri poſſent, non ſatis pro æquitate ſententiæ vel cauſæ. Quod ubi prorſus renuiſſet, atque etiam reprehendiſſet Pontifex, rurſus inſtanter, & multiplicatis quidem interceſſoribus, petiit ille, ne eorum quæ jam antea ſuggeſſiſſet, & ſupplicaſſet, Principem ſuum ullatenus faceret certiorem: quippe, quia ſuo id ſolum conſilio ac motu propoſuiſſet; inſcio autem Principe, cui forſan id ipſum diſpliceret. Viſus fuit Pontifex annuere: & tamen Nuntio ſuo protinus mandavit, ſagaciter inquireret, num quid ſimile etiam Princeps præſciviſſet ac mandaſſet. Tandemque ſedula indagine compertum fuit, nihil temere aut inconſulto propoſitum, ſed ſingula ſic ſtrictim & ſollicite injuncta fuiſſe.

Inſignem conſtantiæ vocem Romani audiverunt, dum Priverno capto, interfectiſque rebellionis auctoribus, à Senatu actum,

quidnam de reliqua multitudine fieri deberet. Victores, & ſimul irati erant qui deliberabant; & plus tamen libertas Legati potuit pro Privernatibus loquentis. Nam interrogatus, quam illi pœnam mererentur; reſpondit: Quam merentur qui ſe libertate dignos cenſent. Non ſupplicis, ſed rebellis, ſed claſſicum canentis hæc verba videri poterant. Verum Plautius Conſul, cauſæ Privernatium favens, ut modeſtius reſponſum eliceret, Si pœnam, *inquit*, remittimus, qualem vobiſcum pacem habituri ſumus? Legatus: Si bonam dederitis, perpetuam; ſi malam, haud diuturnam. Quo reſponſo perfectum eſt, ut victis non ſolum venia, ſed etiam jus & beneficium Urbis daretur: ut qui nihil quàm de libertate cogitarent, in ſocietatem fortunæ & potentiæ invitarentur, non cogerentur.

Sed profecto non audire tantum pulchra, ſed dicere Romani amant. Miſſi Alexandriam erant Legati, qui Philippi Regis majeſtatem veriti, timide & velut dimidiatim mandata ſua exponebant. M. igitur Æmilius, natu minimus (ut ſæpe plus eſt animi quibus minus eſt annorum) collegarum ſermonem exequens, injuſta Attalo & Rhodiis illata arma, Abydenos injuria oppugnatos, Regi liberrime exprobravit. Reſpondens ille, Ætas, inquit, munus, & ſuper omnia

nia

nia Romanum nomen te ferociorem faciunt.

Intrepidus etiam erat Popilius ille Romanus: qui cum à Senatu populoque ſuo litteras Antiocho Regi Legatus attuliſſet, quibus moneretur, exercitum ex Ægypto abducere, neque Alexandriam, Regnum pupillorum Ptolomæi vita functi, violenter uſurpare; accedens, comiterque ab Antiocho ſalutatus, vix agnita ſalute, Senatuſconſulti tabulas tradidit. Quibus lectis, cum deliberaturum ſe Rex diceret; confidenti auſu virgula orbicularem circulum circum Regem delineavit, inquiens: Hic ergo, & priuſquam abſcedas, delibera & reſponde, pacemne an bellum cum Romanis malis. Obſtupefactus Rex tam violento imperio (nec forte ignarus & potentiæ & conſuetudinis dominantis Populi, domitoris orbis, qui imperare dedicerat Regibus, & cui leviſſimus quiſque prætextus ad invaſionem, jus & animum dabat) ex Romanorum lubitu ſe omnia acturum profeſſus eſt: atque ita demum Regem Popilius reſalutavit, amplexuſque eſt. Sic unus univerſi Senatus majeſtatem auctoritatemque non digne ſolum repræſentare, ſed docere potuit. Ut merito extollat Valerius: Quam efficax eſt animi ſermoniſque abſciſa gravitas! Eodem momento Syriæ Regnum Popilius terruit, Ægypti texit.

Superiori ævo cum ad Imperatorem Orientis imberbes Legati adveniſſent, indignareturque ille, quod adoleſcentes, velut in opprobrium miſſi eſſent; eorum quidam licentioſo magis, quam licito reſponſo, ex menti lanugine nihil eſſe ſtatuendum inquit: id enim ſi fieret, hircos quam homines potiores fore.

Majori etiam voce, pro gentis generoſitate, uſus eſt Regis Hiſpaniæ Legatus apud Principem neſcio quem. Nam cum pro Rege ſuo pertinacius ageret, iram excipientis adeo provocavit, ut ille capitis ſupplicium minaretur. At caput iſtud, inquit Legatus, plus tibi adverſabitur mortuum, quam vivum. Nimirum ſic quædam ſupplicia injuſte aut intempeſtive illata, etiam in poſterum, velut novo ſemper vulnere, cruenta noxiaque ſunt, etiam dum non ſunt: quidam majores exiſtunt, ſi jacuerint, quam ſi ſteterint.

Antonius Fonſeca à Rege Catholico ad Gallos Legatus fuit, ut Rex Carolus armis, quæ Italiæ, & præſertim Regno Neapolitano, inferre parabat, abſtineret. Rationibus hiſce inſtructus erat, quia amici fœderis & concordiæ recenter initæ conditiones ſimul includerent ſecuritatem & amicitiam præſtandam Pontifici, mutuæ pacis auctori & patrono, cujus quidem Eccleſiæ Rex Catholicus conſtanter obediens & devotus

tus exiſteret: deinde Neapolitanam Coronam ſuo Regi indubio jure deberi; ideoque Sancta hanc Clave cuſtodiri quidem, in capite autem potentioris poſſeſſoris conſpici non decere: ſi quis tamen jus iſtud controverſum facere contenderet, delectis ad hoc primum judicibus, non militibus, non uteretur. Tum Carolus: Se jam Italiam exercitu ingreſſum, ſine dedecore & damno reverti aut deſiſtere non poſſe; ſed ubi Neapolim occupaſſet, placere ſibi legem delegendorum arbitrorum & judicum: denique prædictas fœderis conditiones, ſolum perſonas ipſorum Regum qui contraxerant directo ſpectare, non vero Pontificem, cujus non niſi obiter mentio incidiſſet: ſingula autem ſe, Legatione propediem mittenda, diſtinctius explicaturum & probaturum Catholico Regi. Hiſce argumentis cum Gallus ultra inſiſteret, ſimulque itineri quod Neapolim ducebat; nec quidquam moverent quæ in contrarium opponerentur; Fonſeca, Regem ſuum prædictarum conditionum obligatione deinceps non teneri aſſeveravit: & cum hac in cauſa hominum contemneretur judicium, tribunal Dei juſtitiæ patrocinium fore. Nec iſtis itaque inaniter conceptis ſcriptiſque ſchedis aut conditionibus in poſterum opus fuerit, inquit, quarum mens & anima jam manifeſte violata. Eoque dicto,

eaſdem é thorace traxit, minutimque laceravit.

Sic & petrus Capponius Florentinus, delectus à civibus, ut cum Carolo IX. Gallhrum Rege, jam intra mœnia recepto, de pace ageret, cum duræ nimis à ſcriba conditiones prælègerentur, magno auſu è manibus legentis chartam rapuit & confregit. Ingens facinus, niſi amplius etiam dixiſſet. Agedum, inquit, quando inter nos aliter non convenit, tu tuba ſignum dato, nos campanis dabimus: & ſimul è conclavi ſe proripuit. Impavido facto, & inopino reſponſo Rex attonitus, & quia urbem ingreſſus, non poterat non metuere ab iis quorum erat maxime formidare; revocari hominem juſſit, mutatiſque conditionibus, rem ex æquo, imo è voto Florentinorum compoſuit, populoque libertatem reliquit illæſam, & ſic confirmatam. Erraret profecto, ſi quis exiſtimaret, ibi tutum eſſe Regem, ubi nihil tutum eſt à Rege. Securitas Principis mutua civium ſecuritate fovetur & conſervatur.

Hujuſmodi aliqua licet forte nonnulli ſimilia dixerint iis, quorum in Sacris Paginis interdum mentio, miranda magis, quam imitanda: Legatos tamen edocent, non omnia ad gratiam alieni Principis meticuloſe aut aſſentatorie torquenda vel demittenda eſſe; ſed generoſe ac fortiter, ea quæ in man-

datis

datis habent, expedienda. Una autem hæc cautio ſit, ut modeſtiam quamdam ipſa libertas habeat, & à Suada dicentis faſtus & ferocia abſint. Aliquando tam ſæva ejus natura eſt, qui interpellari debet, ut dictum liberius, tamquam crimen, æſtimet: adeat diſcrimen, qui majori protervia quam majeſtate loquitur. Fieri etiam ſolet, ut ſævire in Legatum audeat; qui ſe magis à Legato Princeps lædi putat, quam Legatione. Ita Theucas Illyriorum Regina, quæ à Romanis interpellata ut ſubditos à piratica cohiberet; reſpondit: Mare liberum, non Romanorum eſſe; proindeque ex eo & in eo fructum decerpere, ſpumam colligere, inibidem piſcari & prædari, ſuorum jure & conſuetudine eſſe receptum: ceterum curaturam ſe, ut nulla publice Romanis injuria fieret; quæ privatim ne fieret, ſuis edictis decerni, impediri non poſſe. Tum unus è Legatis, ætate junior, quem tam projectæ ſuorum collegarum patientiæ ac taciturnitatis tædebat: At nobis mos & jus eſt, privatas injurias publice ulciſci; ideoque niſi iſte apud vos mos ceſſet, curabimus profecto, ut Romanum cognoſcatis. Offendit Reginam, quippe feminam, reſponſi ferocia; & ad iram, imo ad vindictam incendit. Etenim, neglecto jure gentium ac ſpreto, ſubmiſſi ſunt, qui Legatos jam diſcedentes haud ſurdo

verbere

verbere adorirentur : obtruncatus eſt, qui in Reginam intempeſtive linguam exacuerat. Cavendum igitur hic eſt, ne quid nimis : nam & peccat qui timet, etiam qui non timet. Sed quomodo ſine vitio intrepidus ſis, prudentia oſtendit.

DISSERT. XXXIV.

Temporarius.

NIhil tam cognatum ſapientiæ, quam locis, temporibus & perſonis ſeſe atque ſermonem ſuum attemperare, omniumque horarum, ut ſic dicam, hominem fieri, & ſibi tamen conſtare. Vides ut non quamlibet eſca piſcibus objiciunt experti piſcatores, ſed eam quam illi avidius ingluriunt. Nec quovis colore lanas ſuas imbuunt tinctores, ſed eo potiſſimum quo vident ſæculum lubentius & ſæpius uti. Alia interdum facies ſumenda eſt, licet animus non mutetur; imo geminanda eſt, ut exprimi Ianus poſſit : ſic præterita præſentibus, & hæc futuris aptentur. Momenta noſſe temporum, maxima prudentia eſt : adeoque actiones omnes opportunitas, ſive promovet, ſive remoratur; ut hinc felicitas rei, vel infelicitas dependeat. Etiam Diogenes ille Cynicus (ceterum ſeverus & Philoſophus, & qui eorum omnium quæ pleriſque

riſque amata & optata ſunt, imo ſui ipſius ludibrium affectabat) volubilem ſe aulam habere jocabatur, & cum temporibus mutabilem. Nam quocumque gratior aura adſpirabat; ſapientiæ illud prætorium vertebatur. Hinc recte Stoici, tempus definiverunt, eſſe actionis opportunitatem: qua neglecta vel prætermiſſa, inverti, imo everti omnia, auctor eſt Cicero. Ariſtippus à Dionyſio repulſam paſſus, tyranni genua ſupplex amplexus eſt, remque quam petiit, impetravit. Idque cum nonnulli vitio verterent; Non ego, inquit, hujuſe adulationis auctor ſum, ſed Dionyſius, qui aures habet in pedibus. Quin & prudentiſſimus Philoſophorum Socrates, ad Anteſthenem exire cum vellet, ſpecioſiorem amictum induit: cauſamque rogatus; Ut pulchre, inquit, ad pulchrum eam. Nauclerus non temperiem anni, non maris intemperiem, non ventos pixide nautica concludit aut compeſcit; ſed iiſdem vela, ceteraque ad navigandum adminicula & inſtrumenta, aptet neceſſe eſt: ſic non infrequenter Legationis momenta momento temporis voluuntur & reſoluuntur; cum non tam in arbitrio illius conſiſtant qui eam mittit aut exponit, quam illius qui audit & aditur: imo horæ momentum ſæculis poſt integris aliquando obfuturum eſt. Non ſemper tranquillitas vel malacia

lacia eſt: navigio poſſe irato Neptuno pro movere, periti naucleri eſt; poſſe vel invito obſequi, etiam prudentis. Et tamen eo aliqui ingenio ſunt, ut ſi quid rebus conſiliiſque obſtare videatur, damnare malint, quam emendare: qui ut progrediantur, numquam faciunt viam, ſemper inveniunt. Queruli cum tardi ſunt, & præſentium oſores. Vellent igitur ſemper ver eſſe, ſemper Favonios ſpirare; quaſi ignorent, ſine hieme annum non conſtitui, ſine frigore calorem non haberi. Aliam aliis temporibus veſtem ſumimus: niſi & conſilia interdum mutemus, aptemuſque animum rebus congruentem, alieni à prudentia Legati ſumus.

Itaque haud gravate ſequendum erit, quo vexillum ſuum prætulerint Utilitas & Occaſio: quinimo amplectenda hæc, ſtringenda ambabus ulnis, quam præterlapſam fruſtra poſtmodum muliebribus votis, irrito conatu aut dolore proſequaris. Bonæ ſoror ſortis opportunitas eſt, quæ res humanas viciſſitudine ſua diſtinguit. Quapropter ut ingenio negotii probe ſubſerviatur, hujus Divæ inprimis memorem curam Legatus geret: non neſcius, eam fronte capillatam, ubi elapſa eſt calum pingi. Quod doctum politicumque emblema admonet, certa incertis non mutare, ſpemve mercari pretio, pernicie vel periculo: tum peſſimam præteri-

teritorum eam eſſe conditionem, quod pœnam & pediſſequam pœnitentiam quidem admittant, non medelam. Hinc nemo prudens, quæ coram poſſet, diſtulit in novilunium. Sane plurima per Principes non alio jure invaduntur, aut occupantur, quam illo Occaſionis & Commoditatis. Poſt ubi quid temporis ac tragœdiæ præterlapſum eſt; & ipſum malignitatis virus, virtus creditur, viſq; fit jus, mutato ordine characterum & rerum.

DISSERT. XXXV.

Lente feſtinans.

ALiquando feſtinandum erit Legato; ſed lente: celebri ac ſalutari proverbio & præcepto; nequid per ſocordiam prætermittatur quod actum oportuiſſet, aut temere agatur non prævisum. Livii gnome eſt: *Omnia non properanti clara certaque ſunt; feſtinatio improvida & cæca.* quam idcirco appellavit Plato, inimicam ſcientiæ & veritati. Huc ſpectat vetus illud Octaviani, ſimul Titi ſymbolum; quo antiqui delphinum anchoræ alligabant, celeritatem cum mora connectentes. Sæpe qui nimis properat, ſerius pervenit: & e ſummo faſtigio, ni per gradus eas, decides potius, quam deſcendes. Maturandum igitur: quo verbo Latini & moram celeritate, & celerita-

tem

tem mora corrigunt. Da cochleæ alas, & lentam feſtinationem exprimes: temperiem illam, inter ignem & gelu. Extrema omnia, quia vitioſa, vitanda ſunt: media ac moderata vim majorem obtinent, ampliuſque durant. Si examen quoque inſtituas, lenta præcipitatis præferas, quia minus obnoxia periculis aut vicina. Quid? Levius plerumque metus, quam confidentiæ ac præfervidæ properationis peccatum habetur: ac ſæpe quam ille culpam contraxit, diligentia emendari contingat; confidentiæ errorem ægre integritati reſtituas vel excuſes. Accedit, quod poſt indeliberatam reſolutionem ſi non infelix ſequatur eventus; elevabitur tamen, ac fortuitæ rei adſcribetur, non prudentiæ ſic agentis. Quidquid magnum eſt, non impetu fieri aut ferri videmus, ſed paulatim perfici, non pelli, ſed velut poni ſuo ordine & loco, juſtoque intervallo. Naturam vide (ecquæ melior magiſtra?) non niſi pedetentim omnia elargiri atque operari animadvertes.

Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem;
Si non tana quies inter frigusque caloremque
Iret, & exciperet cæli indulgentia terras.

Adhibebit itaque Legatus, & induſtriæ celeritatem, & diligentiæ quamdam moram. Sunt qui non eunt in negotia, proſiliunt, aut verius involant; tamquam ſi quis ex præcipitio

tio uno ſe ſaltu vibret, pertæſus moræ quam eundo, circumeundo, gliſcendo, deſcenſus requirit. Nimirum, quaſi lenta remedia odiſſent, ac præſtet cito interire, quam lente convaleſcere. Sed neque præ his laudem fructumve referre ſolent, qui turpi pigroque, concharum inſtar, veſtigio ſigna ignavi pectoris poſt ſe relinquunt, aut tardo ſtupore numquam pergunt aut proficiunt in rebus: aut denique qui mentis quadam inſtabilitate numquam negotiis pedem figunt, ſed quaſi globos inambularent, voluntur in incertum. In anguſtias aut dubia rerum ſi quando Legatus incidet, quantum id quidem per circumſtantias licebit, ſollicite, ſed quaſi ſecure circumſpectans, meliori ſe occaſioni ſeruabit.

Grata ſuperueniet quæ non ſperabitur hora.

Anguſtias rerumque perplexitates diſſimulabit, non ut periculum negligat, ſed ne res impulſas plane evertat; neque ut ſe, ſed ut alios fallat. Sæpe interim dies diei ægritudinem adimit. Et recte proverbium: Annus non ager producit. Quapropter ubi exorti mali robuſtior vis eſt quam ut initio protinus retundi queat, fortunam vices dare confidat, & quod non infrequenter

——— *habent parvæ commoda magna moræ.*

Sic cunctando plura effecit Fabius, quam alius pugnando. Sunt, qui dum fortius quam pruden-

prudentius adverſarium inſequuntur, vulneribus locum præbent, priuſque ipſi cadunt, quam hoſtem feriant aut aſſequantur. Et quidem deliberandum aſſerunt prudentes diu in iis, quæ non niſi ſemel ſtatui poſſunt: ideoque, priuſquam inceperis, conſulto; & ubi conſulueris, mature facto opus eſſe.

Sed hic rurſum ſciat Legatus, quod
——— *nocuit differre paratis.*
neque minus interdum momenti in celeritate, quam in potentia ſitum eſſe. Illam enim contingat improviſò imparatos, nec bene conſtitutos, antevertere, obruere, diſpergere: hanc verò aliorum præmeditatis cautionibus ac repentinis executionibus anteverti. Quædam profecto ſumma celeritate abſolvenda ſunt, unaque velut deliberatione: utpote quæ laudari non poſſunt niſi ſubito peracta; aut violenta quapiam agitatione opus habent & impetu, qui momento plerumque perficitur.

Videat Legatus, ut Principem ſuum quam minime, & quam omnino tardiſſime poterit, adſtringat aut involuat. Si quid autem mature apud alium perfecerit, impetrarit; dabit operam, ut hoc ipſum litteris ſtatim committatur, fideique pondus accipiat. Sic urgebit, ne urgere tamen videatur: lento ſimilis, tarditatem omnem feſtinus excludet.

DISSERT. XXXVI.

Circumſpectus.

QUemadmodum nihil ſimul inventum & perfectum eſt; ſic in negotiorum principiis non omnia prævidet humana hæſitantia. Multa apparent iterum & ſæpius cogitanti, quæ aciem quantumlibet acutam prius fugiebant. Hinc recte Euripides; Sapientiores eſſe cogitationes poſteriores. Cumque in hoc mundi theatro eadem fere ſemper occurrat recurratque eventuum fabula, mutatis dumtaxat perſonis & actionum formis, rei inquam nomine & colore; ea potiſſimum eſſe videtur hujus temporis ſcena, ut numquam mage expedierit Ianum agere, numquam magis præteritorum meminiſſe, & futura meditari. Nam quæ ventura ſunt, præterito tempore aliquando extiterunt: de iis autem quæ ſunt, nemo recte ſtatuet, niſi & futura cogitabit. Omnino reſpicimus, ut poſſimus proſpicere: ſed utile & decorum eſt, exemplo ſapere, alteriuſque inſania frui gratis & impune. Dulce, aliorum calamitates ſine dolore contemplari, nullumque in alieno diſcrimine diſcrimen adire. Figmenta poëtarum, quibus olim curæ fuit philoſophiæ arcana velut involucris tegere, quid

quid ni inter ſeria & dogmata agnoſcamus? Quot oculis Legatus indigeat, Argus ille, qui oculeus totus fingitur, & prudentiæ typus eſt, ſatis oſtendit.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Nihil fugere tam copioſam aciem poterat. Hoc male, quod à Mercurio Argum interemptum velint: niſi unum tamen ille interfecerit, ut plures faceret, & Argi Legati omnes eſſent. Sine Mercurius Legatum denotat: ſi minus videat Legatus quam oculati omnes; Legati munus non ſuſtinebit, non implebit.

DISSERT. XXXVII.

Memor.

DIximus prudentiam gigni & foveri experientia. Hæc non tam variarum rerum uſu, quam memoria & reminiſcentia conſtat. Profecto tantum quiſque & ſcire & ſapere intelligitur, quantum retinuit: nemo autem niſi quod ſcit & ſapit, aut eloqui, aut ad uſum transferre poteſt. Ut florem experientiæ, theſaurum eloquentiæ, eruditionis almam matrem, ſignum ingenii, miniſtram judicii recte dixeris memoriam. Quidam quidquid audiunt, vident, legunt, non magis capiunt, quam vaſa pertuſa

tuſa liquorem: præterfluit quidquid incidit. Quidam ſingula alte imbibunt, & velut in numerato ſemper habent: apti rebus omnibus, quia nihil videntur ignorare. Sic Cyneas, Legatus credebatur numeris ſuis abſolutus: qui poſtridie quam Urbem ingreſſus, quia omnium Equitum atque Senatorum nomina noverat, tamquam armatus & timendus videbatur. Hinc monitoris potius non fatui, quam acuti magiſtri præceptum dixeris, Regio tamen Oratori perconſultum; ut dum cogitatio alia aliam trudit, ſi quid is muneri ſuo conducens, ſerium aut notabile ſtatuerit, ſuſceperit, aut animadverterit; in pugillares referat, fidos memoriæ miniſtros, ut pro conſilio & occaſione in promptu ſit, & velut ſub uno oculorum ictu. Nam illa aurium emblemata, voces, ſententiæ, licet feliciſſime ad animum permanarint; tamen vel ægritudinis aliqua nebula, temporiſve continuo lapſu facile obliterantur, vel negotiorum cumulo velut obruuntur. Scripta vero durant, ac perpetuitate quadam donantur; ſemelque elapſa, poſtliminio, ut ſic dicam, ſenſui reſtitui poſſunt. Dici ſolet, Mendacem memorem eſſe oportere. Ideo potiſſimum memor ſit, qui cum alios non infrequenter à vero deflectere videbit, magis verax videri quam eſſe poterit.

Digitized by Google

Præterea eos qui de Legatione vel Principe hic probe merentur, in catalogum ac codices ſuos referat Legatus, ac referre innoteſcat. Ita ad majora & meliora ſtimulabuntur non pauci, credentque non omnem gratiam ac remunerationis ſpem (ut apud multos) inter labia & voces ſepeliendam.

Itaque ſi Legatus non ea valuerit memoria quam optaret, artificio eam ſuppleat aut adiuvet; ne dum plura forte dicenda incumbent, elabatur aliquid, quod rurſum compellat, extra ordinem & tempus admiſſionem flagitare: quæ ſi tum negetur aut protrahatur, opportunitas quæpiam rebus elabatur aut decedat. Contingat interim indignari Principem, ſingulis mandatorum accurate non reſponderi nec ſatis fieri. Novi quidem Legatum, etiam Concionatores aliquot, qui dicenda articulis ac claſſibus quibuſdam domi diſtinguerent, notiſque in manu vel chirotheca ſignis, ſingulorum ordine recordarentur: eo fere indice ac modo, quem nonnulli artificialis memoriæ magiſtri, & ipſe Oratorum Princeps ad Herennium, methodice docent. Si quid autem relationis chartulæ inſcripſerit Legatus, ita inſpicere debebit, necubi memoriæ imbecillitas innoteſcat externo, qui alioqui ſic facilius eum decipere & contemnere aggrediatur.

Ad

Ad hæc ſtatuet ſibi quoquo veſpere horam unam, qua impoſiti ſibi muneris partes ſerio ſecum ruminet ac ſcrutetur: quid res, quid perſonæ, quibus intendere debet, poſcant, quorum accurata & non perfunctoria diſcuſſio, magnum ei in commiſſo munere lumen, etiam fiduciam præbebit, dum ſciet res perſonis, perſonas rebus admetiri. Deinde diurnorum operum penſum percurrat, ut deſpiciat, quid rei aut ſpei acceſſerit commodis vel laudi ſui Regis: quid die inſequente fieri vel negligi oporteat. Denique meminerit, ut ſic meditantem noviſſime pia quæpiam animi ad Deum elevatio excipiat, ne is cæleſti rore deſtitutus areſcat in vagum pulverem, ſæculari turbine obtegendum, aut diſpergendum. Hinc non zelum modo, ſed robur & fiduciam ad virtutis ardua, patrocinium quoque ægreſcenti forſan animo, cælitus adipiſcetur apud eum, qui non patitur fidentem in ſe in fraudem labi. Inſignis hæc ſpiritualium morborum præcautio.

DISSERT. XXXVIII.

Aſtutus.

Quod ſingulis hominibus quam maxime uſui eſt, Legatum juvabit inprimis ingenium, & celer ille animi

motus. Ejuſmodi enim occaſiones Legato non infrequenter occurrunt, in talibus negotiis plerumque verſatur, ut haud multum temporis ad conſultandum præbeant, ſed extemplo modum medelamque per ſe invenire & ordinare ſimul debeat; ubi nec aliud fere actionis initium ſit, quam finis. Naſcitur quidem, non fit ingenioſus: ingenitum eſt ingenium; arte tamen rerumque uſu & obſervatione firmatur, &, ſi non comparatur, acuitur. Ingenio annectitur ſolertia & ſagacitas, quæ apta & ſubita medii conjectatio Ariſtoteli dicitur. Eſtque innata quædam vis ſive dexteritas, qua qui pollent, etiam quæ nec viderunt, nec audiverunt umquam, ſic facile & commode adminiſtrant, ac ſi in iis multum exercitati fuiſſent.

Hiſce animi dotibus conſpicuus Legatus, tum adjutus eâ prudentia & circumſpicientia quam ſupra extulimus, haud difficulter cavebit, (quod cavendum quidem maxime) ne aliorum captionibus circumveniatur, neve ambiguis ſermonibus ſeductus, in labyrinthum incidat, unde ei poſtea non ſine damno ignominiave contingat exilire. Ipſius autem pacta & pollicita eiuſmodi erunt, ut Principi ſemper rimæ aliquæ; imo feneſtræ & portæ pateant, queis evadere poſſit integer. Dum Q. Mutio Scævolæ Carthaginenſes, ad quos miſſus erat, duas teſſe-

teſſeras Punico ingenio offerrent, in quarum una pacis, in altera belli ſymbolum legebatur; optionemque darent, ut utram vellet ſtatueret; is, ambabus arreptis, ſubintulit: Eadem vobis electio patet, utram mavultis habete. Ita Reipub. Romanæ dignitatem, quam ſuperbo aſtu Carthaginenſes imminuere ſatagebant, ſolerter & generoſe intactam conſervavit, confirmavit, auxit. Priſca eaque nobilis eſt fabula, Lycomedem regem, rogatu Thetidis, Achillem adhuc ephebum occultaſſe inter virgines, illarum cultu ornatum, eique nomen indidiſſe Pyrrha. Eum Legati Archivorum cum ab Rege peterent, ut ſuis ad bellum Trojanum auxilio mitteretur; negavit ille, eſſe id hominis apud ſe: Legatis tamen quærendi copiam fecit. Qui cum ab cetera pube Achillem non dignoſcerent, adeſſe tamen ſcirent; Ulyſſes Legationis Princeps ſuas artes ſagax expediit. In Regio veſtibulo clypeum & haſtam, munera ſibi data, collocavit; ſimulque haud procul inde, claſſicum cani, collidi arma, clamores & pulſus edi juſſit. Præſenti periculo ad certamen bellicoſus Achillis animus emicuit, proſiliitque: nam is, rupta ſtola, haſtæ clypeoque manus injecit. Hinc cognitus, tenebris velut erutus, & Græcis auxiliator Achilles. Fabius ſubdole pactus cum Antiocho jam bello ſuperato, ut dimidiam

navium partem ſalvam haberet; ſecuit naves, ut claſſe in univerſum hoſtis deſtitueretur. Sic ſtratagemate & aſtu frequenter hoſtes decepti verius, quam devicti ſunt.

Verum enimvero ſubinde plus negotii quam commodi adfert aſtus; præſertim ſi quando invenerit minus ingenii, minus fidei, aut fortunæ. Controverſias inter Chriſtianiſſimum Galliæ & Sanctiſſimum Iulium II. ortas fuiſſe ſcribunt Auctores; quod Rex & Pontifex, quæ mandata atque inde pacta erant, aſtutius commentari ac torquere contenderent. Sic enim cum Rege Cardinalis Papienſis, Legatus à latere, convenerat; ut Epiſcopatuum, quos morte Epiſcoporum contingeret vacare in Francia, deſignatio ſeu collatio, ut ajunt, ad Regem ſpectaret. Contigit Epiſcopum quemdam mori Romæ: in cujus locum Pontifex ſuffecit mox alterum, nec ſegnius Rex alterum. Dumque ſuper contractus atque obitus conditione altercarentur, nec convenirent; Rex cenſus Eccleſiaſticos ſui Regni, non quidem ſumpſit, ſed ſuſpendit: exinde Concilium Gallicanum cogere aggreſſus eſt, Pontificemque depingere non ſuo colore aut honore. Pontifex Regem pro ſchiſmatico & hæretico condemnavit, privavitque univerſim Regnis: mox exteri Principes ut eadem invaderent & occuparent, Eccleſiæ Cenſura,

non

non modo indulſit, ſed invitavit. Tragœdiæ coronis & fructus fuit, ut Rex, qui litigio interveniebat, Regnum Navarræ adeptus ſit. Ita qui litigantium diſſenſiones atque ineptias conciliant, aliquando id bòni ex aliorum inſania aut infortunio ad ſe derivant ac velut diſtillant, quod forſan neutri partium dein arrideat, proſitve_.

Refert Plutarchus, Gallorum Legatos Antigono pacem electitiam ac velut venalem obtuliſſe, ut ſic caſtra ſpecularentur: Antigonum autem doli non ignarum, regali nihilominus magnificentia ad cœnam & choreas eos invitaſſe. Quo Galli, quam venerant, animoſiores, indubiæ prædæ copia ſuos ſollicitant, animadverſas opes, & oſcitantiam Regis extollunt: hoſtes jam nec vallo nec foſſa munitos confidenter ſtertere in utramque ſortem. Noctu igitur Regis caſtra adoriuntur. Sed hic ut fallaciæ fructum decerperet, juſſit ut arma quiſque in proximum lucum conferret, quibus chariſſima tueri atque etiam acquirere opportunum mox foret. Sic non aliter ſervata ſunt caſtra, quam deſerta. Verum ubi Galli cuncta non defenſoribus modo, ſed cuſtodibus vidua reperiunt, non tam vires hoſtium, quam vafritiem, ut ſuberat, timentes, inde ad littus converſi, & congeſtis ſpoliis onerati, inopinato ab Antigonianis jam animo

inſtructioribus, tanta ſtrage trucidantur, ut eo die non Gallis finitimiſque pax vendita aut data videretur, ſed nata. Quid ubique induſtria, quid modus, quid ſagacitas omnibus in rebus, & maxime maximis, valeat, intelligunt, qui capiunt quod fugit plerosque. Certe dolum dolo elidere, anſam nocituro præripere, laudabile inprimis: nec quidquam expeditius addere eſt rebus creperis atque perplexis. Rectus quidem cervorum curſus eſt, ſed periculoſior: *vulpeculæ* flexuoſus, ſed tutior. Rurſuſque minore negotio in cacumen montis ſcandet, qui obliquum & circum latera pendentem clivum ſequetur, quam qui per abrupta atque aſpera, recto tamen molimine & breviore calle in altum tendet.

In pactionibus autem Legatorum, plerumque potior conditio ejus eſt, qui aſtutior & ingenioſior: acciditque, ut qui Jure, imo Marte ſuperior eſt, inferior ſit arte & tractatu; neque minus unius imbecillitate ac vitio, quam alterius virtute proficiatur. Sic quoſdam Principes Populoſque pactorum circumventione fuiſſe deceptos, potentia quamvis & fortuna validiores, vel nimis verum notumque eſt. Videndum itaque, ne qui cavilloſis conventionibus præficiuntur, inexperti, aut ingenio tardiore, minuſve circumſpecti ſint; in ſpeciem utilia, re noxia propo-

proponant vel paciſcantur. Turpe, rebus labentibus aut lapſis allegare; Putabam, vel Non putabam.

Quæ cum ita ſint; jure in electione Legati optavimus, ut & ingenio excellens eſſet, & multa rerum experientia ſagax. Imo quid ſi hanc illi ex parte prætulerimus? Scimus acria atque ignea ingenia ſemper in acumen tendere, in aſſiduo motu eſſe, tum meditando inflammari, ac novandis mutandiſque rebus aptiora eſſe, quam gerendis aut firmandis. Conſtat, Athenienſes Spartanis, Florentinos Venetis ingenii acrimonia præſtitiſſe: melius tamen conſtantiuſque hi Remp. ſuam rexerunt. Denique animadvertet Legatus, ne dum à fraude alienus eſt, in fraudem per alios deducatur; neu dum privatæ ſcientiæ atque conſcientiæ inhæret, patriæ potentiæ regionique officiat, unde Religio dependet univerſorum. Non tamen probarim ſententiam Cambyſis, qui, apud Xenophontem, rogatus, qua ratione ſuperandi hoſtes eſſent; Quacumque, inquit, arte, ſimulatione, fraude, fallaciis, an diſtinctius? ineſcandi blanditiis, affinitatibus alliciendi, induciis placandi, mendaciis eludendi & intricandi, ſeditionibus dividendi, rapinis extenuandi, inſidiis antevertendi, opprimendi, extinguendi. Cui Cyrus: O qualem me pater virum eſſe jubes! Alia

enim mihi puero lex & diſciplina præſcripta eſt, pietatis, candoris, manſuetudinis, humanitatis. Sic eſt, inquit Cambyſes: ſed ea inter amicos & concives valeat: nihil vero prætermittendum, quo de primi & expugnari hoſtis poſſit.

DISSERT. XXXIX.

Simulando ac diſſimulando tectus.

SIcubi rerum ponderi imbecillitate ſua Legatus non ſuffecerit; ſimulando aut diſſimulando, magnam defectuum partem ſupplebit & excuſabit. Sæpe emollit, immutat, conſervat modeſtia, tum conniventia, quæ nulla alioqui vis vincat aut tueatur. Multa igitur audiet, ſed ſurda aure: multa videbit, oculis quaſi obvolutis, aliove intentis. Lyſandri Lacedæmoniorum Ducis ſcitum erat; Quod ſi leonis pellis tegendo corpori non ſufficeret, vulpinæ partem aſſuendam eſſe. Et conſtat, plurimos Principes, Imperium ſuum magis imagine potentiæ & dexteritate ingenii, quam veris virtutibus viribuſve conſervaſſe & extendiſſe. Votum Ludovici XI. Galliæ Regis ad filium erat; ut ſeſe litteris non magnopere torqueret, dummodo unicum verſiculum, multorum inſtar præceptorum intelligeret, ac velut Regni artem haberet:

Ne-

Neſcit Regnare, qui neſcit Diſſimulare.
Quid ſi dixeris, ne vivere quidem ſcire eum, qui ſimulare neſcit? quod Dis ſimilis, qui diſſimulat? Adeo quandoque ſimulandum, ea eſſe quæ non ſunt; diſſimulandum, ea non eſſe quæ ſunt. Præclare ageretur cum hominibus, ſi cujuſque animi integritatem & veritatem in dictis ac rebus nudam puramque, non pictam neque depravatam, intuerentur: aut vero cum id negatum ſit, ſi non aliter quam ſentiret quiſque loqueretur: tum ſolo candore, naturæ convenientiſſimo, omnia adminiſtrarentur atque conſiſterent: certior firmiorque, etiam jucundior, cujuſque poſſeſſio foret; nec æqua ſuper iniquis circumventionibus verteretur contentio vel cautela: protinus rationi cedi, orationi credi poſſet. Sed ea eſt apud homines querela, alia apud omnes praxis. Nihil quoque de fraude, humanæ ſocietatis peſte, præmeditandum foret; ſi quorum pectora eſſe deberent domicilia virtutum, candoris & gratitudinis, non contingeret eſſe inſtrumenta pravitatum, perfidiæ, criminis peſſimi. Nunc quoniam ob aliorum technas tricaſque nuſquam ſat cautum Principibus eſt; non abs re ipſi eas calleant, ut caveant. Quemadmodum Medici venenorum energiam conſiderant, non ut ſciant qui illa nequiter miſceantur, ſed qui dignoſcantur, vitentur & curentur.

Certe dum ſcutis illis planioribus & rectis integritatis, non ſufficiunt Principes reſiſtere telis, queis ſimulatio, aſtus, perfidia, avaritia occultis meatibus ſeſe inſinuant; naturam ipſam permittere & præſcribere volunt nonnulli, ut iiſdem ſeſe illi armis tueantur, quibus oppetuntur. alioquin fraudulenti eo fortius ſuarum rerum ſatagant, nequitiamque expediant, quo ſegnius aut impotentius occurrant ii quibuſcum agunt.

Sed concedatur Principi ejuſque Legato, cum vulpe vulpinari, dolum dolo, publicæ præſertim ſalutis intuitu, eludere: diſplicebũnt tamen optimo & candidiſſimo cuique, nefanda illa, quæ ſimulationis, vel potius impiæ indolis & ſorditiei incudibus procuſa, è Neopoliticorum palæſtra ſcaturiuntſine Deo dogmata: *Nullius jurisjurandi tam ſanctam eſſe religionem, cujus ergo opima præda è manibus dimittenda ſit. Singula ad utilitatis & commodi normam redigenda eſſe; nulla proximi, aut conſcientiæ, æternæve ſalutis cura, dummodo in præſens difficultates eluctari votoque fruidetur.* Ita nimirum animam, ne quid impietati deſit, poſt hanc vitam vita exuunt Athei: omnia negaturi, ut in omnibus libere graſſentur. Pergunt: *Cunctis, in rebus, primo poſtremoque meditandum & machinandum eſſe Principi, non tam ut juſte, pie, pacifice regnet, quam ut gloriam ſuam, aucto-*

ritatem

ritatem, juriſdictionemque quocumque modo extendat atque ſtabiliat. Ceterum cum minime ſit, ſimulationis tamen larva videatur cultor & cuſtos virtutum, vitiorum oſor & extirpator. Licere ei quidquid libet, deberi quidquid cupit. Malum ſemel bene poſitum, non temere eſſe tollendum. Et quem premere fortior cœperis, premere non deſieris, donec oppreſſeris. Neque ſolum hodiernæ verſutiæ & ambitionis execrabiles magiſtri, humanæ ſocietatis & tranquillitatis perturbatores, Chirſtianæ charitatis violatores ſic nuper commenti ſunt, ſed longe antea uſurparunt tenebriones antiqui. De Seiano: *Illi animus audax, ſui obtegens, in alios criminator: juxta adulatio & ſuperbia: palam compoſitus pudor, intus ſumma piſcendi libido: ejuſque cauſa modo largitio & luxus, ſæpius induſtria ac vigilantia, haud minus noxiæ, quoties parando Regno finguntur.* & alibi: *Id æquius quod validius. Ius & fidem regnandi gratia violandum eſſe, ceteris in rebus pietatem coli poſſe.* Apud alios poëtice magis quam humane expreſſum legimus:

——— *Pulchra Laverna,*
Da mihi fallere, da juſtum ſanctumque videri;
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.
———*Virtus mihi Numen, & enſis*
Quem teneo. ———
——— *Re facias rem,*
Si poßis recte: ſi non, quocumque modo rem.

Certe dum ſcutis illis planioribus & rectis integritatis, non ſufficiunt Principes reſiſtere telis, queis ſimulatio, aſtus, perfidia, avaritia occultis meatibus ſeſe inſinuant; naturam ipſam permittere & præſcribere volunt nonnulli, ut iiſdem ſeſe illi armis tueantur, quibus oppetuntur. alioquin fraudulenti eo fortius ſuarum rerum ſatagant, nequitiamque expediant, quo ſegnius aut impotentius occurrant ii quibuſcum agunt.

Sed concedatur Principi ejuſque Legato, cum vulpe vulpinari, dolum dolo, publicæ præſertim ſalutis intuitu, eludere: diſplicebunt tamen optimo & candidiſſimo cuique, neſanda illa, quæ ſimulationis, vel potius impiæ indolis & ſorditiei incudibus procuſa, è Neopoliticorum palæſtra ſcaturiuntſine Deo dogmata: *Nullius jurisjurandi tam ſanctam eſſe religionem, cujus ergo opima præda è manibus dimittenda ſit. Singula ad utilitatis & commodi normam redigenda eſſe; nulla proximi, aut conſcientiæ, æternæve ſalutis cura, dummodo in præſens difficultates eluctari votoque fruidetur.* Ita nimirum animam, ne quid impietati deſit, poſt hanc vitam vita exuunt Athei: omnia negaturi, ut in omnibus libere graſſentur. Pergunt: *Cunctis, in rebus, primo poſtremoque meditandum & machinandum eſſe Principi, non tam ut juste, pie, pacifice regnet, quam ut gloriam ſuam, aucto-*

ritatem

ritatem, juriſdictionemque quocumque modo extendat atque ſtabiliat. Ceterum cum minime ſit, ſimulationis tamen larva videatur cultor & cuſtos virtutum, vitiorum oſor & extirpator. Licere ei quidquid libet, deberi quidquid cupit. Malum ſemel bene poſitum, non temere eſſe tollendum. Et quem premere fortior cœperis, premere non deſieris, donec oppreſſeris. Neque ſolum hodiernæ verſutiæ & ambitionis execrabiles magiſtri, humanæ ſocietatis & tranquillitatis perturbatores, Chirſtianæ charitatis violatores ſic nuper commenti ſunt, ſed longe antea uſurparunt tenebriones antiqui. De Seiano: *Illi animus audax, ſui obtegens, in alios criminator: juxta adulatio & ſuperbia: palam compoſitus pudor, intus ſumma piſcendi libido: ejuſque cauſa modo largitio & luxus, ſæpius induſtria ac vigilantia, haud minus noxiæ, quoties parando Regno finguntur.* & alibi: *Id æquius quod validius. Ius & fidem regnandi gratia violandum eſſe, ceteris in rebus pietatem coli poſſe.* Apud alios poëtice magis quam humane expreſſum legimus:

——— Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da juſtum ſanctumque videri;
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.
———Virtus mihi Numen, & enſis
Quem teneo. ———
——— Re facias rem,
Si poßis recte: ſi non, quocumque modo rem.

Nobis tamen haud operoſum eſſet oſtendere, Probitatis & Legationis exercitium, Pietatem & Regnum, optime ſimul conſiſtere: imo & hoc ipſum, infirmum eſſe ſine illa. Legatus itaque in omnem partem ſimulatione animum muniet, ſed condita, ſi non ſemper jure & veritate, zelo ſaltem bono: nimirum ut ſuiſmet negotiis tectus ſufficiat: ſic magis ut juvet, quam ut offendat ipſe inoffenſus: imo magis ut domi proſit, quam ut noceat foris. Qui Sacram legit Hiſtoriam; novit, ſæpe admiſſam, receptam, laudatam fuiſſe, rebus exigentibus, hujuſmodi ſimulationem. Ipſe Chriſtus, ait Euangeliſta, finxit ſe longius ire. Apoſtolorum Princeps Petrus, ter maximus Paulus, magnuſque item Athanaſius, hoc ſimulationis involucro non ſemel uſi ſunt. Moyſes in fratre & ſorore, Abrahamus in conjuge, Iacobus in matre ſimulavit. Finxit David ſtultitiam, Saul neglectum ſuorum. Et hujuſmodi ſcilicet hodie, non ignota quibuſdam Mentalis Reſtrictio.

DISSERT. XL.

Verax.

IN dubiis, temere nil affirmabit, niſi quod experimentis ac velut teſtibus explora-

ploratum habeat, ac probare poſſit. Crebro enim verum à veriſimili procul abeſt, ſicut incredibile à falſo: ſæpe veritas mendacij, mendacium veritatis ſpecie, perſonata ſunt: nec eadem ſemper ratio totius corporis, quæ corticis aut cutis. Et blandus adulator amici larva hiſtrioniam exercet: & amicus, quia ſincerus & ſeverus eſt, alienior habetur. Lubens niti videatur veritate Orator, certiſſima illa virtutum, ejuſque fido comite parciloquio. Mendaces id demum lucrari auctor eſt Ariſtoteles, ut cum vera dixerint, iis non credatur. Ne Faunus quidem, ut eſt in fabulis, negotium ſibi eſſe voluit cum homine, quem animadverterat, uno ore calidum ſpirare frigidumque. Dum itaque Legatus ſeſe ſermonemq; ſuum, prout rebus expediet, accommodabit, ſtudebit ſemper, veritatis amans & obſervans prorſus reputetur. Eum enim hic quoque exiſtimatio locum invenit, ut ejus, qui pro verace habetur, vel ſolus nutus majoris apud omnes fidei ſit, quam eorum, quorum fides laborat, ſanctiſſimum jusjurandum.

Sed non abs re veritatem Temporis & Memoriæ filiam eſſe fabulati ſunt Poëtæ. Ideoque ſicubi hæc ingenio negotii eclipſim paſſa fuerit; videbit Legatus, necubi temporis intercapedine adeo ſibi exciderit, ut falſitas figmenti alubi ſe prodat. Quin

Quin potius efficiet, ut quæ caligini hic fuerint nubes, ſi non protinus diſſipentur, diaphanæ ſaltem reddantur, atque ita paulatim ſerenitati minus adverſæ. Certe is, ſive ſuo ingenio, ſive alieno juſſu mentiatur, fortunam ſuam vel ignorat, vel fatetur puſillam. Et indignantur quidem offenduntur que Principes, ſi quis privatus iis ſeſe æquare contenderit. At vero mendacium qui dicit, ſuperiorem ſapientioremque ſegerere videtur eo cui dicit. Quomodo igitur vultu & Marte aperto, & ſine latebra ac larva id monſtri?

Tribus potiſſimum modis mentiri Legatum contingat: aut rem aliter quam ſe habeat repræſentando, aut quod verum eſt celando, aut quod falſum adſtruendo. Aſt veritatem velut oppugnare, ab ipſa juſtitia & honeſtate prorſus alienum eſt; citra utilitatem publicam, piaculum ingens. Mitius fuerit, ſi veritatem celaverit. Etenim ſi quis deprehenſus verum celaſſe, ignorantiæ velum aut oblivionis prætexet, à ſe probrum removebit. Quia vero, quæ aſſerit Legatus, ſuſpecta plerumque ſunt; quia periculoſum etiam, fraudis convinci; alium atque alium rebus aſpectum & colorem indet, quæ alioqui nudæ nocerent, vel dedecerent. Ergo quæcumque dixerit, vero conabitur ſimillima efficere; ut quæ dubia, tamquam certa atque neceſſaria habeantur. Ingenii iſtud &

Sua-

Suadæ negotium eſt. Nonne videmus, quomodo tabulæ pictæ alio atque alio loco poſitæ & lumini expoſitæ, delectent magis minuſve? Quemadmodum intexta quædam ſerica, plumæ item in pavis aut columbis, prout diverſimode ſolem excipiunt redduntque, diſcolores apparent, cum nequaquam ſint: ita & verbis commodus interdum color quæritur & adhibetur; & in conſiliis, judiciis, actionibuſque humanis, videri poſſunt utilia quæ damnoſa ſunt; laudabilia, quæ execrabilia; vera, quæ falſa. Quod ſi cauſarum patronis & procuratoribus quaſi licitium toleratur, veritatem non modo educere & manifeſtare, ſed equidem pro uſu litigantium interdum occultare, etiam oppugnare (miſerando quamvis eheu innocentum & candidorum gemitu!) quid ni liceat Legato Reipublicæ cauſidico & oratori, ſuæ cauſæ & intentioni inſervire, tenebris lumen, lumini tenebras miſcere, dummodo veritati non tam quid detrahatur, quam non ſatis lucis adferatur? Audeo: Licebit Legato neceſſitate coacto, orationis & actionis ambiguitate interdum rebus & externo Principi imponere: aliquantiſper, inquam, a vero, a recto recedere; dummodo non diſcedat: diverſus, non adverſus: utpote ſine Religionis, ſine honeſtatis damno: adeoque ut artificioſum iſtud ſive ingenium ſive exercitium

citium pio zelo & ſcopo condiatur. Etenim cum id agitur, ut publica utilitas promoveatur, innocentiaq; ſublevetur; quæcumque ambigua ſunt, & ab improbitate remota, excuſari poſſunt. Quippe odio coloris amoto, manebit ſola & eadem rei integritas: nec diſtinguitur linguæ manuſve obſequium, dummodo bonæ mentis interpres aut miniſtra ſit. Sed riſerunt Ethnici ſua Numina, adſtruentes, quod

Iupiter ex alto perjuria ridet amantum:

& quod Romanorum Dii piis ſacrificii furtis delectarentur. Atque utinam non hodie promiſcue multi, etiam in rebus privatis & levibus, præſumant, ſe mentem velut compedibus reſtringere aut ablegare poſſe! Poſſunt enim ſæpe, ſi forum curiæ, & quæ tanguntur, ſpectent: ſed ſi ad illud conſcientiæ appellent; præſidet judicum Judex, qui non fallitur tranſpoſitis verbis: mendacia & juramenta eo modo accipit, quo is cui dicuntur intelligit. Eruditus ille Scoppius, neſciò quam utili zelo, Regi cuidam infeſtus, definit ejus Legatum, ut ſit vir ſagax, à Principe peregre miſſus ad mentiendum & decipiendum Reip. ſuæ cauſa. Nos Legatum dicimus, primum quidem ſui Principis ſaluti & bono invigilare & ſtudere; ſed eo ſtabilito & ſalvo, communi quoque tranquillitati, & externi commodis favere.

Sed

Digitized by Google

Sed mendacium aliquando etiam ubi dictum eſt, veniam & favorem velut ſuo merito obtinet: ſcilicet, ſi non tam ad ejus cui profertur perniciem, quam ad illius à quo profertur ſalutem conditum. Ejuſce rei exemplum legere eſt in libro Joſue: ad quem cum ab afflictis Gabaonitis miſſi eſſent Legati; finxerunt, non à gente ſe contermina, ſed longinqua adeſſe, fœduſque petere. Datum eſt. Poſtquam vero dolus patuit, mendacium quidem exprobratum eſt: ſed cum hanc unicam ſalutis viam à neceſſitate ſibi monſtratam dicerent; Judæus humanorum caſuum memor miſeratuſque, fidem ſemel datam ſemper ſervavit, ratumque fœdus fuit. Ejuſmodi mendacium Livius liberum, alii officioſum appellant. Hannibal Romanorum inſidias devitans, in Cercinna inſula ne noſceretur, Tyrium ſe Legatum à ſuis dici juſſit. Et ſalubri uſus mendacio Conſul Romanus, dum per nuntios ſucclamat, hoſtem ab altero cornu fugere, greſſumq; & invaſionem accelerat; effectum eſt, ut miles, qui ſe putarat vinci, vicerit. Diu fuit eritque, encomio Lyrici,

Vna de multis face nuptiali
Digna, perjurum ſimul in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis ævum.

Quid autem ad Reipub. immutationem &

& gubernationem valeant mendacia atque impoſturæ, animadvertere eſt apud quoſdam populos, qui non veris rationibus aut cauſis, univerſi Status faciem transformari, arma parari, legitimos Principes excludi, exteros inęſcari & rurſum turbari poſſe, jampridem docuerunt. Quod ſi in veritatem temere impegiſſe turpe Legato; promiſſis non ſtetiſſe haud pulchrius videbitur, quaſi ſponſiones ſuas ſomniis, vento vel aquæ inſcripſiſſet. Quod ſi tamen ad levium verborum inconſtantiam ipſa rerum varietas gravitaſque, Dei, naturæ, aut publicæ decentiæ ac ſalutis lex induxerit, coëgerit; ſi affulſerit occaſio patriam liberandi, libertatem juriſdictionemque religioſe aſſerendi; pereat omnis promiſſio potius quam patria. Iſidorus: *In turpi voto reſcinde fidem, muta decretum. impia eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur.* Stulta manus eſt, quæ fatui oris noxia vota exequitur, aut impietatem unam altera expungit.

DISSERT. XLI.

Fidus, ne nimium fidat.

UT ſuos Aulæ Principum habent corycæos atque impoſtores, in hoc maxime edoctos & compoſitos, ut arcana rimentur atque explorent, ſuſpectam habe-

habebit Legatus aliorum fidem. Peccat qui fidendo facilis eſt, laudemve à ſtupido candore ambit. Et nemini quidem fidere, nonnihil inhumanitatis habet: ſed in re Principis, inhumanum eſſe præſtat, quam periculum non vitare. Secreta majoris momenti, & quæ magnæ conſequentiæ nuncupamus, ſecreta ſint. Paſſim etiam homines, vel incogitantia, vel odio oborto, rumpere poſſunt ſilentii repagula. Quare qui diffidentia quadam munitus non fuerit, non unus Ulyſſes Aiacem hunc circumveniet. Quibuſdam fortaſſis non ineſt perfidia; imprudentia tamen & temeritas non deeſt, & ſuperat animi propoſitum imbecillitas, vitiumque conſuetudinis ac naturæ. Intervenire etiam ebrietas poteſt, qua fidum alioqui ſilentium, ſecretorum anima, ſolvatur. In vino calor eſt: ne miremur, abdita cordis per ob & labra ebullire. Quid? quod quidam eo ſunt ingenio, ut tacere omnino non poſſint? Quorum pectori ſi quid arcani clanculum commiſeris; continuo parturiunt, rumpendi, niſi effutiant, evomantque: eo etiam vehementius, quia obſtricti fide, & quaſi obſtructi. Nimirum ſoli tyrannicum illud ſilentium cohibere aut concoquere non poſſunt. Ideoque licet ſtipuleris tenaciſſimam taciturnitatis fidem; nullus tamen eſt animi tam conſtan-

tis

tis & continentis linguæ, qui quod novit, narrare non geſtiat: nullus ſic ſodalitio deſtitutus, quin vel unum habeat amicum, cui tranſcredere auſit creditum; & ille rurſus alterum, donec res in forum efferatur: & quidem inſigni augmento ſeipſa major. Imo nonnulli dicturiunt magis, ſi quid inhibueris:

——— *quod non licet, acrius urit.*

Inhibuiſſe, inſtigaſſe, quaſi tubis & tympanis commiſiſſe, eſt. Dein qui rem ipſam tacere non potuit, nec auctorem tacebit. Amplius: Plerique hominum ea imperfectione naſcuntur aut vivunt, ut ne propria, ſive peccata, ſive vitia, celare poſſint.

——— *Eſt quædam flere voluptas:*
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

Et quomodo periculo careat periculum, quod forte expoſitum eſt malignæ, ſaltem alienæ fidei & fortunæ? cujus jam ſolus non amplius ſis arbiter, ſed alter, qui non eſt tecum idem? Qua lege de ſilentii fide cum aliis expoſtulabit, qui ſibi ipſi ſilentii fidem non ſervarit? Itaque, alterum ſilere quod vis, prius ipſe tace, tecum habe: ſecreti ſi quid partiris, perdis. Anne exiſtimes, alium tibi magis fidum fore, quam fueris ipſe tibi? En dictum ab ipſa Sapientia dictatum: *Secretum meum mihi.* Profus in tuo debent animo ſepeliri, quæ latere & ignorari vis. quod ut lepide doceret Simonides, interrogatus, unde

unde ſibi male oleret anima; Putrefactione, inquit, ſecretorum, quæ ibi ſuffocata ſunt. Non male olet, qui ſic olet, & inter primas virtutes fidem & taciturnitatem numerat. Etenim hæc una velut anchora eſt, qua in negotiorum, imo periculorum pelago ſecurus naviget Legatus, turbinibus & procellis major. Nec imprudenter Petrus Aragonius, Legatis Martini IV. Pontificis inſtanter ſciſcitantibus, quid ſibi vellent apparatus bellici quos inſtruxerat; Comburam, inquit, interulam (manumque pectori admovit) ſi conſiliorum meorum gnaram putem. Digniſſimum, & imitandum Heroibus decretum. Nec enim regere novit, qui tegere ignorat. Vtque obſcuræ atque abjectæ indolis eſt, fallere; ita ſuſcepta ſemel cónſilia celare non poſſe, levis atque anguſti pectoris. Neque poteſt rem magnam ſuſtinere is, cui tacere grave eſt, quod facillimum voluit eſſe natura. Faciem quidem cujuſque cernere, cuivis obvium eſt: verum quid in intimis animi receſſibus lateat, mortalium nemo divinabit. Homo enim totus conſultur calliditate; verſutia, dolis, diſſimulatione, quæ vultu, voce, geſtu facile ſuſtinentur. Vixque ullus tam adhuc ſanus extitit, qui non aliqua ex parte fictus & fucatus fuerit: quin aliud ore, aliud corde, aliud mente, aliud manu agitarit. Adeo uno ſtabulantur

pecto-

pectore, uno velut obſonantur, pugnantes quique affectus. Ipſa planities & ſerenitas frontis, ingentium non raro moliminum gurgites & fluctus, ſollicitudinum Alpes ultra nubes condit̃. Proinde nihil homini ita proprium, ut fallere & falli.

Ceterum minus in eo periculi eſt, qui opera noſtra magnopere indiget, vel commune nobiſcum, ſive emolumentum, ſive damnum, expectat̃. Accepiſſe beneficia, vix vinculum putatur: obventura omnes æſtimant; præteritorum aut oblivio aut vilitas eſt. Præterea ne iis tuto fidendum putem, qui impoſturis inſidiiſve nocent aliis, quamvis tuis rebus conſiliiſve videantur ſtudere. Ut enim æſtimari aſtutia poſſit, ſuſpectus tamen infidi atque horribilis opificii artifex eſſe debet, quia inconſtans convertet fallaciam, ſi melior occaſio invitarit̃.

Ad Legatum redeo: qui niſi ſecretorum tenaciſſimus ſit, & habeatur, corycæorum ipſe opera apud exteros atque miniſterio deſtituetur. Pluris enim hi ipſi æſtimabunt periculum ne prodantur, quam præmium, quod malis artibus quærunt. Aſt ſi quid taciturnitatis lege communicatum ſit Legato; ſartum tectumque premat ſigillo tuti ſilentii. Neque enim plenus rimarum ſit, aut minus diligens cuſtos arcani, fidei ſuæ crediti, quam nummi. Turpe eſt arcas & ſcrinia

Digitized by Google

ſcrinia ſua claudere & obſerare poſſe, animum mentemque non poſſe. Suggerit Sapiens: *Ei qui revelat myſteria, & ambulat fradulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſceearis.* quæ familiari conſuetudini data cautio, fortiter moneat & Principem, & Legatum. Itaque fidem ipſe religioſiſſime colet, ſuſpectam in aliis habebit, licet deliciis blanditiiſque amictam. Dein, quaſi neminem non amet probetque, ita blandus & benevolus erit ſingulis: quaſi falli ab omnibus poſſit, cavebit: utque tutus ſit, imo ut ſuus ſit, tectus ſit. Sic vultus quidem comis & communis omnibus, animus externo non patebit. Alioqui incauto, credulo, garrulo, ſæpe damnum & dolorem denuntio, aliis riſum. Ideoque quantumlibet Legatum quis complectatur, adoret ut tutelarem Deum; ipſe nihilominus credat, eum qui modo obſequentiſſimus videtur, poſſe malevolum, æmulum, invidum fieri, magiſque ſibi adverſari, quam frigus calori, aut rotunda quadratis. Sciat, ſua ſibi virtute eluctandum: decipiendum fore ab altero, ſicubi nimia contractibus conſiliiſve credulitas, inſcitia, aut facilitas, intervenerint. Verendas ubique inſidias atque impoſturas, nota regnantibus mala: nihil ſincerum, nihil ſimplex, nec apud amicos certam fidem. Audeo; Tota mundi hujus ſecuritas à

L diffi-

diffidentia dependet. An huc non ſimplicis ſenſus ſymbolum traxeris;

——Simili diſſimilique fide?

Ipſe interfui, ubi agonizans paterfamilias (& ipſe plurimis Legationibus aulisque Principum exercitatus) filium ſupremo ſalutis ſigno muniens, hoc inſuper monito noviſſime reliquit verius, quam demiſit: Alias ſæpe, mortuos conſuleres, hortatus ſum, ut rectius feliciusque hoc quidquid eſt vitæ tranſigeres: nunc audi etiam moriturum; Sit frons aperta, lingua parca, mens clauſa, devota Deo. Anne ſalubre Legatis? ô ſi ſatis intellectum!

Si quod arcanum ſalutem Legati involuit; ſinu ſic arcte contineat, ut ne communi quidem aëre luſtretur: ne cujuſpiam procacitas ſanctuaria perfringens, projiciat ea caninis dentibus aut latratibus. Hic quæcumque vicina fuerint, ſuſpecta habeantur, etiam ipſa ſaxa, aulæa, tenebræ. Nam & ejuſmodi inanima, fuere infamia interdum, quod nihil celarint; lyncea & aurita fuiſſe compertum eſt, & inſidiantem ſcorpium occultaſſe. Neque enim quis credat, ſe à nemine notari, quia ipſe neminem videat. Ad ſummam: Omnia tuta, ſi ſuſpecta habeas, tutiora erunt. Deinde quidquid frequenter agitur, occultiſſime licet; oculatis vel caſu vel curioſitate tandem aliqua pateat, verendum.

In

In iis autem quæ cum aliis aut per alios exequi Legatus debet, attendet, ne nimia diffidentia mentem obſideat & obvoluat: alioqui enim, dum nulli quidquam credet quod laudem mereatur, ipſe autem omnia agere per ſe non poſſit; fiat ut anguſtiſſimis terminis, Legationis fructus claudatur.

DISSERT. XLII.

Felix.

AMplius tandem in Legato requiro, quam præſtare ipſe poſſit. Felicem ac fortunatum exopto. Nam etſi dexteritate & prudentia geri omnia debent; varii tamen rerum caſus & eventus ſunt, qui à Deo & ejus decreto dependent. Sic & exercituum Imperatores, niſi proſpero & Martiali quodam aſtro nati; fruſtra fortes ſtrenuique ſunt, fruſtra bellica virtute inſtructi. Dixerim, unius fato Ducis, militum victoriam, juxta fortunam duci. Et voluntas quidem in manu cujuſque eſt, felicitas & facultas cælo conceditur. Unde Siramnes Perſa interrogatus, cur facta præclaris ejus dictis non reſponderent; Quid loquar, inquit, mihi in manu eſt; quid eveniat, in arbitrio Deorum immortalium. Quibuſdam tamen hominibus peculiarem Natura ſortem aſſignavit, ut quidquid dixerint,

conſuluerint, egerint, omnia ſecundo numine, ac velut quadam virtutis manu tractaſſe videantur, etiam cum procul deflexerint à linea & ſcopo. Alexandri fortuna celebratur; quod plures prope victorias reportarit, quam pugnas inierit; plures urbes ceperit, quam obſederit; plures hoſtes fuderit, quam noverit; plura occuparit loca, quam objerit. Prorſus temeritati ejus ſors etiam ad gloriam ſuffecit. Contra non paucioribus arcana quædam congenita eſt infelicitas, cui velut ſcopulo adhærent: quippe quorum virtutes etiam diſpliceant, ac bene conſulta factaque neglectui & contemptui ſint. Dum rident, putantur deridere; dum ungunt, pungere; dum nugantur, nil minus putantur quam nugari. Atque ut echinus quocumque ſe vertit, ſpinas ſecum trahit; ſic aliqui infauſta & infeſta ſibi ſidera, triſtemque eventum ubique experiuntur. Imo idem cum fit aut dicitur, non eadem ſemper eſt gratia: non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is qui dicit aut facit non ſit idem. Hujuſce diſcriminis ratio aut regula ægrè docebitur diſceturve: à Numine, à cujuſque indole dependet: niſi forte dotes illæ, de quibus carptim ſupra, prudentia, ſolertia, pervigil conatus, eloquentia, tum potens voluntatum conciliatrix comitas, morumque elegantia, excel-

lentiæ

lentiæ iſti patrocinentur, naturam juvent atque commendent. Sic Titus Veſpaſianus, quia ingenio ſuavior, velut ad benignitatem factus, niminem à conſpectu ſuo triſtem dimitteret; omnibus gratioſus, nemini inviſus fuit, deliciæ amorque generis humani nuncupari meruit. In M. Catone adeo ingenii & virtutis vim enituiſſe ferunt, ut quocumque loco natus fuiſſet, fortunam ſibi velut morigerantem facturus videretur. Nimirum ipſa præmium & dulcis ſibi voluptas virtus eſt; nec niſi repentibus animis, frigidumque atque iners pectus ignavia obtegentibus, durior apparet ſpectatæ virtutis quam incognitæ conditio. Ideoque, in ſolamen humanæ imbecillitatis, quinimo in incitamen induſtriæ, aſtruunt non illitterati viri, & quibus animus altior ſupra ignobile vulgus eminet, *Quemque eſſe fabrum ſuæ ſortis: Singulos ſuis moribus fingi: Fortunam ſimul cum moribus immutari: Neminem turpius lædi quam à ſeipſo.* Quid etiam? *Vigilanti, agenti, bene conſulenti proſpere omnia evenire: Vbi te ſocordiæ ignaviaque dederis, tardum quoque deliberantis fortunæ favorem, iratum infeſtumque Numen reddi & averti.* In nobis ſitum eſſe, felices vel infelices ſimus, ſi dextere injecta tempori & occaſioni manu, animum ut decet occupemus: ſic ſortis

quidquid obvenerit, proprii velut juris imperiique fecerimus. Ab aſtris nolunt neceſſitatem derivare.

——— *Sapiens dominabitur aſtris.*

A nobis fortunam volunt, non nos à fortuna dependere: An fruſtra Satyricus?

Nullum numen abeſt, ſi ſit Prudentia: ſed nos
Te facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.

Homines plerique, non quia infelices ſunt, inepte in rebus conſiliiſque verſantur; ſed quia inepte verſantur, infelices ſunt. *Vbi per ſocordiam, ingenium, tempus, vires defluxere; Naturæ infirmitas accuſatur.* ut non inaniter ille, *Peccata* omnia ſive errata, *Infortunia* dixerit: & alter; Virtuti omnia parere. Felix igitur eſto Legatus; ſed ſeipſum, ut poterit, felicem faciat. Sæpe quia non ſat animi roboriſque Fortuna invenit; tranſit. Stringi amat, comprehendi amat, cogi quoque: ſed Virtute, quæ regit omnia, & Legati Felicitas eſt.

FRE-

FREDERICI DE MARSELAER

EQUITIS
LEGATUS.

LIBER SECUNDUS.

DISSERTATIO I.

Legationum diſcrimen.

LEgatum eſſe, illuſtre munus; agere, perneceſſarium. Qui ſit, ſive corpus, ſive animum, ſive fortunam ſpectes, oſtendi. Qui agat, nunc declaro, & à diſcrimine ordior.

Res quæ à Legatis tractantur, vel ſacræ ſive Eccleſiaſticæ, vel profanæ ſive Politicæ, vel denique mixtæ: & ſic quoque Legationes dictæ atque diſtinctæ ſunt. Sacræ quidem, quæ Religionem aut Eccleſiaſticam juriſdictionem cognitionemque concernunt; & ad has fere Sacerdotes, Antiſtites, Præſuleſque aſſumuntur. Profanæ, quæ auctoritate profana conſtant, & Principis vel Reipublicæ cauſa. Diſtingui autem à ſacris profanæ debuerunt; partim, ut ſuam utræque dignitatem haberent; partim, ut

quiſque quarum maxime rerum peritus eſſet & intelligens, Legatus quoque fierit. Quæ mixtæ vero ſunt, & juriſdictionis mixtæ, promiſcue etiam adminiſtrantur. Non ſolet tamen Summus Pontifex Legatos niſi è ſacro Ordine ad Principem Politicum mittere: neque hic Eccleſiaſticos ad ipſum Eccleſiæ Principem: quiſque ut Dominii ſui rationem, & conditionem Imperii exprimat, indubitatius feliciuſque aſſerat.

Equidem Summi Pontificis Legati, ſeu Nuntii, ceteris majores, meliores; quod is à quo mittuntur, reliquis qui mittunt, major eſt, melior eſſe debet. Nihil ſcit, qui non ſcit

——— *quid diſtent Sacra Profanis?*

atque adeo vel maxime, quæ ejus ſit majeſtas, cujus Reges ipſi, divino Primæ Veritatis elogio, facti ſunt Nutritii. Parum dicitur, quidquid de eo dicitur, qui Animarum & Æternitatis Clave, in terris Dei locum tenet, & Angelicis tremendum humeris officium ſuſtentat & exercet. Eccleſiam omnem vide: multitudinem Fidelium recenſe: myſteria ſcrutare: Hierarchiam compone: ſacram legem & politicam inſpice: tranquillitatis Reipub. Chriſtianæ procurandæ, fovendæ, pondus expende: adhæc, Principum diſſidia, ſimultates, odia, ambitionem, turbulenta ingenia: concuſſam Dei domum, totque hæreſibus conquaſſatam,

tam, obſerva: molem, majeſtatem muneris tangis, non attingis. Altiora vis? Animam & corpus, futura & præſentia, æterna & temporaria metire. In hujus partem laboris vocantur, qui à Pontifice oneris tanti conſortis mittuntur Legati Apoſtolici. Quorum officium, auctoritas, juriſdictio, doctrina, virtutes, ſupra calamum meum ſunt, ſupra curam: nec enim ego ſacra hæc non ſacer. In his diſcere percupio, non docere. Majora etiam ſunt & plura, quam ferat præſentis laboris inſtitutum. Partem bonam ſuggeſſi jam & deſignavi iis, qui à ſe plura poterunt ſupponere. Diſtinguam tantum, lucis cauſa, & operis totius nexu.

Legati itaque Pontificii triplices. Quidam Legati à latere: Cardinales videlicet, ab ipſo ejus cui aſſiſtunt latere, cum ampliſſima auctoritate, emiſſi, provinciæ adminiſtrandæ, pacis inter Principes ſtabiliendæ, majorum conſiliorum cauſa. Secundi, vulgato ſermone, Nuntii Apoſtolici (hi & Miſſi) qui frequenter etiam cum poteſtate Legati à latere. Ii Cardinales non ſunt, ſed Antiſtites à Summo Præſule ad Principes alioſve qui imperium exercent, deſtinati, ut agant, indagent, vel expediant negotia non maxima, vel ut tamquam Apoſtolici judices delegati, certas cauſas cognoſcant. Tertii demum, Legati nati, quod nimirum eo

ipſo quo Eccleſiis præficiuntur, & Præſules creantur, Legati Apoſtolici nomen & dignitatem aſſequantur. Talis in Hiſpania Toletanus, in Gallia Rhemenſis; Magdeburgenſis olim in Germania, hodie Salſburgenſis; in Polonia Gneſnenſis, Strigonienſis in Hungraria: alii plures alibi. Omnes porro Legati Apoſtolici, ab ea qua funguntur ſacra Legatione, ſacri ſunt & vocantur. Quid? quod & Sanctiſſimi Univerſalis Eccleſiæ Capitis vices gerunt? Ideoque advertere inprimis decet eos qui ſacro hoc munere funguntur, ut eorum actiones verbaque rebus ſacris congrua & digna videantur.

Nil viſu fœdum dictuve hac limina tangat.

Quod iis præſertim locis obſervandum, ubi Religionis tantum odio quidam mali, qui alias boni: qui Prælatorum vitia, erroris ſui fulcimentum ſibi fingunt, aliis faciunt. Non recte: ſed humanus tamen error eſt ejus, qui eorum, quos præire & prælucere decet, errat exemplo. Vide etiam calumniam. Scitum ſubmitti quoſdam & ſubornari, qui labem, quæ non ineſt, indant, ut improbo auſu atque aſtu pervertant complures, dum Religionem culpant, Rectorum vitio. quaſi vera non ſit, ſaltem non credatur; dum non ad ejus præſcriptum, ab iis maxime qui præſunt, vita inſtituitur. Fortiſſimum præcepti

genus

genus eſt, præire: & vim facit, qui docet & una ducit; juxta illud:

Verba movent, exempla trahunt. ——— Chriſtus ipſe (eccujus auctoritas ſanctior viro Apoſtolico?) *cœpit Facere & Docere.* Nuntii Pontificii illuſtre exemplum munere exprimit Ill^mus^ & R^mus^ *Io. Franciſcus ex Comitibus Guidiis à Balneo*, qui gratiſſima Belgium (dum hæc ſcribo) Legatione ornat & juvat. Cujus vita, vivendi forma & exemplar; mores, virtutum regulæ, omnis decoris inſignia ſunt. Fidens dico, nec eſt quod aſſentari velim (nolo, neſcio, non debeo) Roma, non alios lega, elige. Erit quod ferant tales, tu metas, Eccleſiæ Militantis magno bono, Triumphantis ingenti jubilo.

Sunt & Legationes piæ, quas potiſſimum æternæ ſalutis atque animæ cæleſtis cura, aut irati Numinis in calamitate deprecatio emiſerit. Exempla etiam à ſuperſtitioſa antiquitate manant. Nam, ut eſt apud Livium, poſt acceptam ad Cannas cladem, Fabius Delphos Legatus mittitur, ſciſcitaturus oraculum, quibus ſupplicationibus Dii immortales placari poſſent. Talis etiam fuit M. Pompeii & Q. Catuli Legatio, qui Delphis coronam auream, ducentorum pondo, ſimulacra item ſpoliorum, & decem pondo auri facti obtulerunt. Sed & in Urbem contagio-

tagioſo ac peſtifero morbo laborantem, Legati Romani ſignum Æſculapii ex Epidauro tranſuexere. Superſtitionem relinquo, & ad noſtros venio. Chriſtiani Principes Deo Opt. Maximo munera preceſque oblaturi, conſilia & auxilia imploraturi, ad loca & templa, in quibus peculiariter coli Numen amat ac propitium eſt, Legatos ſolent mittere, & peculiari cultu pietatem profiteri. Ita à Juſtiniano Imperatore Hypatius ac Demetrius Epiſcopi ad Joannem Secundum Pontificem Romanum cum muneribus miſſi ſunt, quæ templo D. Petri dedicarentur; ſcyphus unus aureus gemmis exornatus, librarum ſex; argentei duo, librarum duodecim; calices argentei duo librarum quindecim. Tamquam faveret Legationi piæ Deus, Salonas munitiſſimam urbem mox Imperator cepit, Gothoſque ingenti prælio vicit. Inviolatæ atque invictæ Religionis noſtræ partim propagandæ, partim inveſtigandæ zelo, ex Indorum Orientalium plagis remotiſſimis, plurimæ Legationes ſuſceptæ fuerunt: ſic mirifico atque potenti Verbo Veritatis Euangelicæ ultro conceſſerunt, qui hoſtium horrori armiſve numquam ceſſerant. Utpote Regum Japoniæ conſanguinei & familiares, plus ſemel ad Gregorium XIII. Legatione functi; qui Pontificem, ut patrem, ut Dominum venerati ſunt; ipſe, ut filios am-

plexus.

plexus. Senſiſti etiam tunc, Romana Eccleſia, quod præclaro carmine Divinus Vates: *Gentes quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificavit te.*

Et ſinguli quidem Legati, vel negotii cujuſpiam agendi immutandive gratia mittuntur, vel honoris dumtaxat, obſequii & officii debiti ergo: eorumque mandata aut in cognoſcendo, aut in enuntiando, aut in conſultando, aut in exequendo conſiſtunt.

Sed Legatorum non una eſt conditio. Alii publici, ſive cum mandatis: alii privati, & ſine mandatis. Publici, vel Ordinarii, vel Extraordinarii. Ordinariis tempus protrahitur, vel contrahitur, pro neceſſitate negotii, ac voluntate mittentis. Extraordinariis exiguo tempore, ac ſuper certa expeditione hærendum eſt; uti affinitatem ambiant, contractum ratificent, fidem jurent, eventui condoleant, vel gratulentur, munera devehant, conſilia vel commeatus petant.

Quod ad cærimonias Legationum, negotiis pariter ſubſerviunt; re, ritu, ac ſermonis genio differunt. Aliæ erunt, quoties de pace, connubio, gratulatione agendum: aliæ, quoties expoſtulare, interminari, deplorare, deprecari neceſſe. Quæ læta ac tranquilla ſunt, floridam admittunt Suadam, exiguntque: ſuperba atque minantia, ſtrictim

exprimenda ſunt. Quemadmodum alius virum togatum, alius militem geſtus & cultus decet: alium tempora & negotia ſerena, alium nubila & triſtes cauſæ vultum habitumque depoſcunt.

DISSERT. II.

Color & prætextus.

DIverſo quoque quam appareat prætextu Legationes ſæpe inſtituuntur: ut quid perquiratur, impediatur, perpetretur, promoveatur; damnum odiumve in rem aut perſonam concitetur. Huc in occaſionem argumenta aut negotia etiam occulta & remota veniunt. Sic quidem pace inter Philippum II. Hiſpaniæ & Henricum IV. Galliæ Reges inita, cum Petrus Toletanus ad Henricum congratulandi gratia Legatus veniſſet; quaſi aliud à mandato agens, ab eo ſciſcitatus eſt: Ecquid videretur, ſi Catholici & Chriſtianiſſimi Regum liberi, ſtabiliore fœdere ac connubio jungerentur? Cumque reſponſum eſſet, ſatis adhuc juvenes eſſe; Maxime, inquit Legatus: occaſio tempuſque illa diſponant: modo pueris puerilia. Et tamen ejuſmodi nunc nuptiæ arctiore affinitatis fœdere colverunt. Ut videas non ſine fructu colorem hunc in Legationibus quæri; tentari alia, quam tractari:

pro-

proponi, non promitti. Hoc quoque artificio Romani uſi ſunt; qui ut fallerent hoſtem, calliditatem virtutem fecerunt. Sed

——— *dolus an virtus, quis in hoſte requirat?*

Etenim cum jam in Antiocho timendus iterum Hannibal eſſet, Legati à Senatu in Aſiam miſſi ſunt (quos inter ipſe Scipio fuit) qui ſub ſpecie Legationis, & Regis apparatum ſpecularentur, & Hannibalem aut Romanis mitigarent, aut aſſiduo colloquio ſuſpectum inviſumque Regi redderent. Id accidit. Antiochus enim familiaritatem illam ſuſpectam habens, non jam amicum eum amplius aut hoſpitem, ſed velut hoſtem proditoremque ſuum habere cœpit: quæ res, ſcribente Iuſtino, tantum apparatum belli, ceſſante Imperatoria arte, corrupit. Tarquinius ipſe, jam exul, nonne callide Romam Legatos miſit, qui dum ſupellectilem regiam ac prędia repetunt, recuperandi Regni conſilia inſerunt? Carthaginenſes quoque habuiſſe Romæ è ſuis, qui per ſpeciem Legationis moram traherent, exciperentque conſilia Senatus, Frontinus ſcribit. Sed mitto antiqua. Proavorum noſtrorum memoria, cum Turcarum Imperator, regionem Religionemque omnem Chriſtianorum avida ſpe devoraſſet, & omnibus immane Europæis jugum minitaretur; ſola concordia vinculum adverſus externi hoſtis potentiam

fir-

firmiſſimum videbatur Chriſtiani orbis Principibus, quos patriæ communis ſenſus & amor affecerat; ne obliti teſſeræ qua conglutinati & cognominati eſſent, mutuis morſibus viverent, more immitium ferarum; at reſipiſcerent, ô tandem, & in communem hoſtem ferrum & flammam concordi manu converterent. Eo igitur conſilio Dux Burgundiæ Philippus, cognomento Bonus, virtutum excellentia Princeps optimus, quaſi Urbem Sanctam viſurus, oculatam illam redemptionis noſtræ teſtem, ut viam ſibi ſterneret; G. Ophemum, virum é nobilitate Belgica, Conſtantinopolim ablegaverat: prætextu ſimul firmi alicujus fœderis, quod poſt multam Tranſilvaniæ cladem cum Magno Imperatore coiret: at revera ut inteſtinæ diſſenſionis malum, quo laborabant Chriſtiani, & laborant modo, in truculentum tyrannum Turcicum converteret. Propoſuerant, inquam, ſic Principes, pie & ſapienter: ſed propoſuerant. Quod plures tangebat, plures neglexere: & dum quiſque onus grave, arduum, commune, ab humeris ſuis depellere contenderet, futilia & frivola potiſſimum diſquireret; omnino nihil actum, & publicæ fortunæ dedecus incrementum cepit. Dum quoque in laudabilis ſtudii ſtadio ipſius Legati fama, tamquam nivis cumulus rotando augeretur,

florem

florem ſpei maximæ præmatura mors decerpſit. Ergo evanuit pulcherrima ſimulatæ Legationis moltio, optimique conatus in irritum cecidere. Suo nimirum fato optima conſilia obnoxia ſunt: hominumque vota in facillimo ad felicitatem curſu ſiſti videmus, ſuſpendi, inhiberi; retroagi ea, quibus nondum dignus aut aptus eſt mundus.

DISSERT. III.

Inſtructio ambigua.

UT munus ſuum Legatus intelligat, Inſtructione opus. Hæc à Principe eſt; nec ultra hic nobis examinanda. Nam quid & qoumodo præſcribere Princeps debeat, ad Imperii arcana ſpectat, pro ſingulis rerum occaſionibus, earumque appendicibus. Noſtrum erit expendere, qua ratione exequetur Legatus, quod a Principe præſcriptum eſt: quamquam & hujus nonnumquam officium attingimus, quo minus ille ignoret ſuum. Certe ſi cui Inſtructionis componendæ cura demandata fuerit, negotiorum adeo peritus ſit oportet, ut omnia quæ circa Legationem conſiderari aut evenire poſſint, perpendere & ſuggerere ſufficiat: vir maxime perſpicax, callidus, expertus, dexter. Qui docet quid agendum ſit, qui agendum ſit ignorare non poteſt.

Ideo-

Ideoque haud magnum videtur, ſcientiam ſi ſpectes, diſcrimen, inter eos qui imperant aut regnant, eoſque qui quomodo imperandum aut regnandum ſit, præcepta dant.

Conſtat profecto, abſentium negotia & contractus ex inſtructione & mandatis eorum, quorum nomine geruntur aut ineuntur, firmitatem accipere. Et generaliter omnium, qui mittunt vel admittunt, aut aliena adminiſtrant, intereſt, mandata ipſamque negotiationem inſtructione muniri, velut præcepto quodam ac vinculo quod utrimque obliget, ſi ſemel probetur. Præſcriptam vero agendorum formam, ſeu eorum quæ imperata ſunt libellum, Quintilianus Commonitorium, vulgus vocat Inſtructionem. Quæ axis videtur, circa quam actionum Legati ſphæra voluatur: idem quod pixis nautica navarcho.

Gemina Legatis frequenter Inſtructio ſcribitur, ut una publice ac libere oſtendi atque exhiberi poſſit; altera non poſſit manifeſtari, aut quidquam operari, aliquando ne inſpici quidem, niſi dum adeſt certus forte eventus locuſve. Et hæc quidem Inſtructionis pagina neceſſario interdum exhibetur. Primo, ſi quod tractatur negotium tanti ponderis eſt, ut dicta & promiſſa Legati firmanda ſint auctoritate mandatorum: vel ſi quid ſit ejuſmodi, quod ſciri aut credi nequeat,

queat, niſi hæc ipſa inſpiciantur. Deinde, cum ea quæ aguntur, ſcripto comprehendi debent, & ſubſcribere illi omnes quorum intereſt. Præterea, ſi ad jus dicendum miſſus ſit Legatus inter litibus aut bellis implicatos. Denique, quoties adioſa nuntianda ſunt: quæ utique è tabula conſultius quam ore depromantur, lectu quam dictu leniora. Aliquid aſperitatis vox addit: ſed quæ ſcripta, Principis animo oculiſque incurrunt, ipſo quodammodo ſilentio miteſcunt. Legati à Senatu Romano miſſi ad M. Antonium, cum acerbius mandatum, quippe à Cicerone conſcriptum, ferrent, nulla oratione uſi ſunt, niſi à Senatu ſe venire, mandata ferre, ea inſpiceret. Sed velut à nobis oſtenſum eſt, non poſſe Legatum diſtincta aut ſingularia negotia aggredi, niſi peculiari quoque mandato juſſus ſit; ita neque externus Princeps ultra, aut credet Legato, aut cum eodem aget contrahetve, niſi quouſque auctoritatem ac poteſtatem agendi contrahendive extenſam ejuſmodi litteris ſciverit, quaſi paciſcendorum conditionibus atque limitibus. Quod ſi tamen ſuo commodo poſſit Princeps Legato credere, religioſe litteras non reſpiciet, ſed neque exiget. Nimirum ſi quod ea ratione Legato auctore actum pactumque fuerit, ſervari & approbari ab eo debeat qui Legationem miſit a

re-

recuſari autem ac rejici non poſſit ſine damno atque dedecore ejuſdem; vel eo prætextu aut reſpectu, quod forte qui advenit, perſona ſit perilluſtris, ſolita in Legationes ire, omni exceptione dubioque major. Dum Legatorum quidam animadverteret, inſtructionem ac poteſtatem ſibi tributam, ab iis quos adierat, minime exigi; non ignorari tamen, imo legi prorſus vellet, ea quæ plentiſſimus Princeps quam optimis verbis ac ſententiis indulgere & requirere videretur; ipſe eamdem velut oblivione aut inadvertentia quadam, eo loci reliquit, ubi protinus inſpiciendam & exſcribendam præſciebat.

Inſtructionibus, quas Princeps dat Legatis, ſolet ſubſcribere, & ſigillum ſuum apponere, quaſi firma & rata manſura ſint quæ conſignavit, quamdiu illa integra & irrevocata permanſerint. Et hujuſce Inſtructionis exemplar Secretarius Principis penes ſe cuſtodit, aut in archivo negotiorum graviorum. Si quid autem poſterioribus epiſtolis denuo ab Inſtructione mutari cupierit Princeps; ſollicite novum iſtud mandatum reſervabit Legatus, ut numquam à Principe negari, & ſemper à ſe probari poſſit. Sed quæſieris, An occulta illa Inſtructio, quæ externo nequaquam exhibebitur, domi tuto relinquenda, an peregre conferenda fuerit?

rit?

tit? Prius illud, conſultius apparet, amiſſioni atque interceptioni minus obnoxium: ita ut non niſi copiam, qua dirigatur, ſecum ferat Legatus.

Solent, ea quæ mandantur, obſcurioribus ſubinde verbis involui; vel eo fine, ut ſecurior ſit Legatio, neque cujuſlibet ſenſui obvium mandatum, ſiquem ſors inſidiatorem aut interceptorem malignitas immitteret. In ea vero caligine Legatus, necubi fides vel memoria culpetur, opportunis cum Principe congreſſibus, & accuratis conſultationibus, ad mentem ejus animumque penetrabit. Placide tamen ac modeſte interrogando dubia, ac momenta rerum librando; ut fidelis obſequii ſtudium appareat, non curioſitas ulla aut captio. Altera enim, vel confidentiæ, vel levitatis argumentum eſt; altera cujuſdam etiam faſtus vel arrogantiæ, aut redargutionis, cujus ſunt oſores atque impatientes qui in ſumma fortuna. Nequis interim in Inſtructione inexplicabilis Legato ſcrupulus nodusve reſideat, elaborandum eſt. Evolui curabit ille quidquid implicatum eſt, illuſtrari quidquid amphibologicum vel æquivocum, definiri omne quod incertum. Ad ardua rerum, ſi obſcuritas accedet verborum, dubius ille animi, ſententiaque ſuſpenſus, cum minime volet, maxime impinget. Nam quidquid alioqui dictum

dictum indictumve fuerit, Princeps huc illuc interpretatione ſua trahere poterit, atque ex eventu vel probare rem, vel improbare: proſpera agnoſcere, adverſa abnuere, prout libuerit atque conduxerit. Ut autem minus offenſæ pateat, petet Legatus, Anne in Auſa adeunda confidentem habeat amicum Princeps, quocum agendorum momenta partiri liceat?

Ambiguæ tamen Inſtructionis interdum uſus eſt, dum ſuper rebus magni momenti pacta ineuntur, vel mali res exempli atque facinoris jubetur. Nimirum ſi quid perperam atque inconſulto inceptum aut indultum eſſe poſt experientia docuerit; reſciſſio jure videbitur poſtulari, & in Legatum ſumma verti. Ita etiam, ſi quid alioqui immeritis & innoxiis imputabitur aut infligetur, id lata culpa meruiſſe videbuntur: nec culpa tamen; nam qui à voluntate disjunctus eſt error, facinus eſſe non poteſt. Hac etiam ratione, felix malignæ Legationis ſucceſſus ad omnes, infelix ad unum alterumque redundabit. Tam ſpecioſo machinamento illuduntur & illaqueantur interdum ii, quos vel averſa Principum voluntas, vel nimiæ ambitionis ſive auctoritatis ſuſpicio, vel Curialium æmulatio (ne quis coram gratia prævaleat) emanere & abeſſe compellit. Quid? peccare compellit Princeps ejuſmodi aliqua inſtru-

inſtructione atque adeo lege præſcripta, quæ neceſſarium errorem trahat. Ergo non ambiguus tantum, ſed arduus atque operoſus hic honor eſt; abſentes & incautos occupat, ut decipiat; evehit, ut deturbet. In cadentes autem tota mox fortuna ruit; miſeriſque primo quidem fama eripitur; aliquando etiam (ne quis altum clamet aut conqueratur) quidquid præterea ſupereſt. Sane hi tales, non tam Legati, quam relegati videntur. cujuſmodi apud Athenienſes fere Oſtraciſmus fuit, quo potentiores civium, ut ſupplicio carerent, in exilium mittebantur; aut potius extorres patria erant, ut pœnam invenirent. Sic & apud Romanos M. Cato per honorem turpiſſimum, imo, ut Cicero appellat, per honeſtiſſimam calamitatem, Cyprum eſt relegatus. Item à Tiberio Germanicus in Orientem, à Nerone Otho in Luſitaniam amotus eſt. Et Caligula dum Equitem quemdam, minus ſibi gratum, abeſſe vellet, honoris eum ſpecie ad Ptolomæum Regem in Mauritaniam cum codicillis abire voluit: quorum, ut Suetonius refert, exemplum erat: Ei quem iſtuc miſi, neque boni quidquam, neque mali feceris. Et tamen, ut ævi noſtri mores ſunt, ſic avide hic prenſant multi, quaſi vel ſolum cujuſcumque Legationis nomen, faciat ad beatitudinem. Sed nomen: non enim hic ſemper nanciſcendi

di favoris, aut promendæ dignitatis apertus campus, gloriæve aut gratiæ ſeges eſt. Sæpe qui flore decepti, ſpinas inveniunt; imo qui lumine decepti, illabuntur igni, aduruntur. Honor ipſe, niſi in maſculam virtutem, durare non poteſt: qua ſine, nemo ambiguæ Legationis ambagibus aut tricis par.

Dissert. IV.

Mandata.

Mandatum Principis ante oculos ſemper habeat, ut ſequatur, Legatus. Mandatum id voco, quod fieri Princeps vult, & ut fiat, præſcribit. Velle igitur & præſcribere Principem, credat Legatus, quod non impoſſibile aut abſurdum, ſed quod videbitur glorioſum, nec nimio difficile. Id enim, vel refractarium maxime, vel obſequentem faciet. Hæc Principum ars eſt, non ſcire tantum quid imperandum ſit, quomodo item, & cui; ſed id magis, qui impetrandum ſit, ut pareatur.

Mandatorum alia ſtricta ac definita ſunt, alia libera & abſoluta. Item alia manifeſta, alia occulta. Manifeſta ſunt, quæ ne ipſos quidem, quibuſcum agendum eſt, latere volumus. Horum exemplaria in communi Legationum regiſtro ſervantur. Occulta, quæ & ipſos latent qui exequi ea debent; vel,

vel, his quidem exceptis, ceteros omnes. Hæc non ſcribi, niſi in ſecreto volumine ſolent. Sciendum itaque, ultra id quod Inſtructionis littera ſonat, plerumq; latere aliquid ſecreti & ænigmatis, quod dicitur *Retentum Curiæ*. Antiochus Rex cum Legatum ad Romanos mitteret, manifeſtum ſuper pace mandatum dedit: occultum addidit, ut privatim Scipionis animus tentaretur. Jam vero ſtricta mandata ſunt, quibus certa Legato negotia jubentur, exequendi tantum forma vel libera, vel limitata. Liberam voco formam, quæ agendi modum agenti committit: limitatam, quæ verba ipſa ordinemque præſcribit. Ejuſmodi mandata non ſolum ſummo ſtudio curanda ſunt, ſed ne latum quidem unguem tranſilienda. Faciunt huc quæ in Platonis legibus extant: Si Legatus aut præco, ea quæ ſibi fuerint publice mandata, falſo nuntiaverit; vel falſam Legationem quovis modo obierit, ea tacendo quæ dicenda fuerant, vel aliter à ſe fictum retulerit, ſive aliter in Legatione prævaricatus ſit; adverſus hunc tamquam ſacrilegum agetur, quaſi Jovis mandata impie ac nefarie fuerit tranſgreſſus. Ad formulam igitur hic agere & loqui oportet, non aliud aut aliter, quam præſcripti ratio ferat. Alias videbitur Dominum negligere Legatus, vel ſe ſuamque prudentiam pluris facere, quam ejus

ejus qui, ubi ſemel mandavit, obſequium requiſivit, non conſilium. Ac niſi ſic decretis, mandatiſque inſit neceſſitas, ne ſapientia quidem, aut poteſtas adeſſe videbitur mandanti: quibus tamen maxime proſlvit conſtatque & auctoritas, & majeſtas. Adde, quod etiam errare contingat Legatum, inani quapiam ſpe aut opinione ductum, dum meliora eligere vel agere conatur. Circumſtantiæ enim facilè mutantur, ipſæ occaſiones ſe ſubducunt, & externorum ſenſuum judicium, quod plerumque ſequuntur homines, frequenter fallit, dum eorum organa vel vitiata ſunt, vel hallucinantur, aut obverſantur judicio rationis: ad cujus quidem normam res omnes perpendendæ eſſent; ſed minus obvia, latet. Et quot præterea falſi rumores, & impoſtorum technæ credulo imponant! Numquid gravis itaque culpa ſubeunda erit mandatorum corruptori aut violatori? Iam indicavi ex Platone. Profecto, quod Iudici leges, id Legato ejuſmodi ſtricta mandata: at illum (ſi æquus & bonus eſt) non de legibus, ſed ex legibus cenſuram & ſenten tiam ferre decet. Etſi autem unius vel alterius Principis manſuetudo ita tulerit, ut voluntatis ſuæ tranſgreſſionem utilitate ſubſecuta compenſatam æquiore animo tolerarit; ſic tamen plerique potentiores edocti & affecti ſunt, ut graviſſimum

ſui

ſui contemptum in contempto mandato poſitum arbitrentur. Id intelligi voluerunt Athenienſes, qui Legatos ſuos ex Arcadiâ reduces, ſperatæ rei ac laudis compotes, domum reverſos capitali lege damnaverunt, quod aliò quàm præſcriptum erat, iter inſtituiſſent, inſtructioniſquè paginam auſu temerario violaſſent. Nec immeritò redargutus fuit quidam ſuper gravibus rebus Legatus, quod terreſtre iter ingredi juſſus, mare tempeſtuoſum ſubiiſſet, vix

——— digitis à morte remotus
Quattuor. ———

Neque audita fuit excuſatio, quod una ſeipſum diſcrimini commiſiſſet; ſed magis arguit ſtoliditatem ejus, qui imperium Principis poſtpoſuit levitati ſuæ ac fortunæ. Interdum vero quod in militia olim obtinuit, hic quoque uſurpare placuit; & quia pluris diſciplina quam victoria æſtimata fuit, ipſa virtus ad ſupplicium venit. Cui non cognita Manlii Torquati, & Poſthumii Dictatoris ſeveritas? Uterque filium ſecuri feriri voluit, quod citra juſſum victor extitiſſet. Apud Spartanos adoleſcentis cujuſdam facinus præmium & pœnam ſimul promeruit. Quia enim feliciter in Thebanos pugnaſſet, corona ab Ephoris inſignitus eſt: quia injuſſus & ſine armis, mulctam mille drachmarum incurrit. Et ne è longinquo

cauſas arceſſamus; domi militiæque Status imperantium incertus, confuſus & infirmus ſit, ſi incertum obſequium & fides eorum qui mandatis parent. Antiquis ſi fidem hiſtoriis damus; iiſdem omnino verbis edendæ Legationes erant, quibus fuerant injunctæ, nulla omino poteſtate augendi, minuendi, mutandi. Atque ita dignius tutiuſque res geri videbatur, quia non voluntas ſolum, ſed verba ipſa perferrentur: idque beneficio ejus, cujus magis miniſterium quam ingenium, opera quam ſolertia requireretur. Homerus introducit Legatos eadem prorſus verba nuntiantes & renuntiantes, quæ ab iis audiverant à quibus abierant. Hæc cum ita ſe habeant; conſideret Orator, quam religioſum munus ſubeat. Nam licet à ſyllabarum contextu aut verborum ſono non dependeat (quorſum enim eloquentiæ, ingenii ac judicii uſus?) à ſenſu & mente mandati non deflectet; atque hoc erit, verba non violare. Sed quid ſi ſolemnis hæc formula Inſtructioni inſerta ſit; *Cetera prudentiæ ac fidei tuæ committimus*; an abſolutam ac generalem liberi mandati poteſtatem datam eſſe putabimus, ad ſummam rei pro arbitrio vel mutandam vel tollendam? Abſit. Innuitur tantum, ut cum omnes modi & occaſiones rei agendæ articulatim præſcribi nequeant; poſſit Legatus, ſi facilior ſe via aperiat, eam ſequi,

ſequi, qua præſcriptorum metam aſſequatur. Reſtringit enim ſe appendix ad antecedens, cui annectitur. Sic in privatorum quoque negotiis, generali mandato, rerum ac facultatum adminiſtratio mandatario datur: neque propterea agere ille poteſt omnia, quæ peculiare mandatum exigunt, ſive efficaciter obligandi, ſive vendendi, ſive alio modo contrahendi. Si tamen libera prorſus adminiſtratio data ſit, idque expreſſim procurationis litteris inſertum extet; tunc omnium quæ Dominus facere poſſet, mandatum plenum habere intelligitur procurator; ſeu negotiorum geſtor. Quando igitur (uti in rebus majoris momenti accidere ſolet) Legato tempus ſuppetit denuo conſilium & conſenſum à Domino ſuo petendi, petat. Ita enim fiet, ne quid credatur injuſſu Principis egiſſe. Simul manifeſtum evadet, qua reverentia & fide negotio ſuo invigilet. Alioqui ægre rem majoris conſequentiæ concludat. Si quid enim infeliciter ceſſerit, evitabit calumniam (cui omnes expoſiti qui præſunt aut eminent) quod ſuo conſilio & cerebro impegerit: ſi quid feliciter, non levior erit gratia; minor vero levitatis, arrogantiæ aut temeritatis ſuſpicio.

Cavendum tamen, ne dum nimis religioſi ſumus, elabi è manibus præſentem aliquam rei bene gerendæ occaſionem patiamur.

Facile pereunt momenta negotiorum, ſubducunt ſe occaſiones, nec omnes horæ aut dies omnibus conſiliis aut conatibus opportuni ſunt. Quid enim, ſi tempeſtive ſciri mens Principis non poſſet, nihil ſibi Legatus tribuet? Repræſentet Principem; ſed obſequium utile, conforme rebus ejus exprimat: ſic nunquam intempeſtivum. Quod ſciet ſe recte agere, audeat: hanc eſſe Principis mentem, proſpero ſucceſſu deprehendet. Etenim quemadmodum repentina conſilia in occaſione prudentia regit, fides roborat; ita neceſſitas excuſat, felicitas commendat. Sane ipſis in actionibus ſubinde emergunt & occurrunt quædam, quæ humanitus prævideri nequeunt, nedum præſcribi. Ideoque ubi omnis mora negotium peſſumdaret, aut damnoſa eſſet, capere præſtat conſilium, quam ex longinquo aut incerto petere. Fruſtra exſpectatur, quod non poteſt adeſſe niſi ſerum. Neque vero de nihilo gladiatorum verbum vetus eſt, quod docet, in arena conſilium capere, atque cum tempore ipſo deliberare. Quippe pro rebus novis novanda ſunt conſilia, & in ſubitaneis rapienda ſunt ſæpicule, non ruminanda. Frequentius etiam res ipſa actioni humanæ legem dat, quam actio rei. Equidem magnos ſcio Miniſtros, officii ſui fuiſſe admonitos, quod litteris potius Regiis morem geſſiſ-

ſent,

ſent, quam loci ac temporis circumſtantiis. Romanorum Legati miſſi in Græciam, Metelli tempore, ut controverſias, quibus Achæi & Lacedæmonii collidebantur, cognoſcerent; in itinere Græcam Legationem, quæ eadem de cauſa Romam mittebatur, obviam habuere. Quid agerent? quia progredi ſupervacuum videbatur, regreſſi ſunt. P. Scipio Africanus (& quis in mandatis rebuſque exequendis accuratior?) ne S. Cto. quidem, de pace cum Carthaginenſibus ineunda ad ſe perlato, obtemperare in animum induxit; dum abunde ei conſtaret, fictam & fallacem à Senatu pacem hoſtes petiiſſe, acrius mox bellum moturos.

Sed quæſieris, quod inveſtigatione dignum eſt; An Legatus, qui dicitur extraordinarius, & peculiare tantummodo mandatum accepit, miſcere ſe poſſit negotio ſibi non commiſſo, forte nec præmeditato? utpote ſi quid per externum Principem ejuſve Concilium, aut aliorum Legatos, agitetur, quod ad ſui Principis commodum ſive incommodum, decus ſive dedecus ſpectet? Libere: poteſt, imo debet, & tamquam ad hoc quoque miſſus ſit. Tantum enim abeſt, ut culpæ obnoxius videatur, ſi munus ſuum ampliet, tempeſtivo obſequio, auxilio, affectu; ut obnoxius, niſi ampliet. Procuratores, licet non ſpeciali rerum adminiſtrandarum

tradita poteſtate, domini tamen res meliores firmioreſque reddere poſſunt, non deteriores. Non ignorarunt id Athenienſium Legati, qui dum confectis jam negotiis Lacedæmone reverſuri eſſent, quia intelligebant hoſtilia & extrema adverſus Rempub. ſuam agitari per Legatos Peloponnenſium, nimirum ut Athenæ everterentur ſoloque æquarentur; ſubſtitere & egere quod in mandatis alioqui non habebant: & dolum in conſilio, dedecus periculumque in fœderis ruptione oſtendunt; nec id ullius tranquillitatis aut ſecuritatis fundamentum fore. Flaminius, devicto Antiocho, fugientem Annibalem veneno enecaſſe dicitur, dum longe diverſa ad Pruſiam negotia dirigeret. Sic & alii aliis de rebus emiſſi, quædam religioſe nec cunctanter peregere, quæ Reipub. & Principi ſuo placitura ac profutura prænorant. Imo Principes, diffiſi iis quorum opera interponenda eſt, optant ſubinde quædam perpetrari, quæ tamen jubere verentur; quæ ſcilicet ſolus ſucceſſus honeſta faciat. Sextus Pompeius cum Antonium atque Octavium percuſſis fœderibus in triremibus cœnaturos accepiſſet, & a Menodoro claſſis præfecto clam admoneretur, ut utrumque captivum faceret: hac enim ratione & paternam necem ulciſci, & imperium eo glorioſius citra civicum ſanguinem ac tumultum ſibi aſſe-

rere

rere poſſe : ita quoque proſpectum à ſe navibus , ut neuter evadere in continentem queat , ſi funis amputaretur. Debueras , inquit Pompeius , ſic facere , non dicere. Et ſcias Menodore , ſimile quid licere cui peierare fas (fuerat quippe ſervilis conditionis Menodorus) liberis autem Pompeii , illius Magni, id non licere.

Sed videat Princeps , ne ſuper eodem negotio diverſa mandet diverſis, qui in contraria ac diſſenſiones neceſſario illabantur , aut certe animo hæreant quid omnino ſit agendum. Anno 1601. dum bellum arderet inter Gallum & Sabaudum , placuit utrique Principum , ut Pontifex , ceu æquus arbiter , per Legatum Cardinalem , ſtatueret jura & conditiones ineundæ pacis : id enim ratum fore quidquid ille ſtatueret. Hinc Dux Sabaudiæ Legato ſuo ſcribit , ut libere ſignet quidquid Delectus iſte decerneret : moxque reſcribit, ne ſignet. Quid igitur hic faceret, dum concordiæ conditiones ſignandæ , per Pontificium proponerentur ? Opponit , ſibi novam legem à Duce præſcriptam : Cardinalis autem , ſibi jam ſancte tributam auctoritatem dirimendi omnem controverſiam. Itaque Sabaudiæ Legatus conſuluit Legatum Regis Catholici, Ducis partibus faventem & auxiliantem : qui dum animadvertit , utile fore ſuis id quod propoſitum & con-

cluſum erat; ſuadet ne ulla in ſubſignatione fiat remora aut difficultas. Paruit ille Sabaudiæ: ea tamen conditione (quam probabat Cardinalis) ut Duci toto menſe integrum eſſet probare vel recuſare hæc pacta; quæ tamen vim legis & pacis retinuerunt.

Liberis & abſolutis mandatis plus ineſt auctoritatis, quam imperii: accipiunturque ut immutabilia, cum ſpectatur Principis juſſus & reverentia ſcopuſque rei; aſt vero ut mutabilia, cum occaſiones, cum circumſtantiæ, & neceſſitas, ejuſque clavi quibus figuntur humana. Atque hæc plenariam poteſtatem negotii expediendi, Legatorum dexteritati, fidei ac felicitati committunt in hiſce rebus, quarum electio aut moderatio certa haberi nequit: aut quæ propemodum jam deſperatæ ac depoſitæ ſunt, imo ex tempore ſumi & regi debent. Nimirum ſunt quædam in rebus mortalium, quæ prorſus conſtitui aut curari negant, niſi coram inſpiciantur, & inſpecta dirigantur juxta circumſtantias & conſilia ex rebus naſcentia, non ex relatu aut præmonitione. Sic experti Medici, niſi ægrum ipſi accedant, venam tentent, non ita lubenter nec recte ſuper ægritudine aut convaleſcentia quidquam decernunt; licet prius, quam male aut bene habeat ille, ab aliis didicerint. Aliquid interdum adverſarii vultus, aliquid manus

mota,

mota, aliquid corporis geſtus, rerumque inexſpectata varietas indicat, imo intuentem movet, monetque, quid ſit agendum. Dum fortuna negotii, induſtriæ curantis credita eſt, conſilium pro mandato, fides pro formula eſt. Sic de Carolo Audace accepimus, dediſſe ſuis ad Ludovicum Galliæ Regem Legatis, mandatorum loco, chartam vacuam, ſubſcriptam ſolo nomine Caroli: nimirum ut quidquid illi pro foro præſenti atque è re Principis fore intelligerent, libere agerent admitterentque, veluti ſi ſpeciale mandatum accepiſſent. Libero pariter mandato Phaneas & Democles ab Ætholis Romam miſſi ſunt, ut quodcumque pro pace, atque è re Ætholorum & fide ſua eſſe cenſerent, agerent.

Legatis itaque non ſolum libera mandata traduntur, ſed præterea folia quædam alba ſeu vacua, in quorum ima parte, ſolum nomen Principis, qui ea dedit; continetur: ut ſuper iiſdem epiſtolæ, promiſſa, pacta, apochæ aut ſyngraphæ ſcribi poſſint, prout neceſſitas aut res quæ prævideri nequierit, ſuaſerit. Traditur quoque ſigillum, ut ſic itinerum pericula & moram uſus prævertat. Plerumque dum indefinitas ac nudas ejuſmodi ſubſignationes Legatus accipit, peculiari apocha fatetur, vel publico codici inſcribit, ſe eas accepiſſe. dumque jam iis uſus eſt,

mittit copiam Principi eorum quæ ſuperſcripta ſunt: ſimul etiam procurat, id annotetur in ſchedula qua ſe eas accepiſſe confeſſus eſt: ut dum in patriam reverſus fuerit, & ſuperflua forte folia reſtituerit, ab obligatione liberetur. Quod ſi autem litteræ inſtructionis, vel liberarum ejuſmodi ſubſcriptionum tabellæ, quapiam pluvia, vel attritione aut excuſabili infortunio ita deformes aut laceræ extiterint, ut eaſdem reſcribi neceſſe ſit; tum petit ſibi per Secretarios aut Graphiarios Curiæ id fieri. Qua in re nulla difficultas occurrit, præſertim ſi Legatus priores ſic maculatas aut corruptas remiſerit, aut ſi remittere quidem per tabellarios minus tutum ſit, polliceatur ſeſe eaſdem ubi redierit reſtituturum. Quod ſi autem illæ latrocinio, incendio, ſubmerſione vel caſu prorſus perierint; Principi id ita manifeſtat, ut ipſo eventu magis quam quæſito prætextu extra culpam ponatur, nec plus quam incuriæ ſuſpectus fiat. Sed quo laxiora ac liberiora & abſolutiora dantur mandata, eo ſe vir cordatus arctius adſtrictum exiſtimat, ut ſumma induſtria ſectari obſequium videatur. Ejuſmodi enim mandata eam includunt interpretationem, ut qui mandavit, non aliter quam ſi pro pudore & fide (volunt aliqui, pro uſu & commodo) res agantur, mandaſſe ac ſenſiſſe intelligatur. Sic M. Clodium, quod

libero

libero mandato Legationis accepto, turpem cum hoſtibus pepegiſſet pacem, iiſdem S.P.Q. Romanus dedendum judicavit; & ſi remitteretur, in carcere necandum. Qui itaque præſcriptis certiſque mandatorum regulis adſtringitur, ſi nil tranſgrediatur, extra culpam ſe conſtituit. Aſt qui, quod optimum factu eſt, ſe electurum & acturum ſuſcepit, & ſic pollicetur (quamvis id maxime honorificum & optabile videri poſſit) multiplici tamen cenſuræ objicitur, dum etiam bene conſulta peſſime contingit intelligi: magis etiam exponitur fortunæ, quæ humana non ſemper manu dirigitur aut conſtat. Breviter; Utilitas Principis ſuprema hic lex eſto, cujus non imperium tantum, ſed ingenium quoque reſpiciendum eſt. Volunt denique Iuriſperiti, mandatis ejuſmodi generalibus ea non cenſeri comprehenſa, quæ mandans particulatim prævidere aut cogitare non potuerit.

Si quando Princeps Legatis remotis quidpiam imperat, quod quidem reipſa tam nocivum rebus ſuis ſit, quam utile arbitrabatur; Legatus priuſquam exequatur, Principem difficultatum ac ſanioris ſententiæ certiorem reddere debet: qui, hiſce intellectis, ſi nihilominus juſſerit & inſtiterit mandatis parere, pareat. Alioqui quia rebus incognitis & longe diſſitis mutatio caſuſve inopi-

nato obvenire poteſt; . conſueverunt quidam, primo, ſecundo & tertio idem jubere: ut ſi ita expedierit, primo ſtatim nuntio exequatur Legatus; ſin vero quid obſit, reſcribendi tempus habeat, priuſquam ultimo mandato neceſſum ſit obedire.

DISSERT. V.

Quædam non ſcripta.

PRinceps in tradendis Legato mandatis, haud facile ſcripto ſignabit; quod fraude productum, caſu amiſſum, vel vi inſidiiſve interceptum, negari nequeat, urgeri queat. Quæ dolum malum includunt, atque alioqui turpia aut iniqua ſunt, quoniam ſine ſcelere perfici aut exiſtere nequeunt, ne ſcribi quidem ſine rubore poſſunt. Magnæ igitur ſequelæ arcana auribus credantur potius, quam tabellis. Fit autem, ut in colloquio ſive ſermone, animi motus rationem præcurrat, ac lingua mentem: & veniam meretur non præmeditata oratio, ſcripta autem, fidem velut poſcit. Quidquid litteris, fideliſſimis rerum indicibus ac cuſtodibus, præſenti quis animo ac deliberato mandavit; ſenſiſſe, ſtatuiſſe, confirmaſſe credendus eſt: fruſtra affectus; fruſtra impetus excuſationem aut velum quærat. Magnam profecto ſcripturæ haberi rationem omnes

omnes ſciunt : cum quidquid manu ſignatur, teſtimonii & confeſſionis pondus habeat. Quæ inter alias cauſa eſt, cur ſubditorum preces & querelæ conceptis libellis deponi ſoleant, non ſola voce. Sic qui liquidas in contractibus rationes ſectantur, non nuda fide, ſed ſyngrapha agunt. Perſeus, ut eſt apud Plutarchum, cum mutuo pecuniam amico daret, ſolemni formula & in foro cautum ſibi voluit. Hanc diligentiam ille admiratus: Adeone legaliter Perſeu? Reſpondit Perſeus: Scilicet ut amanter recipiam, nec legaliter repoſcam. Sic mutuam noto quaſi ignotus dedit, ne ab ignoto notus repeteret. Inveniuntur verecunduli & incurii, quos pudet tædetve initio cavere ne fallantur; cum poſtea cogantur, vel ſuo carere, vel cum improbo ac ingrato legibus experiri. Hos monet Heſiodus:

Et fratri teſtem ridens adhibere memento.

Occaſione enim duntaxat opus eſt improbitati. Sed quod ad Principem attinet, ſive quid mandet, ſive per Legatum ſeſe obliget, difficilem ad ſcribendum manum extendet, difficiliorem ad ſubſcribendum. Neque enim ſcripſiſſe dicitur is qui non ſubſcribit. Unde Tiberius, cum à Rhodiis epiſtolium publicum ſine ſubſcriptione recepiſſet, remiſit, ut ſubſcriberetur. Diſcrimen vero eſt, quid mandetur. Si honeſtum, ſcribi poteſt:

ſi utile tantum, non poteſt; aut certe occultis litterarum notis utendum eſt, quæ pro interpretantis notitia mandatum evoluant. Ipſe etiam Legatus, quæ Principis ſui cauſa aget, ſermone potius quam ſcripto aget: ſed quæ promittuntur, bona curabit gratia & occaſione, ut ſcripto protinus comprehendantur. Scriptura enim promiſſorum firmabit fidem, ſi facilis erit; ſi difficilis, fraudem diffidentiamve indicabit vel aperiet. Si quæ pudori aut juſtitiæ adverſari videbuntur, vel acerba & minantia, ægre exponere Legatus aggrediatur, niſi ſcriptum ſignatumque mandatum habeat. Sic munitus, quia non tam ſuo ore, quam pectore Principis loqui videbitur, majeſtatis pondus orationi adjiciet, odium demet ſibi. Si quem Legatus conſcium voluerit negotii, quod præſtet cuſtodiri & legi, quam ſolum audiri, vel quod alioqui pudore coràm eloqui non deceat; ſcripto efficiat: quod chartæ impreſſum, non ſic evaneſcit, nec erubeſcit. Sic quoque Principes, dum ea reſpondere aut declarare cupiunt, quæ Majeſtas aut quiſpiam reſpectus prohibet coram proferri, deſtinata Legatione id faciunt, aut epiſtola.

DIS-

DISSERT. VI.

Fidei & Auctoritatis teſſera.

FRuſtra vero mandata, niſi fide & auctoritate roborentur; fruſtra, niſi hanc utramque apud Principem Legatus inveniat, ad quem miſſus eſt. Inveniet litteris illis à credendo nuncupatis; quaſi tum demum cum cognito, & ſine ſuſpicione ſiniſtri, agi omnia queant. Hoc etiam ritu jus olim hoſpitii conſtitutum aut negatum eſt; ut amicum contubernium, convictumque & fidem peregre non inveniret, qui ſine hoſpitali teſſera veniret. Sic Hanno ille Plautinus:

Deum hoſpitalem ac teſſeram mecum fero.

Poſſis & hanc Legationis Teſſeram appellare, qua fidem noſtram Legato tribuimus; ut, quæ egerit admiſeritque, præſtitiſſe videatur commodo & periculo noſtro. Etſi autem ea quæ communi jure probantur, non ſolum inſtrumentis, ſed teſtium quoque confirmatione fidem accipiunt: mandatorum tamen nulla penes Legatos ſine hac fidei teſſera, ſine his litteris, auctoritas eſt; quamvis caſu fortaſſis, vel injuria amiſſæ, vel vi aut fraude fuiſſent ereptæ. Procuratorem rerum agendarum videamus: niſi mandatum exhibeat, nullo fulcro aut jure aget, ac ne procurator quidem erit. Litterarum tamen non

una

una formula aut diſtinctio : aliis admitti & audiri Legatum ſuum Princeps cupit : aliis eum etiam laudat & commendat : aliis omnium quæ agentur in ſe fidem periculumque ſuſcipit : aliis alia inerit formula, ſenſu ac ſermone diſtincta. Diſcrimen vero inter fidei litteras & mandatum ſeu decretum eſt. Hoc enim poteſtatem jure contrahendi continet, ac mittentem obligat : illæ, quia fidem dumtaxat Legati concernunt, munus ipſum juri obnoxium reddunt. Commendationem quis obligationem dixerit ? Sed fidei teſſera quædam quaſi commendatio eſt, ut ſciat à Principe venire Legatum Princeps, & dignum eſſe fide qui ſic venit. Itaque traduntur hæ litteræ, non ſolum ut credatur ei qui mittitur ; ſed præterea ut obligetur qui mittit, imo qui admittit. Sane qui mittit, fidem ſuam obſtringit, ratum apud ſe fore, quidquid Legatus egerit. Qui admittit, data fide pariter cogitur jus Legationum ſemper ſalvum præſtare, in colloquium atque tractationem negotiorum eum admittere qui cum fide venit.

Aſt pone, ſine hac teſſera Legationem non ceſſare. Aſſero: Fructus ejus impeditur, quia quæ dicuntur & aguntur, ſuſpecta ſunt. Amplius : Poſſit juſtam pactorum auctoritatem ſubterfugere, qui Legatum quidem dimiſerit, ſed ſine hac teſſera. Ideoque incum-

cumbit quodammodo Principi urgere eam, niſi ſponte præbeatur; tum ubi exhibita fuerit, diligenter inſpicere & expendere, ne quid fortaſſis impoſturæ ſubſit. Alioqui contingat forſan admitti illum, qui ne quidem ab eo, cujus mandatum, nomen, fidemque, litteras & ſigillum mentiretur, notus aut miſſus ſit, ſed ab alio quopiam, cujus inprimis intereſſet, tragœdiam ſuam tali larva ac ſtratagemate inſtrui; tempore potiſſimum belli, cujus interdum anceps alea momento temporis voluitur: dum ambitionis aut vindictæ vix videtur Principibus ſcripta aut ſervata lex. Idcirco Clemens VII. ſiniſtram opinionem, quam de Florentinorum Republica conceperat, auxit, quia Franciſcus Portanarius inde ſine ullis Fidei litteris veniſſet. Quid? etiam dona in ſignum affectus & obſequii miſſa, non admiſſa fuere, quod is qui ea adferret, liberalitatem exponeret quaſi ſuam: ſine litteris, inquam, quæ velut arrhæ ſunt, auctorem, cauſam, gratiam doni indicant, fraudem dolumque amovent. Inter negotia igitur, primum iſtud fidei eſt: & ut hanc ſibi Legatus vindicet, à litteris ordietur. Verum enimvero, ſi vel moriatur Princeps, vel Legationem revocet, fides ipſa extinguitur, & litteræ tamquam caſſæ & exanimes ſunt. Et qui non caſus rebus humanis interveniunt! Laudem profecto

ille:

ille meruit, qui pluris putavit ipſo Legati munere deſtitui, quam fidem non invenire. Etenim in itinere, quia obiiſſe Principem ſuum intellexit, ſubſtitit, & quaſi reverſurus, & tamquam Legatus jam non eſſet, novas litteras ac nova mandata ab Principe ſucceſſore petiit; ſed tamquam eſſet, exſpectavit, ſic quidem progreſſurus. Similiter contingat, fidei litteras non eſſe exhibendas, mandata non eſſe enuntianda, mortuo interim Principe ad quem iter ſuſceptum erat. Nec enim tum conjugi, vel ulli heredum aut miniſtrorum, Legatio exponi poteſt, inconſulto eo qui miſit. Quippe mirum in modum aulæ & ſtudia Principum mutantur ea, quæ omnia immutat, morte. Attamen ſi Legatio Regnum potius concernere videatur, quam Regnantem; tum eam exponi & perfici volunt nonnulli, & excipi ab eo qui in locum defuncti Principis ſucceſſerit. Sic Alexander Legatos Perſicos, dum peregre abeſſet ejus parens Philippus, magnifice & hoſpitaliter excepit. Legatio Romana, cum miſſa ad Agronem Regem Iſſæ, eum mortuum inveniſſet, à filio herede Regni, & à noverca, cui regimen incumbebat, admiſſa eſt; quamvis deinde violata. Sic quoque Iulianus, adepto Principatu, Legationes omnes promiſcue audivit; quæ tamen non ad ipſum, ſed ad Conſtantem deſtinatæ erant. Deni-

que

que Legati qui ab Leone Imperatore ad Carolum Magnum venerant, illo mortuo, ab Ludovico filio ejus excepti & auditi ſunt.

DISSERT. VII.

Legatio libera.

Legatio ſine mandatis Libera olim vocata fuit: quod ab urbe abeſſe ei liceret, ubi, quamdiu, & quomodo vellet libere agere, qui hoc honore atque beneficio auctus eſſet; partim voti ſoluendi cauſa, partim periculi vitandi, partim negotiorum. A voto Votiva Legatio dicebatur, ad loca ſacra & ſana adeunda: atque hæc quoque, ut Cicero ad Atticum ſcribit, honorata, ut pia erat. Periculi vitandi exemplum in Scipione Naſica. Huic enim cum ob mortem Tiberii Gracchi plebs infeſta eſſet, judiciumque publicum moliretur, Libera Legatio in Aſiam decreta. Item in P.Lentulo: qui invidia & obtrectatione compulſus, Legatione Libera in Siciliam profectus eſt, ubi quod reliquum erat vitæ tranſegit. Negotiis vero tantæ dignitatis nomen conceſſum eſſe, mirum, cum res quiſque privatas honoris hac umbella curaret. Unde graviter Ulpianus Juriſconſultus cenſet, eum qui libera Legatione abeſt, non videri Reipublicæ cauſa abeſſe; non enim publici commodi

modi ergo, ſed ſui. Severe item Cicero, & de hominibus ejuſmodi, & de re ipſa. De hominibus quidem; nihil eſſe turpius, quam legari quemquam, niſi Reipublicæ cauſa. De rè pariter; nihil eſſe abſurdius, quam ſine procuratione Senatorem, Legatum ſine mandatis, ſine ullo Reipub. munere. Liberæ itaque Legationes erant, quæ à Senatu impetrabantur, privatæ magis gratiæ, quam publicæ neceſſitati tributæ: ſicut & hodie ſubinde tituli magiſtratuſque honorarii per Principes, honeſtamenti ergo, & citra ullam functionem, conceduntur. Faciebat tamen ad magnitudinem quoque Romanam, ut ſi quis civium illuſtriorum ex urbe Domina ad negotia ſua iret, Legatus videretur, conſpicuus inſigniis ſanctitatis & majeſtatis. Sed hujus rei vix imago eſt hodie: niſi enim publica negotia ſint, niſi à Principe vel Repub. mandata, Legatus non mittitur: majorque hic honor, quam ut privato ſtudio prætexatur, profanetur.

DISSERT. VIII.

Legatus qui decipiet, decipiendus.

ET illæ quidem in mandatis partes Oratoris erunt. Aliæ etiam ſunt Principis. Nimirum, ut quandoque in rebus periculoſiſſimis, Legato viam & modum adſco-

pum,

pum, at non quo collineentur conſilia, indicet: utetur tum eo velut inſtrumento: imo eum fallet, per quem fallere alium cogitat.

Legatus ſic hallucinans, interdum etiam deceptus, facilius imponet externo Principi, minus ſuo: meliuſque exequetur mandata, ſi quo vergant, quo fonte promanent, non penetraverit. Fiet, neque raro, ut præoccupetur, vel præpediatur propoſitum culpa adminiſtri, ſi is mole periculove deterritus, vel nolit, vel non audeat exequi; idque, vel ſuæ vel alterius utilitati intentus. Prorſus qui minus intelligit periculum, animoſius ſuſcipiet negotium: integrior quoque atque obſervantior adminiſtrabit, qui laudem è non difficili eventu ſperat.

Interdum Legato non quidem imponitur, arcanum tamen celatur. Videlicet cum litteræ, quibus rerum agendarum forma continetur, vel tum demum mittuntur, vel certe tum demum aperiri atque inſpici jubentur. cum prius aut aliquid peractum, aut cum eo loci temporiſque perventum, ubi exequenda ſunt mandata. Himilco dux Pœnorum hoc ſtratagemate uſus eſt; qui, ſcribente Frontino, ut in Siciliam inopinatus claſſe appelleret, non pronuntiavit quo navigaret, ſed tabellas in quibus ſcriptum erat quam partem peti vellet, univerſis gubernatoribus dedit ſignatas, præcepitque ne quis

quis legeret, niſi vi tempeſtatis à curſu prætoriæ navis abductus eſſet. C. item Marius Conſul bello Cimbrico & Teutonico, ad explorandam Gallorum & Ligurum fidem, litteras eis miſit, quarum pars prior præcipiebat, ne interiores, quæ præſignatæ erant, ante tempus certum aperirentur. Eaſdem poſtea ante præſtitutum diem repetiit, & quia reſignatas repererat, intellexit hoſtilia agitari. Pulchre & prudenter (ut hoc quoque commemorem) ille non minus ſagax, quam fortis & felix exercitus Belgici dux Ambroſius Spinola. Nam rebus in Germania turbatis, cum Rhenum verſus Regias copias duceret; adhæſit veſtigiis Legatus Britannicus, ſciſcitatuſque eſt, quo tantæ moles expeditionis dirigeretur. Reſpondit, ſe id neſcire, neque ſcire poſſe priuſquam in campis Wormatienſibus delectum militum egiſſet: nam tum demum litteras Regis reſerandas. Aſtum Legatus animadvertere, non divertere potuit. Ubi enim etiam tempus iſtud, quo delectus habitus, effluxiſſet; audivit ille, non jam opus eſſe indicare quo aut qua milites pergerent, cum ipſa itinera bellico motu referta id manifeſtarent: eoſdem ſi quis ſequeretur, non ſolum itineris, ſed etiam ſcopi atque eventus conſcium fore. Hæ Principum artes ſunt, ſed in rebus gravioti-

vioribus, tam laudi & gloriæ, quam prudentiæ & neceſſitati congruentes: Tegere conſiliorum finem, conjecturamque hominum curioſorum velut per ambages ducere, abducere, recta & adornata quadam ſcena. Aliud loqui, tentare, incipere; aliud ſentire, ſtatuere, agere: ut tum maxime deſtinata, omnium votis omittantur, vel perficiantur ſummo applauſu. Legati quoque non adeo intererit ſcire, quid Princeps promat, quid premat: ſed hoc magis, quid dictum factumque velit; quid dici fierique. Sæpe quæ intelliguntur, inverti vel negligi ſolent. Ideoque neminem, quo negotia ac deſtinata vergant, conſcium faciet; ni ſimul eorumdem præſidem, ſuique Dominum, conſtituere velit. Nimia fiducia ſervituti obnoxia eſt: & qui nimium patet, ſuus eſſe non poteſt.

Ille timendus erit ſemper, ſemperque colendus,
Quem ſcis ſcire tuas omnes maculaſque notaſque.

Timendus, qui cœpta aut conſulta cum damno & probro divulgare poteſt.

Charus erit verri, qui Verrem tempore quovis
Accuſare poteſt.

Quare nec Legatus ipſe arcanorum ſemper conſors aut particeps erit. tabellarius epiſtolia quidem defert; quid velint, ignorat. Sic aſtu tectoque conſilio Philippus Macedo aggreſſus eſt Athenienſes: quos ut decipe-

N ret,

ret, prius Legatos à ſe miſſos decepit. Nam cum prætextu quodam indefinitæ libertatis, magnam Græciæ partem occupaſſet; Athenas obſidens, per Legatos credulos, ſeipſoſque pro ſtipulatu vinculis offerentes, vota ſua & conatus Athenienſibus callide aperuit. Nimirum decem ſe dumtaxat eorum civibus infenſum eſſe: ut qui contumeliis ſe inceſſerent, nulla injuria provocati. Proinde ſi pauculos illos dederent, & urbem & univerſam multitudinem liberandam: quin etiam libertatis eorum ſtudioſum ſe, & defenſorem fore. Poſcebat inprimis Demoſthenem, novem itidem oratores diſertiſſimos, quorum apud eos auctoritatem & ſermonem ſciebat plurimum valere. Nutabant omnium ſententiæ & voluntates; ſuumque periculum alieno damno depellere ſtatuentes, paucorum infortunium totius populi incolumitati, patriæ libertati poſtponebant. Actum erat, niſi eorum Princeps Demoſthenes lepido apologo Ulyſſeas artes detexiſſet. Lupus, inquit, paſtoris olim curam & diligentiam eludere cupiens, perſuaſit ei, ut canes, diſcordiæ cauſas, ſibique inviſos, traderet. Ceterum ſe hac lege ejus fidem & familiaritatem ambire: ſic oves boveſque (animal ſine fraude doloque) atque univerſa pecora campi, ſemper indemnia & ſecura fore. Audiit

diit paſtor: & neſcius fœdera tantiſper valere & firma eſſe, quamdiu jurisjurandi religionem utilitatis ratio confirmat; fidos gregis excubitores canes lupo tradidit: quibus abreptis, ſemota ille formidine & cuſtodia, omne pecus, paſtoremque ipſum pro ſatietate & libidine invaſit & abſumpſit. Ita nunc, viri Athenienſes, Philippus in eo uno vota omnia conjunxit, ut eos tollat, qui funeſtas machinationes ejus ſubdolamque vafritiem patefaciunt, urbemque veſtram voce & pro viribus tuentur. Opprimere gregem non poteſt, niſi vigiles canes removeat: per ſtragem cuſtodum civibus omnibus perniciem molitur. Hac fabella periculum depulſum eſt: faciliuſque falli Legati, quam hoſtes potuerunt.

Potuerunt, inquam, falli Legati: qui profecto, ut doctrinam hanc invertamus, ſemper fallendi non ſunt; minime vero, ſi fallere ipſi non debeant. Quid enim, ſi tales ſint, quibus negotii gravitas committi recte ac credi poſſit? Sciant ſe fallere, ut, ſi opus, fallere facilius poſſint: imo norint viam quæ calcanda eſt, ne in errorem iter convertatur. Nemo, quod non intelligit negotium, certo exequetur: non intelligit autem, qui fallitur. Quid ſi etiam ex improviſo quid incidat, de quo ſubito ſtatui debet, & ab eo qui fallitur; nonne male ſtatuetur? Eadem

tuba receptui pro claſſico canit nonnumquam tubicen, niſi præmoneatur, vel ſi ſurdaſter fuerit. Nec pauca occurrere poſſint inſtrumenta mediaque apta quidem, ſed indifferentia tam adverſariorum voto, quam noſtro. Caſu potius, quam conſilio navigabis, lævam agnoſces aut eliges pro dextera, ſi quo curſum dirigas, ignores: ſi non minus clavus, vela, remi peccent, quam venti; induſtria, quam fortuna. Fortuna cæca eſt: cæcus & ille, ac velut inſtrumentum ſcilicet inanime, cui Princeps oculos claudit, cui imponit negotium, nec fidit. Periculoſum, ſi intentio Legati & Principis diſcrepent: ut multa intervenire poſſunt, quæ mille modis fallant, noceantque. Sed quorum eſt certa expreſſaque forma, etiam certa indubitataque expeditio eſſe poſſit. Quapropter, niſi gravior cauſa aut neceſſitas coëgerit, arcana omnia Legationis, rerum pondera atque momenta Legato Princeps diſerte atque diſtincte aperiet. Noſcat ſubeundum onus qui laturus eſt, ne fortaſſis facilitate negotii illectus, eam deinde difficultatem experiatur, cui, cum non fuerit ſuperando aut ſuſtinendo, neceſſum ſuccumbat. Ne, inquam, unius manus, alterius menti obverſetur; ne quid etiam occaſionis, auctoritatis atque exiſtimationis, vel fiduciæ Legato pereat, nihil temere celandum, eoque ipſo intuitu ne nuntium

tium aut epiſtolium quidem ullum externo Principi alterive deferri ſolet, niſi ſingulorum conſcio & adminiſtro Legato.

DISSERT. IX.

Vnuſne mittetur, an plures?

ET quidem ad cujuſque Principis ſtatum & fortunam, Legatorum quoque conditio exigenda eſt. Sed unumne an plures ſimul mittere ſuper eodem negotio expediat, vetus controverſia eſt, & adhuc ſub judice. Plures ſuadet ipſum operoſæ provinciæ momentum, ne unius prudentiæ univerſa Reipublicæ fortuna incumbat. Legatio, quæ multorum inſtar negotiorum eſt, unum aliquem obruat, multos occupet ac honeſtet: pluresque oculi, ut vulgo fertur, plus vident penetrantque quam unus. Tum omnis ſententia, ut docet Plato, certius ponderatur, citiuſque ad exitum perducitur à pluribus: nimirum qui voto ac voluntate, ingenio ac judicio conſpirant, tamquam geminentur; plus ſapiunt, ubi deliberandum eſt; amplius præſtant, ubi agendum. Fitque ut quod ab uno artificum inventum aut inceptum eſt, alioqui rude ac truncum, ab alio expoliatur, abſolvatur. Deinde minus in ſiniſtram opinionem cadunt duo, quam unus. Negant Arithmetici, in uno numerum eſſe:

dicunt Politici, Legationi ineſſe numerum & concentum; qui ipſus non niſi è pluribus & diſtinctis ſonis. Numero quoque ineſſe videtur non parum ſplendoris ac magnificentiæ; fortaſſe etiam firmitatis, præſertim cum majoris eſt ponderis negotium, quam unius humeris ſuſtineri valeat: utpote cum percutiuntur fœdera, aliaque Regni publica pacta ſanciuntur. Hinc Rex Latinus, apud Virgilium,

—— qui dicta ferant, ac fœdera firment,
Centum Oratores, prima de gente, Latinos
Ire jubet, paciſque manu prætendere ramos.

Antiocho ſuperato, ait Polybius, Senatus decem viros è primoribus legit, & in Græciam miſit, ut de communi ſententia res Græciæ componerent.

Olim quidem ſic gregatim mitti Legati ſolent, quaſi ipſum munus paucitate enervaretur. Hinc etiam Tigranes Rex, cum aliquando Luculli exercitum procul conſpiceret, tamquam paruum ridens, Iſti, inquit, haud dubiè Legati ſunt. Fuerunt ideo, qui in negotiis non ita gravibus, indignarentur, & velut in opprobrium ducerent, non multos ſimul ad ſe Oratores & magnificè mitti. Sic cum à Lacedæmoniis ad Demetrium unus tantum Legatus adveniſſet; Rex contemptum ratus, Quid, inquit, Unuſne ad me? Scilicet, reſpondit Spartanus, unus ad

ad unum. Quo quidem Laconiſmo parem ſe Regi fecit. Putes quoque ſuperfluos ſumptus quæſitaſque moleſtias ſalubriter taxatas eſſe, quibus ſe Principes per Legatos involuunt; cum Reipub. negotia per unicum feliciore ac faciliore ſucceſſu, & minori impendio ac impedimento conficiantur. Ita enim videmus ſæpe rebus conſiliiſque obeſſe numerum; ſæpiuſque quæ commiſſa ſunt pluribus, à pluribus negligi: ſive inertia, dum in mutuos humeros onus rejiciunt; ſive pertinacia, dum arbitriis atque ambitionis aculeis colliduntur: nimirum cum æmulis concertationibus, non quid ex vero bonoque, ſed quid ad ſubvertendam adverſarii ſententiam opportunum ſit, diſquiritur. Sic plures interdum Medici ſuper ægri valetudine, oſtentationis cauſa, decertant magis, quam decernant quæ ſaluti opitulentur. In Legatione autem, tritum illud profecto verum eſt: Quot capita, tot ſententiæ. quarum apud plures, ubi non niſi numerantur, vicerit ſæpe pars major meliorem. Adde, quod ſi quis è multis deliquerit, difficilius erit animadvertere; aliis in alios culpam conjicientibus. Si quid autem univerſa Legatione laudem mereatur, quiſque ſuo ingenio conſilioque tribuendum affirmabit: ſi quid inauſpicato convulſum aut labefactum ſit; quaſi nullo parente monſtrum prodiiſſet,

quiſque mali depulſor, non auctor fuerit. Hoc ſcilicet monitore ſecus omnia eveniſſent: auditus non fuit. Viſum fuit aliquando, duos Legatos ab eodem Principe & ad eumdem miſſos, non modo non eadem, ſed ne ſimilia quidem renuntiaſſe, ſive ipſa negotia ſpectarentur, ſive eorumdem circumſtantiæ, ſive excipiendi agendive in Legatione modus aut honor. Talis quoque contentio inter Liberium & Opilionem Legatos ad Amalaſuentam fuit, cum ille cædem Reginæ, uti evenerat, referret; hic vero culpam atrociſſimi ſceleris ab Theodahato amovere niteretur. Adde, quod pluribus commiſſum eſt, ab omnibus, non à ſingulis exequi debere: prout nimirum teſſera fidei ac mandatorum præſcripſerit. Plerumque tamen omnes, negotiorum litteris ſimul vacare & ſubſcribere debent: quamvis peculiare epiſtolium annectere non vetantur. Sed tanta agitatione, contingat moveri quidem negotium, non promoveri; more illius animalculi, quod ob pedum multitudinem, centipedam nuncupant, reptilium tamen omnium tardiſſimum eſſe tradunt. Proverbium ſane, imo veriverbium ſtatue, quod quæ multos tangunt, paucos angunt. etiam iſtud; Rem cummunem ſine communione animorum numquam recte adminiſtrari. A Maguo Sophi Rege Perſarum

rum nuper ad Pontificem Clemen em VIII. ceteroſque Principes Chriſtianos miſſus fuit Legatus Antonius Scherleyns Angulus, ut de bello Turcis cummuni manu, ſed diverſis copiis & plagis, commodiſſime inferendo, ageret. Sed ille cum Armuziam perveniſſet, in morbum incidit. Moram igitur timens, monuit Regem, ut alium mitteret qui id muneris apte proſequeretur. Miſit Cucheinollibeag Perſam, primariæ notæ virum. Quia vero interea Scherleyns convaluit, Legationem ſuam nihilominus perficere aggreſſus eſt. Quo factum, ut duo jam Romam venirent Legati, atque acriter de munere eodem contenderent. Serpente difficultate, Pontificis ſententia juſſus eſt Anglus (& ipſe à Chriſtianiſmo Apoſtata) deſiſtere, omniſque auctoritas ac fides tributa eſt Perſæ. Quid fit? Conqueritur apud Regem qui prius miſſus fuerat, Legationis quodammodo auctor; imo injuriam ſibi factam exponit; moxque aures animumque Regis querimonia ſic prior occupat, ut nulla amplius pars aut rima pateret alteri. revocatur ille; & tamquam pœna dignus, primum dignitate & gratia, mox opibus exuitur: & ne hæc ſive culpa, ſive infelicitas unius hominis probro circumſcriberetur, univerſa domus Cucheinollibeag omni nobilitatis prærogativa & honore privatur. Hinc

ſciri potuit, Pontificem, ſi non male, certe contra mentem Regis ſtatuiſſe; qui deinde Scherleynum alterum, Antonii fratrem, provinciam Legationis ejuſdem adire voluit. Attamen audire utrumque Pontifex potuiſſet, præſertim ſuper negotio eodem, eoque minime intricato, & ubi duæ Legationes videri poterant una, donec interea de mente Regis propius conſtitiſſet; qui eam forte noluit ab alio quam à ſe interpretari aut definiri. Inter multos itaque, plerumque aliqui privatæ utilitatis ac laudis quam publicæ appetentiores ſunt. Sunt denique aliqui invidiæ & ſuperbiæ, vel, ut mitius, vanitatis atque philautiæ vitio obſeſſi, aut antipathiæ contradictorio ſpiritu tumentes, totoque in diſſenſum ſenſu ſic occupati, ut jurgiis argutiiſque diem tranſigere malint, quam bono conſilio, cujus ipſi auctores non fuerint, ſubſcribere. O malignitatem! Quaſi levis, inconſtantis, degeneris animi ſit, qualemcumque ſententiam ſuam variare aut mutare; & non proterui ac pertinacis, agnita ſaniore, receptui non canere; ſed perverſam ſequi & ſuſtinere, mala quadam ſcabie differendi ac diſſentiendi. Sic multa interdum conſultatione eluduntur, lacerantur, ſuffocantur negotia verius, quam auſpicato tractantur. Id intelligens Ariſtides, cum Themiſtoclem ſibi minus addictum,
in

in Legatione tamen collegam haberet; Viſne, ô Themiſtocles, ait, inimicitias ac ſimultates in finibus relinquamus? de integro enim, ubi reverſi, ſi viſum fuerit, reſumemus. Vere videbantur duo eſſe, qui inimici erant: & hi tamen convenire atque coaleſcere velut in unum debebant, ut recte Legatio procederet. Iterum: Duo erant, ut alter alterius velut cenſor ac teſtis eſſet, atque etiam ſtimulus; privato, non publico affectu diſſiderent.

Quid ſi plures fuerint Legati, contigeritque ſive fato quempiam eorum intercipi, ſive morbo ſiſti, vel alio caſu Legationem deſtitui; anne perferri aut perfici per reliquos eadem poterit? Poterit: quemadmodum militiæ præfectos ordinumque ductores alii ſequuntur & alii, qui in locum & vicem ſuccumbentibus primis veniunt, non auctoritate, ſed ſolo ordine ac tempore inferiores. Nimirum licet partes deficiant, corpus tamen integrum cohæreat permaneatque. Sed exemplis utendum. Achæi Legatos Romam miſerant Callicratem & Diæum. Callicratus in itinere morbo correptus, Rhodi diem obiit: Diæus tamquam morte collegæ neutiquam impeditus, Romam perrexit. Inſigniter Plutarchus (quod de ſe ipſe ſcribit) & ſimul modeſte. Ad Proconſulem Legatus mittebatur, & adhuc juvenis,

addito pariter collega: eo vero incertam ob cauſam in itinere ſubſiſtente, ſic obivit munus ſuum, tamquam ſolus miſſus eſſet: ſed re feliciter perfecta rediens, ſic renuntiavit ſingula, ac ſi is qui obfuerat, ubique conſilii pars & præſens extitiſſet. Non igitur, Profectus ſum, ſed, Profecti ſumus: non Dixi, ſed, Diximus. eoque gloria amplior inſecuta eſt, quia non oſtentatione, ſed quæſita meritis, & modeſtia. Aliter Sergius, qui à Iuſtiniano ad Coſroëm miſſus, cum ſocius Legationis Conſtantianus in itinere ægritudine attineretur, progredi in Perſiam noluit.

Quod ſi autem unus quidem ſit qui mittitur, & hic neceſſarium ſive ab ægritudine, ſive alio infortunio impedimentum in via ſuſtineat; anne aliquem è comitibus ſive domeſticis ſibi vicarium eligere, & mandata credita transferre in eumdem poterit? Nolim affirmare. Nimia certe hæc poteſtas ſit, & majori periculo quam commodo expoſita. Si hanc fortunæ moram excludere Princeps velit; jam in anteceſſum permittat, conſtitui vicarium poſſe: imo ut amplius rebus conſulat, ipſe conſtituat. Sane ſi legibus ſtare velimus quæ de Legationibus ſunt; Legati vicarios dare non alios poſſunt, niſi filios ſuos. Ita Marcianus Iuriſconſultus. Fuit qui munera & mandata quædam ab Rege ſuo, è longinquo, ferens, cum alterius aulæ

jam proximus in morbum incidiſſet, nec ullum ſuorum noſceret ita ſtrenuum aut promptum, qui ea quæ ferebat deferre poſſet; rogavit Regem quem acceſſurus erat (accelerando, inquiunt, negotio, & avertendæ cuipiam ſuſpicioni) mitteret ad ſe ejuſmodi virum, cui ea ipſa tradere atque edere poſſet. Factum alii laudarunt, alii reprehenderunt: Reges quid ſenſerint, latet. Et tamen dum à Venetis Legatus in confinibus Regni Polonici adeo ægrotaret, ut progredi ſine vitæ diſpendio vetaretur, negotia tamen omnem feſtinationem exigerent; præmiſit ſecretarium & quemdam ſuum cognatum (ſolent nimirum ejuſce politicæ Reipublicæ Legati quoſdam juvenes ſecum ducere, qui in ſpem patriæ ejuſmodi peregrinationibus & exercitiis adoleſcant) qui mandata ſibi tradita deferrent ad Regem. addidit & litteras fidei, & cogentem cauſam ſubſtitutionis. Ne autem eorum quæ commiſerat illi quidquam tranſgrederentur, exegit utriuſque apocham qua pollicebantur, ſe ea quæ ſuſcepiſſent enuntiaturos, ne puncto quidem immutato. Exemplar quoque enuntiandorum illi conferebant, ne quidquam injunctæ rei aut formæ obliviſcerentur vel intermitterent.

Et pluribus quidem Legatis ſuper re gravi & intricata miſſis, non niſi uni dicendi

ac reſpondendi munus incumbit: quaſi unius vocalis plures conſonantes. Dixerim plures ſic quidem Legatos, at unum Oratorem eſſe: plures mitti, ſed ut unus loquatur; unum omnium os eſſe, omnes loqui quando unus auditur. Non profectò ut multi ſimul canere, ſic loqui poſſunt. Interdum tamen è dignitate mittentis ipſiuſque negotii creditum eſt eſſe, ut congratulatio non unius tantum oratione perageretur, ſed ſinguli diverſo dicendi genere & argumento uterentur; ita ut non ſolum benevolentiæ, ſed eloquentiæ cauſa adveniſſe viderentur. Aliquando etiam apprecationis cujuſpiam, vel promiſſi aut precum formulam, plures ſyllabatim ſimul, quaſi geminato ore, ac multiplicato affectu, proferunt aut repetunt.

Hodie prudenti conſilio, ut facilius certiuſque ſingula gerantur ac fiant, unus plerumque mittitur Legatus: vel cum ſuper re gravi (quæ tamen magis adhuc conſulto, quam facto opus habet) plures adhibentur; ſolet generis nobilitas & doctrinæ claritudo conjungi. Ita tamen, ut eorum unus præficiatur reliquis & Princeps Legationis ſit; alii collegæ & ſocii, cohoneſtandi ac conſultandi potiſſimum gratia comitentur.

DISSERT. X.

Unus an plurium ſimul Legationum capax?

MInime; ſi illuſtres fuerint,ac majoris momenti, nec invicem negotiorum quadam connexione aut communione reſpiciant. Non enim alia conditione Legationem,quam Legatum cenſui. Ille unus eſt; unius etiam Legationis dumtaxat erit. At vero cum minoris ſunt negotia curæ, levioris notæ,conjungi poſſunt, & eodem ſumptu atque itinere abſolui. Sic & Legationes municipales:de quibus Modeſtinus I.C.reſpondit; In eumdem plures Legationes recte conferri, ſi & ſumptus & itineris compendium ſuadeat. At quando negotii gravitas cum dignitate muneris conſpirat,præter monadem,omnes hic numeri profani ſunt. Unus,inquam, ad unum,non ad plures uno itinere & diſpare cauſa mittendus eſt; licet apud unum diverſa prorſus negotia tractari ab uno poſſint.Quod propterea addo, ne amplius hic hallucinetur, qui alium mihi à ſenſu meo ſenſum finxit & ſcripſit. Quod in priori libelli hujus editione dixi, dico; aliud negotium eſſe, aliud Legationem. Deinde;conjungi negotia poſſe,Legationes non poſſe:& huc argumenta faciunt. Etenim ſi tanti non eſt Legationis cauſa, ut

ut ex ſe ſola Legatum faciat; vix Legatio videri poſſit. Ac ſatis una unius ingenium induſtriamque occupare poteſt : quemadmodum virum una uxor , ſacrum myſtam unum ſacerdotium. Forum à Republica , cauſidicum à Legato ſeparemus. Non enim ut in foro , & apud diverſos judices , cauſidicus privatorum cauſas nectit & collidit ; ita Legatus apud diverſos Principes negotia & conſilia : ſi quidem ſeparata hæc ſint, & majeſtatem requirant. Majeſtas nempe ut raritate ſua ſingularis eſt ; ita ſocietate rerum agendarum atque communione colliditur & collabitur. Deinde peculiaris cuique Legationi ordo eſt , peculiaris ardor & color. Facit hoc conjugium Legationum , ut qui adeuntur Principes , perſunctorie ſecum agi putent ; & vel exiſtimationem ſuam contemni aut lædi; vel certe deprimi negotium, quod ſic per tranſennam tractatur. Evenire etiam poteſt , ut dum uni Legationi intenditur , alia negligatur , occaſione , qua nihil in negotiis melius aut majus eſt , prælabente. Sed infelix quoque Princeps eſt, certe parum prudens,qui unius amore odium incurrit plurium , qui plures in unum conferri & coacervari Legationes aut honores , ſolent indignari. Ita nimirum apparet quandoque idolum quoddam conſtitutum Regnis populiſque , quod ſolum ab omnibus æſtimetur,

metur, adoretur; majoremque tributam huic, quam Principi reſervatam poteſtatem; ubi reliquos omnes affectu ſuo exuiſſe Principem apparet, unum imbibiſſe. quonam reginimis intuitu, quiſque viderit; alius dixerit. Illud tamen non ſilebo; Quod ad invidentiæ ſyrtes, ad æmulationum vada, ad ſævitiæ brevia facilè contingat allidi eos, ſi qui nimia Principum faventia ac fiducia efferantur. tamquam omnium petendus ſit telis, qui ſolus Principis ſcuto protegitur. Quid attinet argumenta colligere? Adeo à politica ratione alienum arbitror, Legationes conjungi; ut ne Legato quidem, quod in mandatis habet, liceat alteri Principi exponere, quamvis ita ſuaderet aut vellet is ad quem Legatio directa eſt. Exemplo id, ſed memorabili, Florentini oſtenderunt. Miſerant ad Maximilianum Imperatorem Legatos, urbem Piſam (quæ belli Italici tum cauſa erat) repetituros. Imperator verò, poſt varias conſultationes, Genua diſcedens in Germaniam, eos reſponſum ſuum audire ex Legato Pontificis (is aderat quoque) voluit. Mox Pontificius, Pergite, inquit, ad Ludovicum Sfortiam Ducem Mediolanenſem, ille vobis reſpondebit. Pergunt, miſſo tamen ad ſuos nuntio eorum quæ acta erant. Ubi Mediolanum pervenere, mandata Florentia accipiunt, nihil de

de eo negotio cum Duce agerent; ſed ſubito domum redirent. Ad colloquium vero ſolemne, quod interea jam ante perierant, à Sfortia vocati, veniunt; & præter exſpectationem omnium, orationem meris officiorum deliciis implent: Facere ſe non potuiſſe, quin dum vicini eſſent, deſiderato ſeſe ejus conſpectui ſiſterent, manui oſculum, benevolentiæ teſtimonium, à Republica ſua ferrent. Miratus ille obſequia otioſæ humanitatis, altumque de Piſa ſilentium eſſe; ſciſcitatis eſt, quid reſponſi à Cæſare in Legatione ſua accepiſſent. Reſponderunt, ſe publico & patrio ritu ac lege prohiberi, ne cui, niſi ad quem miſſi eſſent, mandata apperirent. Dux turbatior, Vos autem, inquit, ſi quod depromendum reſponſum ad me Cæſar dedit, depromſero, annon audietis? Aures, inquiunt, noſtræ in aliena poteſtate ſunt: in noſtra non eſt ſermo alienus. His ille: Mentem igitur Cæſaris meo vobis reſponſo aperiam. Quod tamen ut fiat, omnino neceſſum eſt, ut quid ab illo petitum juiſtis, referatis. Tum Legati, iildem verbis: Se ritu & lege patria, ne id faciant, impediri: ſed & ſuperfluum eſſe, cum haud dubie petitionem illi Cæſar indicaverit, cui reſponſum commiſiſſet: ſe extra locum ac tempus Legatos non eſſe. Atque hac ratione abierunt verius, quam dimiſſi ſunt. Ne mi-

remur:

remur: ad Maximilianum, non ad Sfortiam Legatio inſtituta erat: nec exiſtimavit Reſpublica Florentina utile aut decorum eſſe, eadem mandata tot ambagibus circumduci aut explicari. Iam vero quod in eodem negotio fieri non debuit, minime in diverſo debuiſſet, nam profecto eadem Legatione de pace apud alium, de bello apud alium agere; id aliud non eſſet, quam offendere, ad quem poſterius ires. Ad Archiduces Belgii ab Rege Catholico Philippo III. profectus erat Rodericus Calderonius. Dum vero jam revocandus eſſet; ob inſperatas tota Germania motiones, Legatio ad Cæſarem inſtituenda erat. Cui cum & ipſe ſatis aptus & commodus homo videretur, tum Germaniæ propinquior; in Concilio Status Regii diu deliberatum eſt, anne is mittendus eſſet, qui ipſum Regem ſuper rebus tanti ponderis coram non conveniſſet neque audiviſſet; & qui totis quinque menſibus alubi Legatione functus, ſi interrogaretur, quomodo Rex valeret, ne certo quidem reſponderet. Calide tamen, & magno favore Calderonio patrocinabantur ejus amici: ſed calide nimis, funeſtus ut docuit finis. Prævaluit itaque ſtetitque ſententia, ut recens aliquis ex Regis aula mitteretur: id enim magis ex dignitate & commodo negotii, quod Comitem de Onnate jam inde digne & feliciter exercuit, fore.

Forte

Forte oppoſueris; quod mortuo Philippo III. potentiſſimo Hiſpaniarum Rege, Philippus Arenberglus Dux Arſcotanus è Belgio in Galliam, ſimulque in Hiſpaniam Legatus miſſus ſit, ad ſolandam Regum duorum orbitatem. Sed licet utraque hæc Legatio longe auguſtiſſima erat, uno tamen mœroris ſolatio apud ſanguine conjunctiſſimos definiebatur. Præterea nullus toto Belgio Legatus illuſtrior mitti potuiſſet, nullus præſtantiore inſtructus apparatu. Suſpiciendi in eo erant tituli, Ducis, Principis, Comitis: Dignitas, Hiſpaniæ Magnatis: Ordo, aurei Velleris: Honor, Conſiliarii ſtatus: Munus, militaris præfecturæ.

Deinde, qui Princeps eumdem in continuas Legationes mittit, penuria virorum videtur laborare: præſertim ſi illæ mero obſequio aut magnificentia potius, quam fortitudine, prudentia aut induſtria opus habent. Hæc enim ſi requiritur, quia non omnibus æque à Deo data eſt; nec item in arduis conſtantia, eruditio, experientia, ingenium omnibus; non mirum rurſus fuerit, unum aliquem plurimis mandatis ſubtilioribus atque operoſis præfici. Hiſpania *Comitem de Gondomar* bis ad Comitia Germaniæ, ter ad Gallos, ad Britannos toties, ſemel ad Daniæ Regem, ſecundo ad Principes Belgarum emiſit. Et hujus quidem

dem ſublimis animi vigor, venerabilis aſpe-ctus, grati mores, ſeriique ſermones tantam velut venerationem apud exteros Principes promeruere, ut eum caput tegere, ſecum etiam ſedere quotquot adiit voluerint, & intimorum non raro votorum eſſe participem & conſultorem. Et quod jure magiſque admireris (quippe Legationis honori peculiare) etiam Philippi, Hiſpaniarum Monarchæ, Tertius & Quartus, feliciter reduci tribuerunt, ut quam ſedens LegationemOrator peregre expoſuerat, ſedens quoque privatim referret ac renuntiaret. Scilicet cui non æqua animo corporis imbecillitas diutius in pedes ſubſiſtere negaret. Hoc inſuper præſtantis Viri elogium Fama debuccinat, quod pulcherrimo magnanimitatis, munificentiæ, ſimulque comitatis, acceptiſſimarum virtutum conſenſu & documento, hoſpitales ubique populos invenerit aut fecerit. Quid dicam? Numquid Publico Bono feliciter ceſſit, plurimis Legationibus ſic validum Heroëm fuiſſe adhibitum? Auguror: Nihil infelicius Gallicis Britannicisque rebus ceſſiſſet ſi unus iis adhibitus fuiſſet, qui rerum penetrandarum ſagacitate, agendarum rerum experientia, & addo peragendarum felicitate, numquam ſibi eſt diſſimilis.

Idem etiam Legatus, injuſſu ſui Principis,

pis, ab externo aut homine privato apud eundum Principem eodem tempore non rectius procuranda ſuſcipiet, quam ſi quis unum pluribus velit locis rebuſque ſimul intendere, quod fieri vix poteſt ; vel ſi quis dicat, unum eumdemque plures eſſe, quod nemo dixerit.

Legatus quidem, ut Procurator Domini, Rempub. juvare atque ornare debet, ubicumque & quomodocumque tandem poteſt. Neutiquam vero decens licitumve eſt, inſtar privati nuntii aut ſolicitatoris, ea agere aut curare ; quæ nec Principis ſui bono, vel mandato ac Legationis ſcopo conveniant, ſed dumtaxat propriis vel aliorum commodis. Eapropter ſuperiori ævo graviter lapſus fuit quidam (quem Auctor non nominat, forte quia non laudat) qui ab magno Rege ad Cæſarem Legatus adeo ſui officii neſcius extitit, ut cum ea quæ ſibi injuncta maximi momenti mandata honorifice expoſuiſſet ; elapſis aliquot diebus, Cæſari nuntiarit, habere ſe pariter in mandatis ab N.... ut quidquid feudi is poſſideret in Germania, ſolemni ſolitoque ritu agnoſceret ſubeſſe ditioni Cæſareæ Majeſtatis. Aſt Çæſar, minime exiſtimans laudem dignitatemve ſuam auctum iri ignominia aut contumelia Legati, qui ab amico venerat, ſermonem ejuſmodi extrarium admiratus, quaſi non advertiſſet, prudenter abrupit, intro-

duxit-

duxitque continuo magis ſerium, Legatione dignum. Cumque iterum, & poſtridie iterato eadem Legatus ingereret; denuo Cæſar, ſupercilio contractiore, Quid, inquit, mali, mora? Cujus cum vim reſponſi auribus, non animo hauſiſſet Legatus; inſtaretque nimirum, ut qui Majeſtati par atque comes videretur, cliens videri poſſet; acrius reſponſum accepit, nec percepit, his fere verbis: Quandoquidem iſtud tam cupide cupis, ſi & cras cupieris, huic negotio vacare poterimus. Ubi itaque Legatus inepte ſedulus, præfixo tempore & loco, venit; ſubſiſtere jubetur: animadvertit ubique in atriis ſolita illa admiſſionis, ſalutationis, introductionis obſequia ceſſare, nova facie omnia. Tandem ægrè intromiſſus, cernit Cæſarem majeſtate alium, vultu & ſilentio gravem, pro tribunali conſiſtentem: ante ejus pedes haud modico intervallo, pulvinar humi ſtratum; atque inibi utrumque genu flectere jubetur: idque eo nomine quod homini domeſticum erat: dein præeunte ſcriba, ea pronuntiare, quibus vaſalli atque clientes adiguntur vetere inſtituto in verba patronorum ac dominorum ſuorum. Cujuſce ſacramenti ſolemniis rite peractis, ad poſtremum nutu ac digito, ut aſſurgat, Cæſar imperat, atque ita infit: Non opinabar fore, ut qui perſonam repræſentares tanti Regis,

Regis, eo velut ejurato, munus ſuſcip
humilis nuntii, & procuratorem ageres
clientis, quo & ipſus dignitate natalium
ſplendore nihilo inferior haberi velles.
ſimulaveram diſtuleramque diu, ne
dolore, tuo dedecore, ſic meipſum t
tibi immutares. Quo dicto, actutum C
ſedile adferri, Legatum conſidere, capu
gere, ac ſecum reſumere priora Legati
inſtituta, comiter juſſit.

Non alia igitur quam ſui Principis n
tia ſuſcipiant aut procurent Legati: pro
autem non habeant in Aula, vel apud I
cipem quem adeunt: metuatur alioqu
imbecillitate humana, illicite ea licite
diſpendio publico. Legum certe civi
auctoritate ſine ſui Principis conſenſu, r
bellum quidem offerre poſſunt. Ext
gravis Scriptor conſilium nobilis cujuſ
Galli (cujus adhuc ſpirans exemplum
dem tenuit) qui cum patrimonii ſui e
à Rege detenti & uſurpati, in Angliam
turiret, Legatus ire recuſavit: nolens i
ctoritatis ac lucelli negotiis domeſticis a
gere. Videlicet, ne crederetur propri
bus inhiaſſe aut ſtuduiſſe, jactura aut
crimine ſui Regis. Certe hiſtoria ſ
exemplis, memoria ſucceſſibus, non
ſemper miſſos fuiſſe ejuſmodi Legatos,
ab externo Principe, quem adituri er

ſingularem promotionem aut favorem flagitabant.

DISSERT. XI.

Annuus, an perpetuus?

His quidem ſic explicatis, diſquirendum; Debeant Legati ac Magiſtratus eſſe perpetui, an ad tempus? Affirmat Plato, Regiæ poteſtatis adinſtar, perpetuos fore Magiſtratus, quo plenior experientia & prudentia ipſis, major reverentia popularibus, ſit. Negat Ariſtoteles: quod quemadmodum in corporibus, etiam in animis quædam ſenectus ſit, ad res gerendas inepta. Præterea rebus communibus expedire, ut ſinguli Rectores intelligant, ita Imperium eſſe datum, ut reddant aliquando, iis nimirum legibus quibus acceperunt. Utpote ne magiſtri potius fiant, quam miniſtri. Hi enim ubi nimium magni, Principem indicant haud ita magnum. Sæpe ubi qui ſubſunt, nimium ſeſe erigunt; qui præſunt, deprimuntur. Platonis inſtitutum Tiberio placuit, ægre amovere ſolito Præfectos provinciarum: quod eos muſcis ſimiles eſſe dictitaret; quo diutius ulceri inſediſſent, minus moleſtare. Plerique Principes & Reſpublicæ diverſum ſequuntur, mutando frequenter Magiſtratus, ne ſocordia & avaritia auctoritate

O fulta

fulta in tyrannidem degeneret: rati, ex
tervallo aſſuefaciendos eſſe, ut æquo c
ceteris jure vivant. Ita enim integrius r
mus fore; ſi recta adminiſtratione prorog
poterit, aut certe novo honore commu
& augeri. Modeſtius etiam quiſque hab
ſuam dignitatem, qua defungi poterit,
recte habeat. Et perpetuitas Dictat
Julio Cæſari tyrannidis & ſpoliandæ ac
vertendæ Reip. occaſionem dedit. Bar
lomæus Coleoni, vir bellica virtute &
tuna inter ævi ſui primos, plurimis Eur
Principibus, ſed præcipue Carolo Au
noſtro expetitus, Politicos omnes hic
ceat. Is Venetæ potentiæ propugna
acerrimus ac fideliſſimus, poſtquam co
ſummo cum imperio, viginti amplius an
præfuiſſet; jam ſenio gravis, ne mori
dem voluit, niſi ſalutari monito optime
Republica mereretur. Senatum è quadr
te heredem ſcripſerat: pro quo affec
Clariſſimi aliquot miſſi à Republica
jam proximum metæ fatali acceſſerunt,
interituræ gratiæ & gloriæ præmium ap
caturi. Et habeo, inquit ille, mnemoſy
grandius quod Senatui conſignem. Re
blica veſtra me Præfectum perpetuum
buit; & habuit fidum, utilemque:
ſuadeo, hortorque, ne perpetuus dein
conſtituatur militiæ Præfectus, ſi Re
bl

blicæ perpetuitas ſperanda aut ſtabilienda vobis eſt. Æſtimarunt Veneti monitum, quod ille inter noviſſima verba exhalabat verius quam eloquebatur: agnoverunt ſalubre, & ad huc hodie ſequuntur.

Legati vero ne perpetui ſint, id præterea ſuadet, quod in remotos, ac cenſuræ quodammodo ſubductos, & hoſtibus, aut certe exteris immixtos, difficilius ſit inquirere & animadvertere. Lubrica profecto ac natura inſolens poteſtas eſt; magnæque felicitatis inter homines, felicitate non depravari. Quocirca ne in ipſo Orator munere, ſive induſtrius & vigilans, ſive prorſus Orator eſſe deſinat, atque ante emanſionis ſuæ terminum ſe ſibi immutet; officii interdum admoneatur. Admonitus, ſi quid commiſſum leviter aut omiſſum, ſtrenue emendabit, & in gratiam ſe nova virtute ſtudebit reponere. Poſſit alioqui gravior ſuccreſcere culpa. Nec enim bonis laudatiſque Principiis felices ſemper exitus reſpondent. Sæpe plus agit quam licet, cui, cuſtode & cenſore remoto, plus licet, quam par eſt. Fatalis quoque, certe ſemper talis, optimarum rerum conditio eſt, ut ſi corrumpantur, interriora deſinant, degenerentve. Et flexile ac fragile eſt humanum ingenium, ut reliqua mortalium: ſæpe à meridie non iidem qui mane ſumus: mutamur in horas. Quid enim,

ſi cum cælo & conſuetudine, animo pari
tranſlatus ſit Legatus, immemor abſenti
& præteritorum, iis quæ coram blandi
tur ita affectus, ut audere aggrediatur,q
brevi Legatione ne ſperare quidem in
mum induxiſſet? Sæpe quod perfidiæ
illecebra divitiarum, non peſſimarum ter
tionum procurſu impetravit dæmon; impe
vit familiaritas. Ideoque ſpem ſi ille da
feſelliſſe videbitur, ac dignitatis ſive ſeni
ve licentia in turpitudinem deflexiſſe, hon
aliqua occaſione tempeſtive evocetur,
cum damno periculum ſit, publicumque
quod probrum ſubſequatur. Evocetur,
quam; ſed ne ad pœnam aut examen re
videatur. Neſciat ſupplicium Provincia
quam miſſus eſt Legatus, ſi quod ejus
mini decretum eſt, aut debetur. Leg
ipſe quamdiu abſens, ignorare debet, ſ
ſpectum Principi ſuo eſſe; ne è dubio m
ſtro, certus & apertus fiat hoſtis. Unde
deat, ne quid in ſic dedignantis ac diffi
tis gratiam feciſſe videatur: quin gaude
in præceps cuncta labantur, adeoque e
protrudat labantia. Nonnulli enim e
genio ſunt homines, ut mali & perfidi
audeant, ſi pro malis & perfidis repute
& poſt jacturam exiſtimationis, etiam i
conſcientiæ flocci pendunt. Ergo inv
eſt, qui ſtultum putent, alterius diffi

tiam integra fide, imo ulla fide compenſare; qui perfidia vindicare, minus iniquum, aut decorum. Quid autem? non niſi ob exploratum ac immedicabile ſcelus Legatus honore ſuo ſubmoveatur, nec ambitioſorum calumniis aures nimium credulæ pateant; ne contingat ſuccedere lupum vulpi; alios aliis homines, non mores: ne contingat perire auctoritatem, quæ in miniſtris hominibuſque publicis permagni momenti eſt, quod ſideribus Regni nimium obnubilatis aut extinctis, turbines ac tempeſtates oriri poſſint, ſedari non poſſint.

Ad rem quod attinet: Volunt aliqui continuas illas ſive ordinarias Legationes introductas eſſe, ut Regnantium animi frequenti ac perpetua talium officiorum conſuetudine coaleſcerent bono publico, & mutua hinc inde benevolentia ſtringerentur: hinc aſſeri magnificentiam Principum, ſtabiliri jus & pacem gentium, hinc ſecuritatem omnium promanare. Quæ ſi tam vere dicerentur, quam ſpecioſe, firmius proculdubio Imperiorum jura conſtarent, tutius etiam tranquilliuſque ſeſe res humanæ haberent. Verum enimvero longe aliter ſubducendus eſt calculus. Quid enim (fas ſit dicere) à Legationibus iſtis exſpectetur boni aut commodi, quæ nullo modo aut tempore circumſcriptæ ſunt? quæ manent etiam mutatis Legatis?

quæ nullo prorſus cientur negotio ; niſi n
gotium putes, publica, privata , ſacra, p
fana penetrare & prodere ; obſidere alie
penates ; qua maxime patet imbecillitas,
mari , edoceri ? Ubi res floridæ validior
que ſunt, non equidem negaverim , ſuſtir
Legationes iſtas perpetuas poſſe , aut ce
excuſari , tamquam fortunæ ac poten
teſtes; quam externi dum intuentur, timea
neque nocebunt facile qui timent. Aſt
bus tenuioribus, viribus fractis vel inclinar
bus , perennem cenſorem arbitrumque r
ſcio quomodo toleres. Hodie Magnus D
minus , magnificentiæ & auctoritatis uſur
tæ atque oſtentandæ ergo , rarius Lega
ſuos, nec niſi ad breve tempus ablegat ; c
teros autem apud ſe ordinarios eſſe , tædi
ſe hærere, humiliter inſtare, tarde audiri v
dimitti , ipſorum ludibrio , ſuo honori duc
Demoſthenes Legationem quamdam qu
driennalem nominat ; ſed miratur. Lega
Romana apud Antiochum bello durar
Macedonico continua fuit ; ſed cauſa
exemplo ſingulari. Nimirum timebatur A
tiochus , quia apud Antiochum Anni
erat : qui nocere poterat , impediri debui
non potuit autem niſi à Scipione , niſi à L
gato ,niſi à continuo hærente. An vero ali
aut alibi id factum eſſe apud antiquos lega
jure dubito. Placuit in rem præſentem L
ga

gatos mittere : nec ſuos alibi, nec alios Romæ hærere ac ſedere Romani paſſi ſunt: ne tam agere, quam habitare viderentur; aut domum potius, quam hoſpitium habere. Prorſus tamquam inutilis eſſet Legatio quæ continua eſt, à nemine olim miſſa eſt, à nemine admiſſa. Sequioris ævi mores diſcrepare cœperunt, traducta ad verſutiam ſimplicitate ſanctiſſimi muneris, ad pompam & luxum neceſſitate. Si res dicenda eſt, à novo hoc Legationum inſtituto, plus damni quam commodi, plus turbarum quam quietis eſt: de qua re Principes ipſi viderint. Quia plures ſunt qui in hanc conſuetudinem ſtilum acuerunt, plura non debui dicere, ſed neque tacere. Ait Cominæus, inter Principes ſuos, Regem Galliæ & Ducem Burgundiæ, continuos commeaſſe Legatos, ſed ſemper diverſos à prioribus : ut ſi quid illi promiſiſſent quod præſtitum non fuiſſet, hi facilem haberent excuſandi rationem, qui aliorum pollicitationes neque ſcirent, neque deberent præſtare. Inter Chriſtianos modo, Legationes triennio fere finiuntur, licet ordinariæ ſint : & ſic tamen velut perpetuæ ſunt. Ita continui Regum Pontifici adhærent Legati, Regibus Pontificis. Opinor autem, Ferdinandum, ſagacem illum Regem Caſtellæ, ad Gallos alioſque Principes primum continuas miſiſſe & habuiſſe

Legationes: quarum uſum & commoda
ceteri Principes intellexere, ſecuti ſunt.

Olim quidem infelicitatis ſignum erat
nemine frequentari aut conſuli, ſed ſibi
linqui: aliquando etiam improbitatis. H
M. Tullius Verri exprobat; Unam ſolam
vitatem Mamertinam Legatos, qui e
laudarent, miſiſſe. Magnitudini etiam
ſtimationis tributum fuit, ſi ex longinc
orbis plagis Legati advenirent. Inde Plu
chus felicitati Syllæ adſcribit, quod A
ces Rex Parthorum ſuos Legatos ad e
miſiſſet, qui antea numquam Romam
nerant aut viderant. Hodie non ſolum f
quentes, ſed diutius & continuo hærer
Legationes felicitatis ac potentiæ ſign
cenſeri dixi: ſed ſignum. Imo quamvis ſin
la Ordinarius intelligere & abſoluere, c
agenda fuerint, poſſet; Extraordinarius
men plerumque ſuperadditur, ſi quæ pra
rea majoris negotia ponderis occurreri
vel quædam epiſtolia aut monilia ſecure
decore per veredarios tranſferri nequeant

DISSERT. XII.

Quomodo excipiendus?

OMnium gentium moribus recept
eſt, ut Legationes pro condi
ne negotii, & qualitate, cum eor

qui mittunt, tum eorum qui mittuntur, honorifice excipiantur. Sic quibuſdam obviam proceditur, ædes ſubminiſtrantur, lautia offeruntur, magnis impenſis convivia, choreæ, ludi publici inſtituuntur: quibuſdam divertendi dumtaxat poteſtas indulgetur. Quæ omnia paulo dilutius expoſuero, utpote magis uſitata.

Inter obſequia quæ benevolentiæ tribuuntur, & magno æſtimantur, quippe publica, eſt illud obviam procedere: quaſi affectu prævertente, advenientem quam ocyſſime incolumem adeſſe & conſpici geſtiamus. Neque hæc obviationis obſequia, inania exiſtimanda ſunt, quæ omitti nequeunt ſine magna indignatione illius, qui ſe hac veneratione coli æquum cenſet. Alexander in regionem Mardorum hoſtiliter irrupit, quia eos ſuæ Magnitudinis de ſpectores eſſe hinc conjecerat, quod ſuis freti viribus, neque Legatione, neque ullo obvio honore eum dignati fuerant. Debellatis Antonio & Cleopatra, jucundiſſimum Cæſari fuiſſe dicitur, obvium videre Herodem, qui domeſticis bellis non obſtantibus, ſibi obviam, congratulandi ergo, properarat. Hircanus, Princeps Sacerdotum rectorque Iudæorum, quia Athenienſium Legatos munificenter ſuſceperat, periculiſque vialibus occurrens exemerat, ſummam laudem remuneratio-

nemque promeruit, & in Gratiarum d
bro imaginem auream. Quinimo obſe
iſtud genus Principibus uſque adeo gra
eſt, ut etiam illi ipſi qui ſubditorum ben
lentiam comtemptui atque odio haber
dentur; hæc benevolentiæ ſigna, non ad
tant modo, ſed ament, etiam exigant.
exemplo L. Poſthumius Conſul, qua
bet inviſus Præneſtinis, & Sylla adhuc cr
tus, præmiſſo edicto, ille Præneſte, hic
mam, certa die ſibi obviam prodire
juſſerunt.

Obviam autem non Princeps it Lega
ſed alius Principis nomine. Magnum
oportet, vel miſſum ob rem magnam,
obviam Princeps ibit. Reducto in Eccl
gremium Henrico IV. Galliæ Rege, &
petrata errorum abolitione atque venia,
bit Cardinalis Perronius; quod ipſe R
quem comitabantur quadraginta præc
Proceres, obviam proceſſerit, toto iti
unius diei, Legato Cardinali, qui grat
bundus, quædam etiam ſalubriter injun
rus, ab Pontifice advenerat. Pariter R
juſſu, omnis Clerus, Parlamentum, Co
lium ſecretum, Camera computus, ali
Magiſtratus, eidem Legato procul extra
bis portas obviam facti ſunt; tamquam pr
puæ ſalutis denuntiatori, pacis & felicita
quæ Gallos diu ſecuta eſt, Nuntio o
qu

quium ſuum cultumque animitus teſtaturi. Et hic non cæcus, vere Lætus Introitus videri poterat. & extraordinaria beneficii obligatio & agnitio, extraordinarium aliquando agendi & gratificandi modum admittit.

Qui vices ſupplebit Principis, aut certe ejus juſſu occurret, ſive is Præfectus Aulæ vel Stabuli, ſive Magiſter obſequiorum, ſive Deſignator loci, ſive alio ſit nomine aut munere, is ſe Legatum, ipſum Principem cogitet. Blandus erit, ſed ſerius; ita honorem venienti tribuet, ut ſuum tueatur. Condimentum obſequii ſermo eſt, quem officioſæ gratiæ acceptum & familiarem facient. Non mittetur itaque qui rhetorizet de Romulo aut Remo, ſed qui ſua prudentia, conciſaque comitate, exterorum animos inescare potis ſit; ut jure ad hoc Iſagogi munus electus videatur.

Legatis minoris imperii, à quibus item minor exſpectatio, minor quoque apparatus inſtrui ſolet. In politioribus deinde Principum aulis, quidam conſtituti ſunt occurſionibus & deductionibus modi limiteſque, pro dignitate & pondere potentiæ ac gratiæ ejus, qui Legatos miſit. Magnitudine & Majeſtati Romanorum peculiaris olim tributus honos; quorum Legatis etiam ipſi Reges eorumque filii paſſim occurrebant: ut de Pyrrho, Antiocho, Pruſia, & Vermina

Syphacis filio legimus. Notatus tamen P
ſias, quod pileatus, capite raſo obviam p
dire ſolitus ſit, tamquam libertus Populi
mani eſſet. Alioqui exterorum Legato
mum adveniente, multum erit ſi ad paſ
unum atque alterum throno Princeps ſe
digrediatur, quo blandius complectatur
miſſius ſalutantem.

Bruxellam nuper Princeps Poloniæ, V
diſlaus, petebat; qui ut modicum con
tum ſuum excuſaret, præmiſſo quodan
ſuis, Sereniſſimam Infantem rogavit, dig
retur credere, ſe non ut filium Regis
Regno deſtinatum, ſed Legatum adveni
ideoque non alio jam loco cenſendum e
Attamen Optima Prudentiſſimaque He
na, quaſi ipſa excuſatione generoſior,
cherrime teſtata eſt, magnitudinem a
ſui ne modeſtia quidem poſſe vinci,
modo oſtendit honoris obſequia, ſed
dit. Diceres (& durabit rei memoria)
Regis modo filium, Regem ipſum in
bem & Aulam exceptum. Primum v
vicibus Aulicorum Ordines optato adve
felicia omnia peregre procul apprecaban
Exceptioni autem coryphæus conſtitutus
Octavius Viſconti, Comes de Gamale
vetuſta Regum Longobardorum Ducun
Mediolanenſium proſapia oriundus, qu
liquos omnes deduceret, omniumque

ore obſequium deferret. ſubmiſſæ ſunt & rhedæ, & ephippiarii equi quos conſcenderet advena, & non jam alienos, ſed ſuos haberet. Nobiliſſimum donum; & cujus quo frequentior accipienti uſus, crebrior quoque honor donanti, teſtatiorque. Civium binæ velut legiones ſeu turmæ, ſclo-porum repetitis exploſionibus, congratulationem quoque ſuam teſtabantur: tormenta ænea, tonitru & fulmen imitata Olympi, ſuſpenſæ turribus lucernæ, ſtructæque paſſim & expoſitæ plateis in omnibus Lætitiæ flammæ; campanæ triumphalis, tibiarum, tympanorum, tubarum clangor; ne noctem quidem agnoſci aut ſubſequi patiebantur. Obtulit tum plus ſemel Sma Infans, ut qui præſenti velut Majeſtate gratioſus advenerat, officia & munia his in Ditionibus vacantia conferre vellet, tum carceres aperire, captivos manumittere. Sobrie oblata auctoritate utebatur ille, & fere non niſi prævio conſilio ac prope juſſu ſic benigne honorantis. ſymbolum tamen militiæ excubiiſque præfigere non recuſavit, quamdiu, utpote gratus hoſpes & ſtrenuus miles, aderat.

Hoc vero humanitatis officium, vel hæc certe officii humanitas, præſtita, affectum; neglecta, contemptum aliquem videtur ſignificare. Præſtanda quidem, quamdiu ſalva eſſe Majeſtas poteſt, quæ benignitate non

 ſolet

ſolet lædi. Affectu etiam vinci & vin
eorum amant animi, qui nec ſpe nec m
moveri, nec frangi viribus queunt. Au
etiam ſim, explorandum eſſe, quo adve
apparatu cui obviam itur, ut noſter fere c
formetur. Si enim minor erit, ſiniſtræ
ſpicioni obnoxii ſumus: ſi nimio major,
tunæ oſtentatio, vel anguſtias ei qui Le
tionem mittit, vel intempeſtivam parſi
niam videatur exprobrare. Prudens au
Princeps tenuitatem defectumque amici
vulgat, ſed velat; non oſtendit, ſed abſc
dit. Eſt etiam Legati, quomodo exce
ſit, diligenter Domino ſuo ſignificare.
ſunt qui in Legationibus illis illuſtriori
& pompaticis, vix aliud æque accurate
ſervant, referuntve, quam quatenus affluen
ſibi obviam proceſſum ſit, quomodo exce
vel neglecti. Quapropter ſic habeantur
gati, ne qua temere anſa præbeatur de
ſpitalitate aut honeſtate conquerendi.
vero ille qui per comitatis officia Leg
honos exhibetur, admittentem minus
ctat, quam mittentem; ſcilicet reflexo
ut radio redundans ab honorato in honor
tem. Neque reſpectus ſervilis aut he
ullus hinc elici poteſt, ſed ex more & j
gentium, meroque humanitatis fonte p
fluens urbanitas præſtatur, majeſtaſque
dicatur. Sed ejuſmodi obſequia quæ pr

ſus voluntaria & gratuita, minime mercari poſſunt Legati: ſed ea, dum quidem admittunt, neutiquam ambire videantur: quamvis, ut dixi, contemptum ſignificaret omiſſio. Dum illuſtrem Legatum ceteri qui Romæ reſidebant, vel advenientem excepiſſent, vel domi inviſiſſent, uno aliquo minoris neceſſitudinis ac notæ excepto; tandem & is, ubi multum temporis efluxiſſet, acceſſit, nec probabili prætextu moram diluit, ſed ironia potius defendit. Cui illuſtrior: Quid referat non veniſſe; cum ne veniſſe quidem referat? Si veneris; bene veneris: ſin ſecus, amici ſimus, non ſolliciti.

Præterea apud Romanos Majeſtatis læſæ crimini affinis fuit, ſi quis exterorum Legatos privatim & clanculum excepiſſet; quaſi malis artibus ſic janua aperiretur, hoſpitalitati occluderetur. Cum indicatum eſſet Senatui, Illyrios ſpeculatores Romæ eſſe, ſpecie Legationis, Perſeo auctore, miſſos, ut, quid ageretur, diſcerent; vocati ſunt illi in concilium. Qui cum Legatos ſeſe eſſe ab Rege profiterentur, ad purganda crimina ſi qua per Iſſenſes deferrentur; quæſitum: Ecquid ita non comonefeciſſent atque etiam adiiſſent Senatum, ut ex more atque inſtituto lautia acciperent? ſciretur denique, veniſſe eos, & ſuper qua re veniſſent? Hæſitantibus in reſponſo, ut curia atque urbe excederent

præ-

præceptum eſt. Neque eos tamquam L
tos audire vel excipere deinceps libuit,
Senatum adire ſubterfugiſſent aut poſ
ſuiſſent. Volunt itaque, inglorium & n
ac diffidentiæ, proditionive vicinum vi
ſeſe velut occultare: Rationi etiam
gruere, ut ſe iis Legatus innoteſcere p
tur, apud quos inviolabilis eſſe deſiderat
trocinioque omni atque immunitate gau

Olim quibus publicus occurſus dec
erat, etiam hoſpitio publicitus excipie
tur: iſque mos pæne hodiernus eſt. Q
dam tamen gentes Legatis exterorum,
domum aſſignent, vix alios ſumptus
bent: ſed nec ſuos aliter ab exteris h
facile patiuntur. Prorſus reciprocam
volunt hoſpitalitatis formam, & expenſa
fere modum; cum ſine dedecore nemo
mittat recipiatque liberalitatis honore
niſi & elargiri promptus ſit. Ipſi Prin
munificentiæ ſuæ fructu adeo afficiuntur
partem magnitudinis ſuæ putent, muni
eſſe: imo ut quodammodo vilipendi ſe
negligi, ſi oblata liberalitatis obſequi
deant recuſari: præſertim cum neceſſe
omnis munificentiæ aliquod eſſe principi
& facile rependi poſſit quidquid accep
eſt. Mores Romanos ſuſpicio, & in iis t
tùm humanitatis fuiſſe, quantum magn
centiæ ubique apparuit. Senatus cum

gratulandum ſibi Pruſiam Bithyniæ Regem, Perſe devicto, venire audiſſet, obviam illi P. Cornelium Scipionem Quæſtorem Capuam miſit: cenſuitque ut domus ei Romæ quam optima conduceretur, & copiæ non ſolum ipſi, ſed etiam comitibus ejus publice præberentur. An & Ægypti Regem adjungo? Ptolemæus à minore fratre Regno ſpoliatus, petendi auxilii gratia, cum paucis admodum ſervis, ſqualore obſitus, Romam venerat, ſeque in hoſpitium Alexandrini pictoris contulerat. Non mittebat Legatum, ſed agebat. Id poſtquam Senatui relatum eſt, accerſito juvene, quam potuit accurata excuſatione uſus eſt, quod nec Quæſtorem illi, more majorum, obviam miſiſſet, nec publico eum hoſpitio excepiſſet; eaque non ſua negligentia, ſed ipſius ſubito & clandeſtino adventu facta dixit. Ecce illum è curia protinus ad publicos penates deduxit, hortatuſque eſt, ut depoſitis ſordibus adeundi diem peteret. Quin etiam curæ habuit, ut munera ei quotidie per Quæſtorem darentur. Erant autem hæc fere eſculenta.

Hoſpitium hodie aſſignari Legatis ſolet, aut pars palatii, aut ejuſmodi diverſorium, unde & quo commode & honorifice equis rhediſque aulicis vehi ac deduci poſſint: nec non ubi haud magna cura obſervari poſſit, quinam ejuſmodi domum frequentent.

Ele-

Electionem hoſpitii penes Legatum eſ
periculoſum eſt; dico, ſi ab hoſtibus
veniat, aut non ſatis amicis. Quid eni
opportunitate loci, aut hoſtile quidpia
aut non ſatis amicum moliatur? Opport
tate inquam; ſi urbis vicina portis domus
ſi ampla, ſi inſtar equi Troiani inſtru
imo ſi contigua aulæ, aut etiam mim
vicina ædibus Præfecti Curſorum. Niſi
providum obſtaculum ſit, eveniant fo
ſis mala hic non exprimenda, & de qu
ne ſuſpicari quidem in mentem veniat.
fit vero, ut ex occupata ſemel ſede
grare Legatum jubeamus: id enim ſine
niſeſto diffidentiæ metu, gravique læſ
dignitatis, fieri nequaquam poteſt.

Quod ſi ab amicis, à Regni ſociis
confœderatis Legatus advenerit; nulla
manitatis aut hoſpitalitatis argumenta
termitantur. Magiſtratuſque ea cura
erit, ut, poſtquam ille Principem ve
tus fuerit, obvia gratulatione ſimilique
ſequii atque obſervantiæ teſtificatione
piatur. Et ſi munera in promptu non
qualicumque tamen ſalutationis & ho
delatione ſignificabitur animus, bonus
apud bonos gratiam beneficii inveniet.
ſummam, cavendum eſt, ne multo
defricanda ruſticitas, aut odium, aut
temptus qui odio odioſior & gravior

poſſit accuſari. Illuſtribus tamen & amici Principis Legatis vina præbet Magiſtratus: tum illi ejuſmodi lautiorum aliquid pauperibus aut Religioſis elargiri aſſolent. Conſulis hic & Magiſtratus nomine, ſicque totius urbis, orationem exequitur Syndicus, publicæ cauſæ advocatus patronus. Eoque is à Legato noſcendus, devinciendus eſt; præſertim ea urbe, ubi continua & ſcabroſa Legatio obeunda. Nuperus Indorum Magiſtratibus fere mos erat, quo mage Legatis honos voluptaſque accederet, ut formoſiſſimæ puellæ menſis eorum inſervirent, interdum & ultra. Sanctius imperium caſtiores mores docuit. Honoris loco haberi quoque ſolet, ſi Legatis videndi copia fiat eorum, quæ apud illos ad quos mittuntur in pretio ſunt, antiquitate, vel arte, vel patria veneratione, rariora. Ita Saguntini, ab Senatu Romano datis ductoribus litteriſque, Italiam ſpectavere. M. Valerius Prætor Rom. Philippi Regis Legatis, hoſtibus quidem illis, duces dedit, qui iter monſtrarent, tum quæ loca, quos ſaltus, aut hoſtes aut Romani ambirent vel tenerent. Rurſum Romanus Senatus, Legatis Ionathę Principis Iudæorum Sacerdotum, litteras dedit ad Reges Aſiæ & Magiſtratus civitatum, ut per ſana quæque oculos animoſque oblectare poſſent, & illæſi domum reverti. Ducem Arſchotanum,

ad

ad Regem Catholicum, ab Belgii M
ratrice, Hiſpaniarum Infante, nuper
ſum, continuo aliqui è Magiſtratu Na
tota comitati fuere, dum adventantem
ximæ urbis Senatores gratulabundi ad
tas exſpectarent. Crederes, theſaur
ſtar, in ſuccedaneas contradi manus.

Antiquitatem ſi reſpicimus, atqu
monumenta quæ vel fabulis proxima
deprehendemus, etiam ad convivia han
manitatem productam eſſe. Sic apud
merum Calipſo Dea, Mercurium
Nuntium interrogavit quidem, quid a
vel expoſitum veniſſet; mandata tamen
prius audivit, quam convivio eum ex
ret, dapeſque & ambroſiam appoſuiſ
Sic Achilles Agamemnonis Legatos, à
tamen diſſidebat, comiter excepit; & p
quam poſtulata intelligeret, in ſedilibus
viniſque purpureis eos collocavit, P
clum occupans, ut ſocias hoſpitibus me
inſtrueret. Non poſſum non exemplo
cris litteris hunc ritum confirmare. Et
Abrahamus jam ſenex, ſeniorem domus
in Meſopotamiam ad Bathuëlem miſit
Iſaaco uxorem quæreret adduceretque
beccam. Tamquam Legatus ibat,
quam Legatus exceptus eſt. Appoſito
tem cibo veſci noluit, niſi prius adve
cauſam expoſuiſſet: *Non comedam*, inq
d

donec loquar ſermones meos. Notabile vero quod de Syphace profana narrat hiſtoria. Scipionem ille & Haſdrubalem eodem ad ſe tempore Legatos, pacis atque amicitiæ petendæ ergo miſſos, quamvis à diverſo & inter ſe hoſte populo; tamen in hoſpitium commune utrumque invitavit, atque ſimultatum dirimendarum cauſa, ad colloquium adducere conatus eſt. Abnuit Scipio: nempe haud privatum ſibi ullum cum Pœno odium eſſe quod colloquendo finiret; aut ſe cum hoſte de Republica agere, injuſſu Senatus, poſſe. Contra Rege contendente, ad eaſdem epulas venerunt, & tamquam amici inter cœnandum collocuti ſunt. Præſtitit hic Scipio quod Legati imitentur. Tam enim comis fuit, tam offenſo & offenſuro diſſimilis, ut non Syphacem modo, barbarum inſuetumque moribus Romanis, ſed hoſtem etiam infenſiſſimum, modeſta facundia ſibi conciliarit, plus uno convivio quam longo conflictu efficiens. Legati etiam Theodoſii junioris ad Attilam (prout Excerpta Gothicæ hiſtoriæ fidem faciunt) Regio & minime barbaro convivio excepti ſunt, in quo convivarum plures ordines erant, ritus inſoliti, & ad magnificentiam compoſiti: omnia ſuperba præter ipſum Regum. Ceteris quidem cœna omni eduliorum genere dubia erat, & in diſcis argenteis repoſita; Attilæ in quadra

dra lignea, & nihil præter carnes. Item
viris aurea & argentea pocula, quibus b
rent, ſuppeditabantur; Attilæ vaſculum
terreum. Poſt fercula quæque, ſurge
omnes, & ſinguli ordine ſumpta pater
plena, eam, Attilam ſalvum precati, el
bant. Satiſne ſic hilariter Legati? Mox
viri Scythæ in medium prodeunt, & A
laudes verſibus à ſe compoſitis celebra
Poſt cantus & carmina, Scytha alius, n
velut captus, eoque vafrior, abſurda &
digioſa, & quaſi ſine ſenſu ſententias &
caſmos deblaterans, riſum pleriſque,
nullis horrorem incuſſit. Sic quidem à
this habiti Legati. Si nec iſta juvant; vi
mus quid ex antiqua formula Comiti
Patrimonii incumbere Caſſiodorus tra
Epulas tam ſollicita ordinatione diſpone
eſſe; ut cum Legati ex quacumque
plaga venientes cœperint intereſſe, adm
tur copioſe repertum quod in patria ſu
rint eſſe rariſſimum. Stupeant etiam, a
dantia unius menſæ tantas ſervientium
mas poſſe ſatiari: ſic habeant quod ſuis
rent & laudent, ubi in patriam reverſi
rint. Intemperiene fati, an regiminis
religionis, rebus tuis turbulentis & con
ſis, Gallia, quid Regi tuo imperium, de
nomenque Chriſtianiſſimi ſalvum reddi
dum is rerum, amicorum quoque omn
eger

egenus, ſibi relictus vel potius ſpolium expoſitus videretur? Si à Superis cauſam indagemus; crediderimus, placatum Numen, ſimul ut amatum, fuiſſe: ſi ab hominibus; Regis auctoritatem, Regni concordiam illico firmatam revixiſſe, Venetis ſuppetias opportune ferentibus, valido hortatu Mocenici Senatoris, qui antea ad Chriſtianiſſimum Legatus, Admodum laute & genialiter, rebus licet ſic triſtibus & curtis, ab eo exceptus fuerat. Diſſimiles effectus ab affectu & obſequio timere potuiſſet Nicephorus (qui & Hiſtorici ſui calamo pungitur) ſi Legatorũ patrocinio vel elogio juvandus fuiſſet, quibus pro hoſpicio domum & menſam aſſignaverat cujuſdam Epiſcopi, viri utique abſtemii & ſancti, ſed qui illos ad eſurialem diætam ſæpius coëgerat.

Principes præterea non ſolum hoſpitio amicum, & ſic velut gratiorem, Legatum dignantur; ſed ſolemne alibi epulum parari curant, quo lautius ille tractetur: fors, ut quid obſervetur, vel ut ita ſimul alii, quibus ordinarius domicilii aut victus honos non tribuitur, epulentur. Hac ratione evenit, ut cuidam Magiſtratui ſeorſim injungeretur, diverſarum Legationum & dignitatum miniſtros, & ſimul exteros aliquot Principes, qui tum quoque aderant, ad publica encænia, & ſic ad unam menſam, invitare. Hæc rotunda ſternebatur, ne quis dignior locus

locus invidiam pareret: quamvis ex at
nuæ, camini, feneſtrarum, tum etiam a
ſitu, & iſtam ſeſſionis prærogativan
obſcuram eſſe ſollertior unus reperiret
que ita facile invaderet. Perſtabat hic
tas & quædam amicitia inter non nimi
cos, & qui non niſi ab indifferente Ma
tu induci potuiſſent, ut una convenire,
comeſſari voluiſſent. Sublatis menſis,
abſceſſum præoccupare ſatagebant
priores apparerent: alii, ne poſteriore
ſtica, alii alio gradu deſcenſum metieb
Erat qui reliquos abeuntes ne quide
tueretur; & quia noviſſimus ſubſiſteba
core quædam indagans, nonnulla prop
primus ſibi videbatur. Nil Senatoril
ſplicebat, niſi quod junctim pluribus l
perſonis adeſſe & obſequi non poſſent
ille educendus eſſet, & alter, valedice
comitatus dimitti non deberet; nec q
vivarum eodem tempore remanebant
rum hoſpitum præſentia deſtitui. Se
modi formulæ aulicæ civibus civi
Magiſtris & Magiſtratibus, ut in ſolit
cognitæ ſunt: atque ita ſint, vovendu
tius, quam deteſtandum.

Hoſtium Legati non minus attente
derandi ſunt: neque adeo ut magnifici
ſed potius ut cauti, hic requiritur: ita
ut ſuum ubique locum humanitas inv

Cogitemus hoſtes eſſe, qui ab hoſtibus veniunt, & ſic veniunt: Cogitemus Legatos eſſe, qui forſan amicitiæ vel commodi communis cauſa miſſi ſunt. Sed etiam illis obviam itur ab Heraldo quidem vel Centurione aliquo, ſi armati ſunt & bellum hoſtes gerunt, qui eos è confinibus ditionis aut exercitus ad Aulam uſque tutos incolumes perducat. Atque tum, vel jubentur extra caſtra urbemve emanere, ut foris colloquium inſtituant; (quemadmodum id fiebat apud Romanos priſco ritu atque inſtituto in æde Bellonæ) vel intromittuntur penitus, apparatum bellicum copiaſque inſpecturi: ſi tamen conſtet, ea quæ videnda erunt, ſic robore ac diſciplina ordinata atque munita eſſe, ut ad terrorem atque exiſtimationem valeant: alioqui Legatum nuſquam minus conſpici velim, quam in caſtris. Sane ad victoriam, aut conditionem victoriæ parem, hæc methodus eſt, animos viciſſe, & velut inducere, ut Legatus judicium omne in oculis circumferat. Qui itaque ab hoſtibus advenit, caſtrorum bellique noſtri copioſum & formidabilem apparatum videat, vires & vigorem militaris diſciplinæ. Hoc conſilio Pompejus, cum inſignem optimorum militum manum coëgiſſet, & Legatum Mithridatis ſpeculatorem magis quam oratorem eſſe deprehenderet, vo-

luit eum, ut ſingula exercitus muni
inſpiceret, circumduci. Haud impari
ciæ ſpiritu Scipio cum in Africam veni
exploratores Hannibalis in caſtris depre
ſos & ad ſe perductos, ne incommode
dem habuit, nec de conſilio ac viribus
norum percunctatus eſt; ſed circa o
manipulos diligentiſſime deduci curavi
terrogatoſque, anne ſatis ea conſider
quæ ſpeculari juſſi erant; prandio da
columes dimiſit. Studuit nimirum priu
mos hoſtium quam arma contundere.
tiquam vero hic auri gemmarumve
dor, ſed armorum fulgor oſtentandus
non ut videat hoſtis quantum poſſit vin
ſi cupidus ſit; ſed quantum formidar
virtutem magis quam prædam invent
Hoſtilem ſitiunt ſanguinem milites ut
priam ſalutem, ubi plus ſpolii quam
ſpectatur, plus præmii quam periculi.
inſulſe profecto inconſiderantiam Cl
træ redarguit Lucanus:

——— Pro cæcus & amens
Ambitione furor; civilia bella gerenti
Divitias aperire ſuas, incendere ment
Hoſpitis armati.

Ezechias Rex quia Legatis Regis Bab
univerſa quæ habebat in gazis dem
rat, ab Iſaia Propheta graviſſime, & in
modum reprehenſus eſt: *Audi verbun*

mini Exercituum: Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſauriȥaverunt patres tui uſque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus. Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis. Cautior Aripertus Longobardorum Rex fuit: is ſi qui ab exteris Legati ad ſe venirent, vilibus utebatur veſtibus: & quo minus *Italiæ* inſidiarentur aut inviderent, delicias quoque vini & obſonii abſcondebat.

Interdum autem (repeto) Legati hoſtium excluduntur penitus, & exeſſe ſolenniter jubentur. Sic Meleſippus à Lacedæmoniis Athenas miſſus, in urbem admiſſus non eſt, quod ab hoſte jam armato veniret. Idem Ezechias, ſpeculationes inſidiaſque metuens, Legatum Sennacherib Ieroſolymis excluſit. Gothi qui præſidio tenebant Urbinum, Oratores Beliſarii non admiſerunt in urbem, propere iſthinc faceſſere juſſos. Pari ſeveritate & Romani uſi ſunt, ne Barbaros miremur, quando Legatos Ætolorum, itemque Jugurthæ, audire noluerunt. Conſtantius Legato Magnentii, caſtris interdixit. Paſſim exempla ſunt, & ſatis docent, fieri hodie poſſe quod olim factum eſt; & rite fieri, quod cauſa & neceſſitate excuſatur. Legationem porro ejuſce Principis excludere, quocum tibi neque pax nec bellum eſt,

barbarum plane atque etiam periculoſ
detur; dum ob hujuſmodi inhoſpital
acerbitatemque exacerbantur animi,
ad hoſtilia incenduntur. Sed opina
Legationes iſtas, ſpeculandi, tuaque ſ
tendi gratia, inſtitutas. Quid autem
parandam amicitiam, vel ad fœdus?
ſi hac etiam occaſione inveſtiges quæ a
latuiſſent, ſciri tamen ex re ſit? I
ut omnem ſemper offenſioni atque q
locum præcludat Legatus; tum ne
ſanctiſſimum dedecori aut ludibrio ex
tur; dabit operam, ut priuſquam e
Provinciam ingrediatur, acceſſus v
impetret, atque in anteceſſum libera
viam, epiſtolio aut quopiam è con
præmiſſo, aperiat: ne hoſtiles quiden
tes ingreſſurus, niſi aperiat. Ipſi q
Principes litteris prænuntiant, ſeſe L
miſſuros. Ait Polybius, Caduceatoren
ſæum nuntiatum exiiſſe, velle Anti
Legatos mittere de ſumma re acturos.

Arma quamvis ut ornamenta, mo
culi, Legatus gerat non timenda; de
tamen, dum excipitur, quandoque ab
jubetur, atque adeo veſtimenta exc
ne quid fortaſſe teli obſcondatur. Re
enim fuit, & forte in poſterum fuer
audacia & improbitate homines, qui
nam potius quam bonam expetentes fa

memorabili aliquo, licèt nefario facinore, & manum & munus violare audeant, vitæ ſuæ prodigi, ſic velut domini alienæ; prompti & cupidi interire, modo interimant. O larvam pluſquam tragicam! Scilicet inſidiis petuntur, fraude interdum opprimuntur, qui animis armiſque majores ſunt, & addo meliores. Et ſane, eos qui ad mutuum congreſſum adveniunt ſuſpectos haberi poſſe, tot Regum carnificianæ teſtantur, memoriamque ſuorum contriſtant. Apud Romanos Severus Imperator, cum Albinum improbitati ſuæ adverſari ſuſpicaretur, & ſeipſo magis à Proceribus & plebe (utpote genere & virtute nemini ſecundum) diligi intelligeret; ſtipatores ſibi fideliſſimos, cum tabellis officioſæ amicitiæ quidem pleniſſimis, ad eum miſit, clam vero mandans, ut eum é medio tollerent: & quo facilius poſſent; quædam præterea habere ſe dicerent, ſemotis arbitris, communicanda. Albinus hilarior (nam doctis blanditiis circumamictum facinus favor apparebat) eos in penetralia deduxit: nimirum ut ſecretius ſecuriuſque loqueretur, imo trucidaretur. Hæc barbara & immania ſunt, ne nota quidem feris immanibus, certe à Mercurii ſacris & Chriſtiano pectore aliena. Nos Legatum, non parricidam introducimus. Interim ait Cicero: In domum recipere Legatum hoſtium,

ſtium, *in cubiculum* admittere, hom
nihil de dignitate, nihil de periculo
tantis. Pariter Attalus & Romanoru
gati perierant, niſi prompto effugio
gis Pruſiæ Regis Bithyniæ ſeſe exp
ſent; qui cum mille equitibus, uti ſt
erat, venturus ad colloquium, uni
exercitum produxerat. Simile quid
Jugurtha Saluſtius; de Cotye, Mith
& Corbulone Tacitus; de Hermia t
Diodorus; de Valeriano Zoſimus;
alii. Sic Regnares Gothorum Dux
quam à Narſete dimiſſus, paululum
ſerat, miſſilem ſagittam, licet irrito
in eum direxit. Ideoque Nerva ille N
da, ut ſiniſtram omnem à ſe ſegrega
ſpicionem, quod flagrante bello Af
cum centum equitibus venerat ad A
rem, comitibus haſtam tradidit, atq
armatus perrexit ad Pœnum.

Patet itaque, aliam cum amicis au
fœderatis, licet alioquin invíſis ac
ctis, obviam eundi, tum excipiendi a
pitandi rationem ineundam eſſe, alian
moleſtis ac manifeſtis hoſtibus. Ibi a
grande probatur ſpecimen ad benevole
inſtillandam incitandamque, neque
nimium juris noſtri ratio opponitur
extraordinarius in bene affectos affect
promitur: hic vero prævalet, quidqu

bus noſtris quocumque modo profuturum eſt. Quod ſi bellum hoſtes non gerunt; Legatis eorum etiam viri primarii obviam mitti poſſunt, ſed milite cincti, ut tuti ſint extra inſidias & diſcrimen. Quia magnificentia quæritur; huc ſatellitium referetur: imo optima pompa eſt quæ tutelam facit. Numquid tutius videtur, perire non poſſe, quam juxta periculum non periiſſe? Principes domi quoque & inter cives magnificentiam augent, ſed quæ ſecuritatem præſtet: ornantur ſatellite & ſtipatoribus, tamquam præſidio ac ſepimento, non ſolum adverſum occurſus atque impedimenta, ſed magis adverſus furentem impietatem. Profecto uti humana aſtutia & audacia multiplex, eo quoque nequitiæ interdum proceſſit, ut qui incautiores ac minori cuſtodia Legatis obviam iere, ab iiſdem intercepti & abducti ſint. Videndum igitur, ne dum per ejuſmodi ſalutationes officioſas hoſti occurrimus, Legatum non inveniamus. Antonius, opprobrium illud potentiæ Romanæ, nonne ſubdola affinitatis ſpecie allectum Artabanum propemodum oppreſſit, cum ei ut mox futuro genero obviam veniret; nec veniret? Simili perfidia Hyrnetho per fratres ſuos Cerynem & Phalcem ad colloquium per Caduceatorem evocata, rapta eſt.

Sed quod ad officium obviam eundi attinet; hoc etiam fructu uſurpatur, ne Legatis ulterius, vel aliorſum pergere liceat, quam quo ducuntur. Antiochus hoc conſilio Legatis Romanis, ne Piſidiam ad ſe, ubi bello occupatus erat, venirent, Apameam ipſe occurrit. Syracuſani quoque Legatus Senatus, ne in urbem intrarent, extra portam per Hippocratem & Epicidem obvii ſunt facti. Et cum Armeniorum Legatis cauſam gentis apud Neronem orantibus, Agrippina aſcendere ſuggeſtum Imperatoris, & præſidere ſimul pararet; ceteris pavore defixis, Seneca Neronem admonuit, venienti Matri occureret. Ita ſpecie pietatis, auctor Tacitus, obviam itum dedecori. Quidam alii, ne ullus Legatis occurſus præſtaretur, nec negaretur tamen, dum hi advenirent, aula peregre ad venationem vel pietatis aliquod exercitium ſeceſſerunt. E contra, Legatus quidam dum præaugararetur, ſe non ſatis decore exceptum ire, nec ipſe ſatis magnifice comitatus adveniret; iter maturavit, & noctu prævenit: prudenter ſic quoque cauſam præſciendens, ne à querimonia, Legationis ſuæ nuntium ordiri deberet.

Ad rem quoque faciet, eligi virum prudentem, elegantem, ſimulandi ac diſſimulandi peritum, qui novo Legato, honoris & conſortii gratia, adjungatur: qui ei prius

notus

notus atque amicus fuerit, vel qui ſe aliqua vitæ ſtudiorumque ſimilitudine illius amicitiæ inſinuet, qui ea, quæ in aula non callet Legatus, explicet, ejus ſolitudinem velut oblectet & ſimul obſervet; ſermones audiat, conſilia penetret, ac quid ſinu tandem condat, ſagaci naſo odoretur. Quod ſi à ſuſpecto Principe Legatio miſſa ſit; impediri eadem ratione facilius poterit, ſi quid ſeditioſus aut levis forte proditor in periculum aut perniciem Regni Regiſve adferet aut molietur: tum quoque, ne clancularia, ſive Conſiliariorum, ſive Miniſtrorum, ſive otioſorum hominum, qui non alio negotio quam rumorum indagine otium ſuum tranſigunt, conventicula & congreſſus fiant. Interim quicumque Legatum officii cauſa accedent inviſentve, viri primores, patricii; fortuna aut dignitate inſignes, virtute certent, attendantque ne ab unius præſtantia ſuperentur univerſi: ut quidquid agere aut dicturire parant, documentum ſit ejus eminentiæ, qua gens efficaciſſime commendari mereatur. Denique ſic apte & decore omnia cohæreant & componantur in aula quam adibunt Legati, ut Principis ſapientiam & majeſtatem, Palatinorum numerum & ornatum, domuſque Regiæ ordinem atque ſplendorem jure admirentur.

Satis ſic quidem prolixe Legatum excepi-

mus; nunc hac quæſtiuncula: An, poſtquam ſolemniter, ut diximus, à Principe quem adit, admiſſus eſt; ſalutationis officium exſpectare, ab alio, ſi quis ad eamdem prius aulam venerit, Legato, debeat, an eidem deferre? Quaſi interrogem, excipiendus & viſitandus noſter ab alieno, an à noſtro alienus ſit: quemadmodum etiam in privatis, ſed peregrinis, ſive amicis, ſive propinquis, dubia adeundi obſequia ſunt, quotieſcumque major honoris atque dignitatis, quam affectus atque humanitatis ratio habetur. Sed tamen quod ad amicos attinet, amplius à peregrino, quam à cive exigam: adeſſe civem peregrinus ſcit, veniſſe peregrinum civis poteſt neſcire; ideoque vel omittere ſalutandi munus, vel differre. De Legatis major difficultas eſt. At niſi aliud obſtet atque impediat, adeundus ille erit, qui poſterius venit; ſi inquam qui prior reſederit, obviam non proceſſerit poſteriori dignitate pari. Etenim ſpectari ſolet & comparari fortuna atque potentia ipſorum Principum, à quibus Legati ſunt: deinde momentum rei, temporis, ipſiuſque obſequii. Ad ſummam; ſuadebit occaſio, quid tribuendum aut concedendum ſit. Quod ſi is qui alterum ſalutare & excipere deberet quidem Legatus, ſed pejuſcule haberet, vel ſic nollet; is aliquem ex comitibus aut ſociis Legatio-

gationis, vel ex nobilioribus domeſticis (addito forte epiſtolio) mittat, ut abſentia excuſetur, ne culpa aut contemptus credatur interveniſſe. Quæ in Legatorum exceptione, eadem fere in abſceſſu & deductione eorumdem obſervanda ſunt.

Perduellibus, ſeditioſis, ac quopiam ſchiſmate aut religionis errore infectis, tum infidelibus, Legationum munere fungentibus, occludi portas aureſque oportere, nulla hoſpitalitatis aut gentium jura ſalva eſſe, diſputant multi magnis voluminibus. Sed diſputant. Quia vero ejuſmodi problemata, non ab argumentis, ſed ab iis mediis & inſtrumentis, quibus Principum imbecillitas cenſetur & conſtat, interpretationem ſumunt, & in praxim eunt; ne ſim definitor. Interim quæ iis conceditur ſecuritas ac dignitas, non illorum favore tribuitur, qui ſummo potius odio & ſupplicio digni ſunt; ſed reſpectus quietis ac ſalutis publicæ, jubet, datam fidem, integram ſervare.

DISSERT. XIII.

Inviolabilis.

IUre gentium ſancta ſanctio eſt, ut, etiam hoſtium ipſorum præſidio, tuta & inviolabilis ſit Legatio; imo, ut inter arma, nomen hæc ſola pacis & omen præ ſe ferat.

Legati enim hoſtium, ne hoſtes quidem cenſendi ſunt, quod officio dumtaxat boniviri, ac patriæ ſuæ procuratoris, funguntur.

——— *Sanctum populis per ſæcula nomen Legatus.* ———

Hinc ſi quid contra ſecuritatem eorum quis perpetrarit; reus ſit læſæ Majeſtatis, id eſt, proſtitutæ fidei & auctoritatis publicæ. Leges audiamus: *Qui violarit Legatum, lege Iulia de vi publica tenetur.* Jure etiam Pontificio ſancitum eſt, ut *iis qui Legationibus obſiſtunt, Sacris interdicatur.* Imo rationes audiamus, ut juſtas eſſe leges appareat. Etenim ſi generis humani bono, cœtus & urbes inſtitutæ ſunt, hiſce Reges dati, qui Dei in terris vices gerunt; ſi Regum ſimulachra ſunt Legati; hoſce violare piaculum exiſtimemus. Hinc Ammianus: *vigilat juſtitiæ occulus ſempiternus, ultriceſque Legatorum diræ.* Legatus os Regis eſt: in Regem igitur impius, quiſquis in Legatum peccat. Athenienſes Philippi ſtatuam urina perfuderunt: at ille exitum terminavit exitio, dum eorum urbem inſperſit cinere, ſanguine, ſale. Sic luſum in luctum vertens, hoſtibus injuriæ factæ voluptatem, ac ultra inferendæ omnem pruriginem poteſtatemque ademit. Sed ſi in ſtatuarum violatores tam acriter vindicatur; quid de Legato cenſendum, quid ſui Principis patriæque veram et vivam velut imaginem

&

& dignitatem repræſentat? Videndum itaque, ne data fide publica Legato quidquam injuriæ aut moleſtiæ oriatur in acceſſu aut abſceſſu. De univerſa enim gente querela inſtitui, talio ſumi poſſet. Nec ea ſolum cura curanda eſt, ne à noſtris Legatus lædatur aut violetur: ſed ne quis omnino alius in eum ſit injurioſus impune. Quippe fidem publicam uſurpant Legati, fidemque Principis. Adeoque utramque violaſſe cenſetur, qui violat unum Legatum. Ideo Legationis violatæ pœnas ultionemque non ſolum ſumunt ii qui eam emiſerunt, ſed & ii qui admiſerunt. Legatos Siculos Roma redeuntes in patriam, Antiates inſtructo navigio piratico interceperant, rebuſque direptis ergaſtulo clauſerant. Re Romæ percepta, Senatus eam quoque contumeliam ad ſe pertinere ratus, non expectatis copiis Siculorum, quorum ea Legatio erat, adverſus Antiates expeditionem decrevit & ſuſcepit. Profecto ſi apparentes prætextus violationi Legatorum ſufficiant; quis adeo mente cæcus, ut non animadvertat, nervum Regiorum mandatorum inciſum iri, incommunicabilia fore Principum negotia, adeoque implacabilia odia, irreſarcibilia damna? Unde cum in bene conſtituta Republica proclivitati peccandi ſeveritas legum & ſupplicii opponi ſoleat; non ſatis acris pœna

 ſtatue-

ſtatuetur violatoribus Legatorum. Quippe injuria hic tam expedita foret, quam expetita, ubi exterorum quilibet à ſuis remotus, inter invidos atque æmulos verſatur: & cuilibet noxæ facilis cauſa aſſcriberetur, culpa Legato: adverſus quem eapropter ne temere quidem ullus audiendus eſt.

Hominum inter ſe commercium, mutui boni & beneficii cauſa, extra injuriam omnes ponunt: ſed Legatio commerciorum, ut ita dicam, commercium eſt. Sane inter mortales cum tot diſſidiorum atque bellorum cauſæ ſint, & vi omnia videantur agi poſſe; inveniri jus debuit, quod quietem inſtauraret, quod pace veſtiretur, & inviolabile prorſus eſſet; ſed quod læſum, ſeveriſſime apud omnes, & quodam velut conſenſu omnium, vindicaretur. Hæc Legatio eſt.

Sed nunc poſt leges, poſt rationes, exempla audiamus, ut pondus utriſque accedat. Legati Davidis (ut à ſacris ordiar) ab Ammone Ammonitarum Rege ludibrio habiti, aliorum deinde petulantiam terrere potuerint. O ſpectaculum! ut per ſummam contumeliam remitterentur, medium cujuſque mentum nudatum eſt barba, veſtes acciſæ uſque ad nates. O ſupplicium! Vindice Deo, hoſtes victi ſunt, & in poteſtatem Davidis venerunt; urbs Rabba, caput gentis, capta, furori militum relicta eſt. Sic magnus

ille

ille Rex, Deo plenus, injuriam Legatis ſuis illatam fortiter ultus eſt. Audire juvabit, ut legimus in libris Regum: *Prædam civitatis aſportavit multam valde: populum quoque ejus adducens ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta; diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum: ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon.* Vindictæ genus ſæculis retro inauditum, crudele arbitreris, niſi à tam pia benigna mente: ſed quo commiſſi in Legatos ſceleris atrocitas deſignetur & exaggeretur. Non vulnera inflixerant, non ſanguinem excuſſerant Ammonitæ; barbarum & veſtium medietatem præſciderant. Sed animo generoſo quodnam vulnus gravius ignominia atque pudore? Pſammenitus Ægypti Rex, non æque potentia aut proſperitate inſolens, Cambyſis caduceatorem ſtulta ferocia dilaniari paſſus eſt. Aſt idem (ut fortunæ regreſſus & receſſus eſt) à victo victus, Cambyſi mancipium inſervivit: & capta Memphi, filium adhuc impuberem, cum bis mille pueris Ægyptiis ejuſdem ætatis, quorum omnium cervices fune ligatæ, & frenata ora erant, trahi ad necem vidit. Fortuna ſeu vis altior, quos ludos facis! Perpetuum infamiæ ſtigma inuſtum Athenienſibus eſt, ob ſcelus in Legatos Darii commiſſum. Terram illi & aquam, communi exigendæ deditionis for-

formula, petierant: & ecce in barathrum præcipites dati ſunt, illinc abunde accepturi eorum quæ peterent. Sed quæ ruina deinde urbem maris potentem, quæ vaſtatio agrum deformavit! Exutæ prope elementis Athenæ. Pergo. Legati Tarentum à Romanis miſſi erant: hos cives Tarentini fœde conſpurcarunt: addidere riſum, ut & voces tamquam maculæ eſſent. Sed L. Poſthumius Legationis Princeps; Ridete, inquit, ridete dum licet: large enim diuque flebitis, cum haſce ſordes ſanguine veſtro elvetis. Vera vox fuit, bellum in Tarentinos decretum eſt, tantumque fuſum ſanguinis, ut elui non urbs una tantum, ſed magna pars Italiæ potuerit. Sic Legatus atrociori injuria læſus, non expedit, ut ſemper conticeſcat; ſed acuto pungentique reſponſo auctoritatem & ſimul talionem inſinuet. Addo facinus Helenæ Ruſſorum Reginæ, quo nihil truculentius fama audiit, aut vidit ſol ab ortu in occaſum. Etenim quia à Prutenorum Præſide arte & Marte victa, primo carceris, deinceps tributi contumeliam ſuſtinuit; mire efferata eſt; & quam viribus non potuit, extremo, & prope incredibili ſcelere vindictam quæſivit. Quippe dum irrita & irriſa jacerent quæcumque ejus conamina, ſtetit crevitque illa animo pluſquam virili, & Legatos à Præſide

fide miſſos, ut amicitiam fœduſque æternum per nuptiarum vincula offerrent, vivos & valentes omnes ſepulchro condidit; atque ut diutius, imo ſæpius morerentur, inedia confecit. Eo autem flagitio nondum divulgato, nondum ipſa ſatiata, ſignificavit, priores quidem apud ſe hoſpites adhuc hæſuros; velle tamen ſe per plures potentioreſque ſuper re tanti ponderis conveniri. Dumque eo quinquaginta inſuper illuſtres prima è claſſe viri adveniſſent; facibus imperioſæ bilis calidius accenſa, omnes una cum aſſeclis clam cremari juſſit. Et erant hæ ſcilicet faces nuptiales. Mox firmatis ſponſalibus, matrimonioque decreto, eorumdem hoſtium quinque millia pronubis velut eduliis in triſtiſſimam hilaritatem pellexit, jamque vino occupatos immeritæ neci dedit. Proceribus autem Regni accurrentibus, rogantibuſque, ut ſaniori judicio acquieſceret: rebus enim ſic labantibus, ſtatum ſuum ſtare non poſſe: mali quoque moris malique exempli tam inhumanam vindictam eſſe, & à Majorum virtute clementiaque alienam: denique cum ipſius & periculo & exitio conjunctam. Sed ex inſana jam facta inſanabilis, nec monitis mollior mulier; Agere, inquit, juvat, quæ nemo hactenus egit: exemplum non accipiam, ſed dabo. Poſtquam miſera facta ſum, miſerum non putavi

mori

mori, ſi prius inſigni ultione animum ſatiarem. Ploret tot ſuorum funera hoſtis meus: ego quidquid timeri poteſt, non conſilio veſtro, ſed meo facinore evadam. Helena cum Helena conſultatura eſt. Dixit: protinuſque, cum neque morbum, neque medelam ferret, & quaſi eſſet quædam in vindicta lætitia, quæ caligine ſua non rationem ſolum obnubilaret, ſed formidinis atque doloris omnem ſenſum abſtergeret; in fœdam cloacam inſiliens, ſeipſam ſuffocavit. O inſaniam! ô ſcelus! ſed non aliis aquis ablui dignum, ſi tamen ablui. Non ira illa, flamma fuit, & ſic extingui debuit. Sed quis ineſſe molli & miti femineo ſexui, mulieri, inquam, indignanti quidem atque irritatæ, mulieri tamen, id bilis credat? Si quid excuſes, impatiens injuriæ animus fuit, quem vinciri poſſe, non vinci, hic diſcimus; ſed deſperatione actum impulſumque in maxima ſæpe mala erumpere, cum præ remedio ſola vindicta placet. Generoſus igitur animus ſupra omnem tyrannidem liber eminet; atque ubi ſe collegit, in modum palmæ fortunæ inſurgit adverſæ. Sic acres habet ſubinde ſtimulos pertinax ac cicatricoſa ultionis cupiditas: & laceſſita innocentia, quia placari non poteſt, furorem colligit ut certius noceat, ad inſidias deſcendit. Fit etiam, ut immemor reddatur injuriæ, qui eam intulit,

at

at mordicus teneat qui accepit. Nobilius tamen vindictæ genus eſt, aperto Marte & communi periculo hoſtem adoriri, quam proditorie nil metuentem opprimere. Quidquid ſit; ſacroſanctum Legationis munus eſt; ſacroſancti qui hoc munus adminiſtrant. Quibus contumelia ſi forte inferatur; præmiis olim, ſive honoribus etiam poſtumis, expiatur. A Larte Tolumnio Veientum Rege quatuor populi Romani Legatis per Fidenates interfectis, totidem ſtatuæ erectæ fuere: eaſque ad ſuam uſque ætatem pro Roſtris extitiſſe, Cicero refert; ut, cum honor mortuorum in judicio viventum conſiſteret, vita pro patria ereptæ brevitas diuturnitate famæ & virtutis exemplo compenſaretur. Sed in ultionem quoque injuriæ exarſit Romana iracundia. Fidenatum enim qui ſe Legatorum cæde polluerant, pars cæſi, reliqui ſimul & ſemel ſub ditionem omnes venerunt, urbſque ferro & flammis eſt objecta. Adeo non alia vindictæ juſtior cauſa, quam injuriarum Legatis illatarum, viſa umquam fuit, ſed neque fortunatior umquam fuit.

Nonnumquam qui violavit Legatum, veluti piacularis victima deditur ei qui miſit, ut is ſupplicium eligat & ſumat pro offenſa arbitrioque. Apud Romanos L. Minutius & L. Manlius, quia Carthaginenſium tunc

tunc hoſtium Legatus manus intulerant, iiſdem à Prætore ex Senatus conſulto dediti ſunt. Nec Q. Fabium aut Cn. Apronium tueri curulis dignitas munuſve ædilitium potuit, quin ob Apolloniæ civitatis Legatos violatos, eamdem legis ſeveritatem uterque ſubiret. Non negaris tamen, veniam ſupplicio potiorem ſæpe fuiſſe. Romani ſicario, qui Cn. Pompeii Legatum trucidarat, ad ſe miſſo, culpamq; agnoſcenti, ignoverunt. Sic & Romanorum Legati Carthaginenſibus ob commiſſa dediti, dimiſſi ſunt. Memorabile vero Lacedæmoniorum facinus fuit, qui Darii Caduceatores interemerant. Duo è populo viri, & tanta vi animi reperti ſunt, ut ultro ad Xerxem, Darii filium, iverint, ſeſeque obtulerint, ſuo ſupplicio expiaturi ſcelus quod fuerat univerſorum. Tam animoſa virtute motus Rex, eam pari clementia proſecutus eſt, remiſſa pœna publica & privata: ut qui ſe fato obtulerant, Regia virtute renaſcerentur.

Contra (quaſi Legationis perperam geſtæ actio competat illi cujus ea eſt, non illi cui ea mittitur) Legatus qui violaverit jura gentium, interdum remittitur ad eum cujus eſt. Qui tum ſi probus & prudens, nec ipſus culpæ obnoxius fuerit, manifeſtum facit, ne quidem flagitia apud hoſtes perpetrata, indignatione ſua carere. Remittitur, in-

quam,

quam, ſed ſecuriore ſtipatus cuſtodia, tum ſolemni expoſtulatione: ut atrocitas injuriæ, acerbitas juſti doloris, & obſervantiæ noſtræ certitudo conſtare atque æſtimari poſſint. Sed quid ſi conſenſu & conſilio ſui Principis deliquerit Legatus; num remittetur, puniendus ab iis quorum eapropter laudem præmiumque exſpectat? Connivebit veriſimiliter, qui & ipſe culpæ reus: nec ultor erit, qui auctor. Attendat tamen offenſus, num gratiam Principis aut Populi externi, pluris facere debeat, quam vindictam ſuppliciumve unius Legati. Alioqui ubi quis deliquit, juriſdictionem ejus ſubiiſſe intelligitur cujus in ditione deliquit: & ibi quiſque conveniri poteſt, ubi reperitur. Neque injuria animadverteretur in illos, qui meditato ſceleri ſanctiſſimum Legationis nomen obtendunt. Tantum enim abeſt, ut libertas licentiæ manum porrigat, ut etiam majore pœna digni judicentur ii, qui honoribus & dignitatibus aucti, privilegiiſque & immunitatibus muniti, iiſdem ad injuriam aut contumeliam indigne abutuntur. Iuſtinianus Tribonianum inſtruens mandat, ne ullis nocentes privilegiis uti patiatur: & ad Legatos ſuos Byzantinos reſcribit; Tamdiu jus non violandorum Legatorum ſervandum eſſe, quoad ipſi jus Legationis honeſtatemque ſervarint. Nimirum qui jure aliquo abu-

abutitur, ejuſdem patrocinio indignus eſt. Non alienum duco, quod de Philippo II. Hiſpaniarum Rege accepimus. Erat Madriti Legatus Venetorum, qui adverſus juſtitiæ adminiſtros & ſatellites, miſſos auctoritate publica, familiam ſuam inſtigavit, & violentam eſſe juſſit. Facile lædi potuerunt, qui oppugnari non ſolent, & quibus reſiſti piaculum eſt. Res in judicium venit, & in reos ſententia partim capitis, partim fuſtigationis, lata eſt. Rex tamen ut clemens eſſet, & plus Legationi, quam Legato deferret, ſupplicio paulo poſt omnes exêmit. Sed, ut oſtenderet, eximendos non fuiſſe; ad Principes Chriſtianos mox ſcripſit, ſe nolle Legatos ſuos immunitate muneris juſtitia ſanctiores eſſe; quin legibus eos Regni conveniri & condemnari poſſe, ſi quando facinus quodpiam, ab officio aut mandato ſibi impoſito alienum, commiſiſſent. Et ſane inter eum Principem, qui Legationem mittit, & eum qui admittit, quodam velut conſenſu videtur ſtatui & contrahi, ne, quemadmodum offendi Legatus non debet, offendere quoque non poſſit. Offendi non debet, quia inerme hoc munus eſt: mandata, non arma adferuntur. Sed ſi velit offendere, jam munus ipſe ſuum exuit, & violat. Verum neque intolerabilis eſſe debet, quia inviolabilis; neque ad injurias pugnaſque deſcen-

cendere, qui potiſſimum mittitur, ut injuriæ ceſſent, & ne pugnetur. Apud Euripidem Demophon Fecialem ab Euryſtheo miſſum, & vi abripere ſupplices conantem, vi prohibuit: & cum ille diceret;

Tun' Fecialem cædere huc miſſum audeas?

reſpondit:

Ni Fecialis dexteram à vi temperet.

Volunt igitur plerique, Legatos hoſtilia molientes, atque in crimine Majeſtatis læſæ deprehenſos, prehendi plectique poſſe. Princeps autem hactenus moris externi & juris obſervans, gentium propugnabit & colet inſtitutum, ne ſuæ deſertor incolumitatis, in diſcrimen ipſe veniat vel ſtatum publicum inducat. Ideoque ſi quæ ſub Legationis ſanctimonia perfidia concitetur, vel ſi clandeſtina conjuratio aut rebellio foveatur, Legatus una cum familia, domo claudi, cuſtodia detineri, milite & excubiis cingi, item litteræ ejus intercipi, eaque univerſa ſine ſcelere adhiberi poſſunt, quorum adminiculo & malum differtur, & facinus detegitur, & periculum depellitur. Parcere, hic crimen exiſtimes; niſi plus Legati nomen, quam ſcelus proditoris timeas. Verum enimvero deſinit eſſe Legatus, qui eſſe proditor incipit: & decens, imo juſta ultio eſt quæ neceſſaria; quæ non libidine ſæviendi, ſed ſtudio tuendæ dignitatis & incolumitatis nata.

Nec

Nec vero tenetur Princeps aliena ſcelera, inſidias, proterviam cum ſui indignitate aut diſcrimine excuſare vel præterire. Itaque ſi eo animi Legatus proceſſerit, ut hoſtis potius quam hoſpitis videri poſſit officium profiteri, pœnæ ſe obnoxium ſciat, imo iræ, quæ non ſinit moderatam pœnam eſſe. Attamen de facinore ſtatim moneantur exteri, ut intelligant, omnem ab æquitate proficiſci rigorem, non prius condemnatum quam convictum Legatum eſſe ab eo, qui idem accuſator eſt & judex. Quid ſi nihilominus qui periculum depulit, parcere hic etiam malit, quam plectere? Suadet fama, ſuadet utilitas publica. Fama, humanitatis & clementiæ, quæ ſecuram potentiam & venerabilem reddit: utilitas, quæ è gratia Principis aut populi externi naſcitur. Tanti nimirum eſt, unum hominem non perdere, à quo deinceps nihil timeas; imo unum ſervare, quo plures debeant, & amici ſint. Alexandri ſive manſuetudinem ſive magnitudinem in exemplum voco. Dum Tyrum diu obſediſſet, Tyriis, odio Alexandri & magis pollicitationibus Carthaginenſium, valide reſiſtentibus, tandem ſuperior, bis mille viros in urbe repertos in malam crucem egit. Legatos vero Carthaginenſium, qui tamen non ad illum, ſed contra illum venerant, incolumes eſſe voluit, & protectio-

ne

ne ſua etiam ſecuros. Nimirum malebat Carthaginem jure belli ſubjugaſſe, quam privata Legatos injuria aut vindicta jugulare. Secus cum Philea Tarentino actum eſt: qui cum prætextu Legationis Romam veniſſet, atque empta fide duorum æditurorum obſides Tarentinos eduxiſſet in fugam, protinus cum illis retractus, in carcerem ac deinde in comitium duci meruit: mox virgis; populo approbante, cæſus, de ſaxo dejectus eſt. Bono jure hæc agi viſa ſunt, quia Tarentini tum temporis Romanis quodammodo ſuberant, cum ea urbs eorundem præſidio teneretur. Omnino ita eſt: violant & ipſi jus gentium Legati, ſi aut Legationem contumelioſe ediderint, vel auctoritate ſua ad inſidias injuriaſve exteris inferendas abutantur. Urgentibus jam urbem Romam fatis, Legati ad Gallos miſſi, contra jus gentium arma ceperunt. Tamquam injuria affecti Galli, dedi ſibi eos poſtulant: id quia non impetrarunt, bellum in Romanos movent; urbſque ipſa divaſtata, tanti ſceleris piaculum extitit.

Jam vero ſi fortaſſis in crimine deprehenſus ſit Legatus, omnem quocumque malignitatem ac machinationem colore excuſabit: culpam non à conſilio, ſed infortunio aut errore aut neceſſitate proficiſci: non à ſuo Principe, nec à ſe, ſed ab aliis. Tum ali-

Nec vero tenetur Princeps aliena ſcelera, inſidias, proterviam cum ſui indignitate aut diſcrimine excuſare vel præterire. Itaque ſi eo animi Legatus proceſſerit, ut hoſtis potius quam hoſpitis videri poſſit officium profiteri, pœnæ ſe obnoxium ſciat, imo iræ, quæ non ſinit moderatam pœnam eſſe. Attamen de facinore ſtatim moneantur exteri, ut intelligant, omnem ab æquitate proficiſci rigorem, non prius condemnatum quam convictum Legatum eſſe ab eo, qui idem accuſator eſt & judex. Quid ſi nihilominus qui periculum depulit, parcere hic etiam malit, quam plectere? Suadet fama, ſuadet utilitas publica. Fama, humanitatis & clementiæ, quæ ſecuram potentiam & venerabilem reddit: utilitas, quæ è gratia Principis aut populi externi naſcitur. Tanti nimirum eſt, unum hominem non perdere, à quo deinceps nihil timeas; imo unum ſervare, quo plures debeant, & amici ſint. Alexandri ſive manſuetudinem ſive magnitudinem in exemplum voco. Dum Tyrum diu obſediſſet, Tyriis, odio Alexandri & magis pollicitationibus Carthaginenſium, valide reſiſtentibus, tandem ſuperior, bis mille viros in urbe repertos in malam crucem egit. Legatos vero Carthaginenſium, qui tamen non ad illum, ſed contra illum venerant, incolumes eſſe voluit, & protectione

ne ſua etiam ſecuros. Nimirum malebat Carthaginem jure belli ſubjugaſſe, quam privata Legatos injuria aut vindicta jugulare. Secus cum Philea Tarentino actum eſt: qui cum prætextu Legationis Romam veniſſet, atque empta fide duorum æedituorum obſides Tarentinos eduxiſſet in fugam, protinus cum illis retractus, in carcerem ac deinde in comitium duci meruit: mox virgis; populo approbante, cæſus, de ſaxo dejectus eſt. Bono jure hæc agi viſa ſunt, quia Tarentini tum temporis Romanis quodammodo ſuberant, cum ea urbs eorundem præſidio teneretur. Omnino ita eſt: violant & ipſi jus gentium Legati, ſi aut Legationem contumelioſe ediderint, vel auctoritate ſua ad inſidias injuriaſve exteris inferendas abutantur. Urgentibus jam urbem Romam fatis, Legati ad Gallos miſſi, contra jus gentium arma ceperunt. Tamquam injuria affecti Galli, dedi ſibi eos poſtulant: id quia non impetrarunt, bellum in Romanos movent; urbſque ipſa divaſtata, tanti ſceleris piaculum extitit.

Jam vero ſi fortaſſis in crimine deprehenſus ſit Legatus, omnem quocumque malignitatem ac machinationem colore excuſabit: culpam non à conſilio, ſed infortunio aut errore aut neceſſitate proficiſci: non à ſuo Principe, nec à ſe, ſed ab aliis. Tum ali-

quo ſale defricandus hic error. Et plurimos flores, non ſolum in rhetorum hortis, ſed in cujuſque ingenio reperire eſt, queis prætextus quiſpiam, culpæ quantum libet latæ aut manifeſtæ, adducatur, obducatur. Confeſſionem autem ne ſcripto ſignet, etiam atque etiam cavebit: id enim eſſet, errorem errori adjicere, ac prorſus in poteſtatem infeſtæ fortunæ ire. Manus animum ligat: & graviſſime accuſatur, qui ne ſuam quidem auctoritatem poteſt declinare: ſemper vero urgeri ad pœnam poteſt, qui ſemel reus eſt. Quod ſi fortaſſis res non omnino manifeſta ſit, ſed ſub ancipiti conjectura fluctuet; contemnenti aut ignoranti quam excuſanti ſimillior ſit, ne purgatio nimium accurata, accerſita videatur. Nam ſemper ſollicitudini noſtræ comes it aliena ſuſpicio. Forte & ſtudia & merita ſua dextre & opportune inſinuabit Legatus, ſive præterita, ſive præſentia. Nimirum leniet adverſarios, ſi ſe obſtrictos viderint: dubitabunt de crimine, ubi virtutem adſpexerint. Quod ſi vero rapi ſe nihilominus ad vincula aut ſupplicium ſenſerit, conqueretur, proteſtabiturque, honori ampliſſimi muneris vim & injuriam inferri, nec umquam nec uſquam excuſabilem. Sic tamen, ne nimia repugnandi pertinacia inclementiorem læſi animum reddat.

Quid

Quid vero ſi Princeps læſerit admiſſum Legatum ejus Principis, apud quem & ſuum habet? Jura violanti ſi jus non præſtatur; ei non violari, ſed jus reddi, Albericus ait. Æquiſſimum enim, juxta Heſiodum, talionis æquilibrium eſt, cum par pari refertur, cumque eadem cuique rei lanx & menſura reponitur. Ideoque retaliatio nec Lege Moyſaïca, nec XII. Tabulis, nec ipſius naturæ dictamine videtur inhiberi. Quippe inſculptum omnibus, ut quod quiſque ſibi fieri nolit, id ipſe alteri ne faciat: cui in pœnam merito ſuccedit, ut omnes patiantur, ſibique factum velint, quod in alios ipſi egerunt, factumque eſſe voluerunt. Permittunt Juriſperiti, ut frangenti fidem fides frangatur. Tempeſtive igitur ſibi cavebant civitates quædam bello Punico, quæ à Romanis deficere ad Pœnos deſtinaverant. Nam cum id agerent, ut obſides, qui Romæ erant, reciperent, priuſquam ipſi deſciſcerent; ſimulaverunt, ſeditionem inter finitimos ortam, quam Romanorum Legati dirimere deberent: miſſoſque, velut contraria pignora, retinuerunt, in eos facturi ſi quid ſui paſſi eſſent. Atque ita illæſos recuperarunt. Ac ſane Legati eorum, à quibus injuriam timere poſſumus, obſidum loco detineri poſſunt, ut noſtris apud alios conſulatur. Ita Carthaginenſes Scipionis Legatos

tantiſper apud ſe ſervarunt, donec ii qui miſſi Romam fuerant, rediiſſent. Athenienſes quoque eos qui Sparta venerant tamdiu apud ſe manere juſſerunt, quamdiu apud Lacedæmonios Themiſtocles emaneret. Et nuper dum Carolus V. Franciſci Regis Legatum ſiſteret, Rex viciſſim Cæſaris detinuit. Sæpe igitur fallacia fallaciam ceu clavus clavum pellit, arſque eluditur arte: ut experiri eſt, ab ipſo ſcorpio contra ſcorpium medelam ſumi. Neque fraudi, ſed ingenio & induſtriæ, etiam gloriæ tribuitur, caute circumvenientem, cautius circumvenire: nobiliſſimumque victoriæ genus eſt, ſuo quem gladio jugulaſſe. Non quod perfidiam perfidia ulciſci liceat, deceatve; ſed quod is alterum ab obligatione liberet, qui conditionem quam pacta includunt, fallendo tranſgreditur. Generalis enim pactorum lex eſt, ut nemo iis ſtare teneatur, niſi ex adverſo, in quæ conventum eſt, præſtentur. Verum hic Romani Senatus, & unicum Africani exemplum opponitur. Nam cum Legatos ſuos à Carthaginenſibus violatos accepiſſet; actutum, & quidem rebus imperfectis, diſcedere Carthaginenſium Legatos domum juſſit. Qui poſtquam tempeſtatis ludibrio rurſus in Scipionis claſſem eſſent relapſi; navium præfecto, ratione officii, vindictæ avido, quæſitanti, quid facto opus eſſet; hos

enim

enim exemplo atque omine malo reverſos; Nihil, inquit, tale agamus quale Carthaginenſes, qui nec exemplo, nec omine bono mali facinoris rei ſunt. Sic intactos dimiſit, committere nolens quod in aliis culpabat: amplius etiam honori Legationis, quam infortunio Legati tribuens. Id igitur cum à communi talionis regula abeat, ſingulari manſuetudini atque æquitati Scipionis adſcribatur.

Addo nunc, neceſſarium inprimis eſſe, ut ſi quid agat Legatus, quod agendum non eſt, expendamus, cujus nomine & auctoritate agat: ideoque ſicuti non decet, crimen quod publicum eſt, punire in privato; ſic neque commiſſum ab homine privato, in eo qui publicam perſonam ſuſtinet. Legatus quidem non niſi publicus eſt: ſed agere quædam ut privatus poteſt. Pariter qui offenditur, publicitus offendi poteſt, cum privatus ſit; & privatim, cum publicus: abſit autem, ut privatam injuriam tamquam publicam puniat. Quod dico, exemplo Ludovici XII. Regis Galliæ dico; qui poſtquam ſceptro inſignitus eſt, privatam cenſuit injuriam, quam in minori fortuna paſſus eſſet, & graviſſimam tamen paſſus. Dux Aurelianenſium erat, & cum Carolo VIII. bellum illi, bellum inquam adeo grave, ut cum à ſuis quoque excluderetur, coactus

fuerit ad Armoricos ſe recipere. Rerum deinde potito, & in ſolium Regni evecto, perſuadere nonnulli conati ſunt, vindictam jam tandem tempeſtivam in Aurelianenſes meditaretur & acueret. Ille vero magnanimo & ſimul feſtivo reſponſo, ſævitiæ conſilium diſſipavit: Non eſſe Regis Galliæ, injurias Ducis Aurelianenſium ulciſci. Præterea ſi quis comitum vel aſſeclarum Legati deliquerit, permagni intererit examinare, conſenſu ejus ac juſſu, an injuſſu commiſſum crimen ſit; ut hinc ultiora mox conſilia capiamus. Nam ſi ex ea gente ſit Legatus, quam minus timeamus; inexcuſabilis ſeveritas vincere clementiam poterit, ut jure videamur agere: ſin ex ea quæ nos minores habet, & cujus gratiam aut potentiam ſuſpicimus; ſic jure utendum eſt, ut damnum excludatur. Facile læditur, qui potentior eſt: vulnus, non cauſam vulneris æſtimat. Quid ſuadeam igitur? Cautos, providos, minime præcipites eſſe qui ſic puniunt: & ſi puneri crimen non poſſit, crimen non videatur. Enimvero Legatos ejuſque comites forte reos læſę Majeſtatis, quæ adita eſt, conveniri & condemnari poſſe, multis rationibus probari liceat: an autem puniri expediat, in bibliothecis recte definitum non facile legeris: ſed multa circumſtantiæ rerumque ſtatus ſuggerere, ſuadere, vel excuſare poſſunt,

ſunt, quæ non ſtilo litterario, ſed cuſpide gladii definias aut deſcribas.

Et hæc quidem de iis dicta ſunt, qui Legatos ad ſe miſſos exceperunt. Dubium majus; Num Legatus pariter inviolabilis, liber ac ſacer cenſeri debeat, in hiſce regionibus ac provinciis, per quas, ab hoſtibus forte aut non confœderatis miſſus, iter facere compellitur ad eos quibuſcum amicitia & pax, vel dumtaxat ratione induciarum ſuſpenſa arma? Profecto ſuaſerim ei (ni clanculum proficiſci proſit (ut priuſquam ſe in viam det, placarit Lares Viales, tranſituſque veniam flagitet ac impetret à Domino loci. Qui tum haud gravate indulgebit eam, dummodo nil conduxerit negaſſe: imo adjunget hoſpitalitatis obſequia, eaque omnia quæ etiam ſecretis penetrandis occurrent opportuna. Alioqui quam temerarium ſit, inſalutato ac inconſulto Principe, ejus ſolum tranſire; ſolemniore forſan exemplo docuiſſet Legatus ille, qui anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo decimo quinto à Turca ad Hollandos miſſus, Antverpiæ ſiſtebatur, niſi regia ac inclita Alberti & Iſabellæ, Optimorum Principum, clementia, imprudentis hominis incogitantiam ac levitatem ſuperaſſet. Veneti ut Paduam ſibi ereptam recuperarent, Franciſcum Capellum Legatione fungi voluerunt. Mandatum fuit, ut

ut priuſquam ad Imperatorem Maximilianum proficiſceretur, primum mutato habitu & nomine, conſuleret, Paduæ, Leonardum Dreſſinum; præſidiario militi ab Imperatore præfectum. Vix urbis portas ingreſſus, nihilominus dignoſcitur, Magiſtratui ſiſtitur, per eos, quorum erat ibidem in advenarum nomina, conditionem atque inſtitutum inquirere, in divertendi locum & tempus. Deliberatum ſerio, anne protinus remitti deberet, an capite plecti. Et quamvis ille munus ſuum inviolabile, mandatum indiſputabile diceret; ne ductus quidem ad Dreſſinum fuit, ſed ad tribunal: ubi ſeptem Senatorum ſuffragia eum capitis damnarunt, novem abſoluerunt: ita nactus plus patrocinii à fortuna, quam à cauſa. Arbitrio itaque magis externi Principis quam protectione Iuris gentium inviolabiles cenſebuntur Legati, qui munus ſuum latenter abſcondent, adeoque velut negabunt. Non enim, inquiunt leges, datur regreſſus ad jus neglectum: & nomen quod ſpernimus profiteri, neutiquam patrocinio nobis eſſe debet.

Minime vero ulla ſecuritatis lege tuti erunt, qui ab hoſtibus ad hoſtes proficiſcuntur, regionis per quam hinc inde tranſeunt aut commeant, Principe invito aut inconſulto. Fruſtra enim aut ridicule ſanctum eſſe velis, quod rebus tuis ſua malitia damnoſum

noſum eſt. Decet quoque, hoſtilia eum conſilia extundere atque impedire, qui jure ſibi metuere ac proſpicere debet. Legati Regis Philippi dum ad Hannibalem clam profecti, in Romanorum præſidia forte illapſi eſſent; Legationis princeps Xenophanes, centurioni, quo iter tenderent quærenti, ſe à Rege adeſſe reſpondit, ad ſocietatem cum Populo Senatuque Romano ineundam. Fraudi favit fortuna. Nam pro hoſpitibus excepti, in caſtra Hannibalis, quocum nil negotii iis eſſe credebatur, penetrarunt. Sic felici primum mendacio elapſi, poſt iterum à Romanis deprehenſi, arctius comprehenſi ſunt, & in Urbem abducti. M. Lævinus Prætor Legatos, qui à Philippo per Italiam ad Hannibalem iter faciebant, ſub cuſtodia detinuit, donec didiciſſet quidquid ille moliretur. Quod ſi tamen nihil hoſtile machinentur Legati; ut eis Princeps favere jure non cogitur, ita nec officere tenetur. Neque enim belli motus pacis ſpem omnino excludunt, diminuntve benignitatis atque clementiæ virtutes, eave obſequia, quibus animi hominum potentiſſime vinciuntur, & quibus generoſiſſimum quemque honeſtas commendat. Athenienſes dum litteras ſui hoſtis Philippi ad conjugem, ſecreto nontio, miſſas intercepiſſent; ne reſerari quidem, ſed, reveriti Deos conjugales, deſtinari voluerunt.

Sed quid ſi aditu prohibeatur Legatus, & nihilominus acceſſerit? Volunt nonnulli, ut privatum, imo ut Majeſtatis perturbatorem, ac violentum irruptorem, graviſſime plecti. Franciſcus Galliæ Rex Fecialem Caroli V. admiſit quidem, ſed præſentibus minis ad ſilentium adegit. Præ foribus namque palatii erecto patibulo, moneri ſerio hominem curavit, prohibitæ mandatorum expoſitioni infamem mortem imminere. Apud Livium, Ætolorum Legatis denuntiatum eſt, quicumque ſine placito Imperatoris Romam veniſſent, pro hoſtibus omnes futuros. Ait quoque Theodoſius, Ius hoc Legationibus interdicendi omnes uſurpaſſe. Et ſane niſi uſus ita obtinere debeat, perturbaretur Ius gentium, quod dominia abſoluta & diſtincta reddit, & externorum, dum ita viſum fuerit, ut loquuntur, excluſiva. Aſt vero ſi licitum eſt vetare ne accedant Legati, illicitum eſt Legatos mittere, aut etiam diutius quam admittenti placuerit in Legatione hærere. Illicitis autem Iura non ſubveniunt. Ligures dum Romanorum Legatum abire juſſiſſent, iſque procraſtinaſſet, primum comites ſervoſque neci dedere, dein Legatum vix fuga elapſum ſauciavere, ut ſibi diſcedendum fuiſſe, non ſolum narraret, ſed oſtenderet. Quapropter ſi quando periculum moramve rebus agendus

gendis injectura videtur Legatio, vel aliquid exiſtimationi aut fortunæ noſtræ detractura, non excipitur, imo prohibetur. nam

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.

Niſi forte expedierit hoc dedecore Legatum & Legantem afficere, ut etiam admiſſus dimittatur inauditus: atrox enim per ejuſmodi dimiſſionem utrique nota inſpergitur.

DISSERT. XIV.

Quo jure conveniendus.

CIviline actione citari poſſit Legatus, controverſum eſt. Nam quo jure aut loco conveniendus ſit, ex profeſſo leges non definiunt: imo illæ quæ titulo de Legationibus extant, una & altera excepta, de ſubditis, municipalibus, Proconſule aut ejus Vicario, intelligi debent. Sed ſi Legatus numquam à patria abeſſe cenſendus eſt; æquum videtur, ut cauſæ ejus, etiam crimina, non niſi ab ejuſdem Principe patriaque cognoſcantur. Et quamvis ſacræ aut civiles rubricæ jura aut privilegia Legatorum omiſerint vel non difinierint, teſtantur tamen hiſtoriæ, & dictat ratio, præcipuo eos honore cenſeri, ſingularia omnia in hoc munere eſſe. Hiſtoriæ quidem, quæ legum velut interpretes ſunt, æqui bonique teſtes; ratio autem, cujus tam auguſta &

venerabilis majeſtas eſt, ut licet legum aut tabularum voces prorſus ceſſent, ea tamen ſola, & dare oracula, & condere axiomata, & præſcribere dogmata queat. Hujus ore, ſed velut Aſtrææ, receptam uſu ſententiam Iuris interpretes proferunt; Legatos peregre nullis vel legibus, vel conſuetudinibus, vel ritibus municipalibus obnoxios ſubjici. De contractibus Legationis tempore initis, judicium accipere non immerito Legatus tenetur, conveniendus coram Iudice ejus loci, cui ſe per contractum obnoxium fecit. Alioqui quod beneficium ac privilegium eſt, damnum atque impedimentum fieret: eique univerſe commerciis interdictum videretur, cum quo, tamquam exlege, contrahere unuſquiſque vereretur. Id quoque Ius gentium & naturalis æquitas dictat, ne cui licentia indulgeatur res non ſuas alieno damno ſecum auferre. Aſt vero ſi quæ ante Legationis ſuſceptum munus nomina contraxerit; ob ea non detinebitur, neque ante reditum ad ſolutionem compelletur, ne munus hoc publicum impedimentis ullis obnoxium ſit. Eamdem quoque ob cauſam, ne à popularibus quidem ſuis, abſens lite laceſſendus eſt, ne publico oneri privatæ accedant moleſtiæ, remoramque communi bono faciant. Quid? nimis addictum litibus hominem implicitumque, ab hoc munere arcendum ſtatuimus;

mus; cum liberam ac ſedatam à domeſticis curis mentem Legatio exigat; ſatis occupata, ſi hoc agat, ob quod otioſa videri poſſit. Alioqui prorſus expedit, Principem rebus ſui Legati prodeſſe & favere, ut hic ardentius negotia illius meditari atque proſequi poſſit, nulla inquam privatæ calamitatis moleſtia compeditus vel diſtractus. Rex Hiſpaniæ Philippus II. Roderico Gomes dicebat: Tu mea per egre curabis; ego tua domi non negligam. Cumque illo mortuo convitiaretur plebs & livor, opimam nimium hereditatem liberis relictam fuiſſe; Credebam, aiebat magnanimus & prudens Rex, liberalius me profuiſſe.

DISSERT. XV.

Qua polleat jurisdictione, prærogativa, immunitate?

PRimum ſoluendus quæſtionis nodus; Num Legato plenaria competat juriſdictio in domeſticorum ſuorum mores & vitam? Sunt profecto non pauci, qui omnem & Senatus auctoritatem, & Principis majeſtatem in hoc munus transferant: ideoque ſuorum peregre eſſe judicem, qui & Senatum & Principem peregre repræſentat. Quid omnino dicam? Neutiquam ſublimior ſubſiſtet, qui ultra limites Legatus exurgit, ni-

nimiumque ſibi tribuit. Certum eſt enim, imperii notam, juris dicundi poteſtatem omnem labi & ceſſare in ditione peregrina ac aliena. Princeps ipſe haud meliori conditione cenſetur: ubi ſubditos non habet, nulla auctoritate præditus eſt; ſed, quia Princeps, dignitatem ubique ſervat. In ſuorum delicta, ſpreto & rejecto ordinario Iudice, velle animadvertere, hoc vero nonnullis videtur, publicum jus loci privatum facere, & ſimul trux illud dominicum, damnatumque legibus ac moribus Chriſtianis, imperium uſurpare. Non ſervi, ſed mitiore appellatione, famuli aut miniſtri dicuntur, qui familia Legati continentur: poteſtas ipſa, non deſpotica ſeu herilis, ſed œconomica eſt. Proinde non ergaſtula aut vincula, non carcer aut carnifex Legato conceduntur. Fieri tamen poſſet, inter Principes aliter conventum eſſe, vel mutuo conſenſu diu uſurpatum, ut plenam juriſdictionem in domeſticos ſuos Legatus & habeat & exerceat. Quod ſi erit; actuariis ille ſuis & ſcribis utetur, quorum tabulæ & codices ſeu regiſtra, publicam fidem & auctoritatem ſolemnium inſtrumentorum exprimant habeantque. Concedet tamen juſtitiæ ratio, ut ſicui domeſtica ejuſmodi ſententia gravis videatur, poſſit ille, ſi ſuperſit, reverſo jam Legato, cognitionem cauſæ ad patrium & ordinarium juris Præſidem

dem transferre. Idem in civilibus actionibus: ob quas domeſticos aut aſſeclas ſuos gratis citari non patietur Legatus, memor extra juriſdictionem impune non pareri; ſaltem non citra moleſtiam, utut injuria atque iniquitas abſint.

Non exiguæ autem nec paucæ Legatorum prærogativæ ſunt. Solet enim inprimis eorum domicilio id honoris tribui, ut non ſolum domeſticis, ſed criminoſis etiam eo confugientibus, tamquam ſacra anchora, aſylum, & ara ſit. Quare nec ſatelliti aut alteri juſtitiæ miniſtro (niſi forte facinoris flagrantia enormitaſve obſuerint, aliudve Princeps aut Supremus Senatus præſcripſerint) in domum Legati impetum facere fas eſt, aut in domeſticos ejus manus injicere, niſi eo conſulto ac conſentiente. Legatus autem ægre patietur ſuos ludibrio haberi, ne prætextu quidem juſtitiæ aut executionis. Et rurſus, ſi me audierit, haud multum opis aut patrocinii facinoroſis aut exulibus indulgebit, vel temere veniam remiſſionemve extorquebit, præſertim citra ſuum juſſum commodumque reis læſæ Majeſtatis Statuſve ubi aget. Certe Principi injuſtum & crudele ducitur, ſi ſuo indulto pepercerit ſicariis, latronibus, iiſve qui non præcipiti iracundia caſuve, ſed quæſtus gratia ac præmeditato ſcelere deliquerunt. Et quomodo ejuſ-

ejuſmodi patrocinatio aut protectio honeſta cenſeatur Legato, qui neutiquam ad impediendam aut turbandam juriſdictionem cujuſpiam Iudicis aut Magiſtratus mittitur? Quid ſi immiſcere ſe reorum exemptioni velit, nec poſſit, repulſamque patiatur omnis interceſſio; dubio procul ejus Principi plurimum deceſſerit, ipſe detraxerit. Sed quid ſi ipſius Legati quapiam ope vel culpa delictum fuerit, numquid ſupplicio ſontem liberare, aut excuſare nitetur? Æquum videtur. Viſum tamen fuit aliquando, dum Legatus facinus quidem alteri juſſiſſet, jamque infortunio detectum eſſet; id adeo conſtanter pernegaſſe ac diluiſſe, ut reus graviores infelicioris obedientiæ & credulitatis pœnas perſoluerit iratis offenſis, non reluctante, ſed urgente ſceleris auctore.

Auguſtus quidem ſceleribus impunitatem, ſcribente Suetonio, præſcidit, perfugia omnia abolevit: ne in locorum ſanctitate, ſed in ſua cuique innocentia præſidium foret. Detur hoc Legato, ut iniqua ſi quis vi oppreſſus eſt, in ſacro velut lare tutum perfugium inveniat, è quo ſine permiſſu Legati extrahi non poſſit: quemadmodum à Bonifacio V. Pontifice Eccleſiis tributum eſt, ne quis inde citra Præſulis conſenſum rapiatur. Nimirum (inquit diſertus Auctor) ne calamitoſum domeſtica

inhu-

inhumanitas pellat, quem peregrina barbaries eo adegit. Rationi & naturæ conſentaneum eſt, ut qui ab hominibus ad Deum fugit, clementem eſſe Deum experiatur: offendi Deum ſciat, ſi quis in homines ſcelere quocumque peccat. Sed profecto templi imaginem domicilium Legati exhibet: ipſe, quia violari non debet, ſacroſanctus habetur. Sive nocens, ſive innocens, quicumque pœnam fugit, miſer eſt: ſed in eo tum maxime Legati quædam, ſic dico, divinitas cernetur, ſi humanus eſſe, ſi oppreſſum protegere, lapſum ſublevare poſſit: ſi dabit miſero fugienti, quod ſacra tantum limina & loca præbent. Attamen ſi ſacræ illæ & Legati ædes proponant præſtentque promiſcue ſceleribus impunitatem; næ, tutamina & receptacula latronum & nefariorum hominum dicantur, ubi perfugium tam promptum obviumque nequitiæ. Igitur, quia vinci aſylum gravitate ſceleris poteſt, etiam juſtitiæ neceſſitudine Legatus cedet: utque dignitatem tueatur, tam ſe æquum, quam mitem aut humanum oſtendet, & in publicam duci cuſtodiam noxium permittet. Interim auctor ſim Iudicibus, ut noxio capiti in tutamen Legati recepto, non facile pœnam infligant: ſed, quia ſontem merito ſupplicio eripere unius Principis eſt, hujus placitum & decretum illi exſpectabunt. Ita in-

innoteſcet, non turpi neque externa indulgentia criminis, ſed reverentia ipſius Legati, vindicta criminis abſtineri. Et pulchro mutuæ obſervantiæ certamine, quantum Iudicibus tribuiſſe Legatus videbitur, ab iiſdem recipiet; & illæſa legum auctoritate clementiam reus experietur, dum jus ſuum juſtitiæ Legatus ſubmiſit.

Eminentiam Legati quæ concernant, ſingula ſi perſequar, prolixus ſim: compendio ſubnectam aliqua.

Quamvis de jure cauponi non liceat hoſpitem ſemel admiſſum (dummodo & vivat, & ſolvat probe) expellere aut excludere (ut alterum forte opulentiorem aut amiciorem recipiat) Legati tamen favore id licet.

Magiſtratus, præſertim requiſitus, proſpiciat, ne Legatus impediatur moleſto ſtrepitu ſordibuſve vicinorum: tum ut quidquid habet mobilium, mercium, ciborumve aut aliarum rerum, a b vectigalium & portorii exactione liberum ſit & immune, nec ullo retentionis aut repræſaliarum, ut vocant, titulo vel jure ſiſti aut detineri poſſit. Habet enim, ubicumque ſubſtiterit, domicilium honoris, non oneris, Legatus.

Impetrat apud exteros Legatus, ut divino ſacrificio, juxta ſuæ Religionis præſcriptum, una cum domeſticis vacare poſſit: tum quoque exigit, ut eadem libertas domi

ſuæ

ſuæ pateat aliis quibuſvis. Super qua re graves interdum contentiones increbreſcunt.

Illud quoque Principum conſtitutionibus ſancitum eſt, ut exterarum gentium Legati, beneficium curſus publici habeant, id eſt, ut equis muliſque publico ſumptu enutritis uti poſſint, quibus ipſi ad Principem quam velociſſime perducantur. Hunc autem curſum publicum hodie Poſtam vocant; quæ ab illo veteri tantum differt, quod ad illum veredi per certa loca publico ſumptu diſpoſiti erant, ſed quibus ſine licentia Principis, ne numerata quidem mercede, privati uti nequirent.

Legatorum liberi, quos in Legatione naſci ſors dedit, patriæ ac domus ſuæ privilegiis neutiquam privantur aut excidunt. Indignum enim foret, in Regio obſequio verſantem, Reipublicæ favore aut prærogativa deſtitui, eximi vel excludi.

Si quis ſua in Legatione obierit, magno honore ejus funus afficiet Princes apud quem reſederit, quamvis etiam ab hoſte adveniſſet. Imo ait Plutarchus, Quæſtores antiquitus Legatorum ægrotantium curam ſuſcepiſſe, mortuiſque funus è publico feciſſe.

Legativum vero, ſeu nummi qui abeunti vel abſenti Legato de publico dati ſunt, & reduci vel mortuo ſuperſunt, non reſtituuntur. Stipendium quoque integrum Le-

Legatus nanciſcitur eo tempore, quo forte ergaſtulo aut morbo detentus, munus obire non potuerit.

Comites quoque & aſſeclæ, qui Legationi verius quam Legato inſerviunt aut adjuncti ſunt, quoſque negotium tanti ponderis excivit è patria, privilegiorum atque immunitatum etiam participes ſunt: cum æquiſſimum fuerit, oneris ſocios & miniſtros, honoris quoque eſſe potitores. Ideoque ſi quis eorum quempiam pulſarit aut contumelia affecerit, pari ſcelere & ſceleris lege tenetur.

Quid ſi autem infidum mare & naufragium paſſus fuerit Legatus, vel in piratas inciderit, ab omni remotus culpa & fraude? Sic quidem indemnis à Principe ſuo habendus eſt, & ab ærario refundendum quidquid perierit. Quod ſi terreſtri in itinere oppreſſus ſit, totum hoc incumbet damnum Principi, cujus in regione injuria facta eſt. Sciri hac ratione expedit, quam inviolabilis ſit, & qua ubique tutela protegi publice debeat, qui publice miſſus eſt. Sic ad Belgas, ante quadriennium, iter faciens Ill^{mus} & Rev^{mus} *Io. Franciſcus ex Comitibus Guidiis à Balneo*, cum facultate Legati à latere Nuntius Apoſtolicus, cum à Gallis ſpolium pretioſiſſimæ ſupellectilis perpeſſus eſſet; viſum fuit, nomen gentis & ſimul regionis violatum. Rex igitur ut dede-

cus

cus amoliretur, damnumque illatum reſarciret, viginti aureorum millia numeranda decrevit. Pulchrum & memorandum exemplum; niſi intra verba, hactenus promiſſum ſtaret. Licetne dicere? Obſtrictus es, ô Rex: & tibi debetur quod detractum, & inde addictum eſt, Legate. ni levius duxerimus, Iuſtum debito promiſſo innodari, quam liberari; fidem malle quam pecuniam impendere.

DISSERT. XVI.

Comites, famuli, aſſeclæ.

QUonium uniſquiſque, aliorum adjutus ingenio, judicio, conſilio, evadit ſolertior, maturior, prudentior; ſuadeo, ut Legatus in contubernium adſciſcat viros præſtanti experientia ac virtute, qui eum in arduis negotiis prompta opera ſublevent. Nemini enim uni ſimul omnia præſentia & perſpecta. Quandoque & Homerus dormit, Argus cæcutit, & ſapientiſſimus quiſque inter mortales errat, vacillat, cadit. Non etiam raro evenit, ut quædam inopinato agamus; quæ voluimus, nolimus: rata, irrita; facta, infecta cupiamus; & tamquam in bivio poſiti, quorſum dirigendum iter ſit, dubitemus: quid præſtet, cur, aut ubi hæreamus, ceſpitemus, per noſipſos ignoremus. Officioſa eorum ſocietas, qui intelligunt & volunt

ſunt benè, ſaniora indicabit, proſpera diſponet, adverſa aut incommoda diſpellet aut dimovebit, devia in melius diriget, dubia firmabit, fido conſilio, forti conatu. Oculis quiſque alienis ſeipſum acutius inſpectat, quam ſuis. Alienis, ſed fidis: unde cum ea fides in amico ſit, danda eſt opera, ut quem ſocium ſive aſſeclam, etiam amicum habeàmus. Verum enimvero hic quoque vulgatum illud obtinet, Ne quid nimis: affectum à nobis regi melius eſt, quam nos ab affectu: & pertinacius amaſſe, cum periculo ſæpius aut damno conjunctum fuit.

Nulli te facias nimis ſodalem;
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Et comites quidem, vel publicis ſtipendiis Legato inſerviunt, vel ſuis eos ipſe aſſumit; vel hi denique privatis ac propriis illum ſumptibus ſequuntur. Iis igitur qui Legationi aſſignati erunt, ſecurius fidere poteſt: omnis enim participes, ſive laudis, ſive culpæ erunt. Quare, ut hanc imminuant, illam augeant, ſumma ingenii etiam ope adnitentur; dum, tamquam vicarii aut ſecundarii Legati, ipſum ad ſe putant negotium decuſque pertinere. In horum humeros ſi partem aliquam negotiorum transferat Legatus, ex intervallo reſpirabit. Sane quia continuis fere magniſque diſtentus eſt negotiis, ſubtrahere interdum oneri caput prementi
poteſt

poteſt ac debet: ut ſic vegetiorem ſe reddat, rebus & curis parem. Etenim

——— *vires inſtigat alitque*
Tempeſtiva quies: major poſt otia virtus.

Sic viri olim Maximi fecere, natura velut præceptrice, quæ alioqui Maximos eos non ſuſtinuiſſet. Ne nimia tamen fiducia alienæ virtuti aut induſtriæ, ceu molli pulvillo, Legatus indormiat. Inexperti fidem exſuperet, quantum ſuperintendens heri oculus ſingulas ejuſmodi functionis partes decore cohærere & ſplendere faciet: imo eum quaſi juris ſui conſtituet, atque extra quamdam ſuorum tutelam.

Conſtituta jam familia occupetur, & ſuum quiſque obſequii modum finemque habeat, munus ceu palæſtram. Nimirum auris auditui, oculus viſui miniſterium præbet: nec manus valet ad videndum, auriſve ad ambulandum. Aliqui æmulationem inter domeſticos aſſectatores & miniſtros utilem aſſerunt, qua quidem quiſque obſequio & affectu conetur ſe probare & præferre. Simultas tamen in hoc ſodalitii genere periculoſa, quia maligna eſt. Qui fuerint unanimes, mandata heri ſui attentius excipient, & exequentur. Sic urgente neceſſitate, manus ipſa officio pedis recte fungetur, pes manus. Imo membris apte invicem congruentibus, opitulantibus, fiet ut pes per oculum videat, per

per pedes oculi gradiantur: aures ad oris, os ad aurium uſum concurrant & ſuffragentur.

Inter eos autem qui Legato locatitiam operam præbent, præcipui ſunt Oeconomus & Secretarius. Oeconomo incumbit quidem, ita rebus domeſticis proſpicere, ne uſpiam neceſſaria nummorum ſolutio ſuſpendatur, aut præmordeatur: tum ne externus uſpiam ſplendor atque apparatus requiratur aut claudicet. Incumbit, ut famuli præſcripto ordine & ritu obſequantur, & ne quis officiperda Dominum uſpiam incomitatum deſtituat; ſic gratis ſaginetur. Sed non Oeconomus adeo dominus domus ſit, quin temporarias expenſas & rationes perſpectas, memoriæ impreſſas habeat Herus; ut & judicium de iis ferre & proſpicere tempori poſſit. Secretarii autem munus eſt, Legati ſecreta tacere, & quæ aliorum ſunt ſagaciter indagare, ac velut odorari; tum quaſi prædivinare, quid in litterarum dictamine ac reſponſis domino in mentem venire debeat. Cujuſmodi felicem ſolertiam induſtriamque aliquando vidi & novi in eo, qui inſpectis vel ſemel litteris quæ aliunde, etiam ſuper rebus graviſſimis, adferebantur, protinus pro dignitate negotii acute, ſuccincte, ſententioſe non tardius reſponſum ſcripſerat, quam reſpondendum eſſe ſtatuerat Legatus: adeo ut hujuſce potiſſimus labor videretur,

auſ-

cultare & ſubſcribere. Sciat interim Legatus, famulis peringenioſis & nimio actuoſis non tuto omnia credi; ſincerique, licet tardioris, ſæpe utiliorem & diuturniorem eſſe operam. A magnis ingeniis, non raro aliquid ultra vel ſupra ingenium. Inquies animi, neſcio quid turbinis aut mali moris præſagire facit. Cavendum vero, ne quis Legati aſſecla aut domeſticus, fidem lucro inferiorem colat; numen non in ara, ſed in arca: ſic Legationis ſacra eliminari, profanari contingat. Eademque cura ad curſores & tabellarios ſeſe extendit, qui niſi fido ſilentio præditi ſint, Legato negotium forte faceſſant. Et quamquam ſint, qui putent Magnatibus & Principibus viris numquam miniſtros probæ indolis atque induſtriæ deeſſe, hos facile inveniri; Legatus tamen tam fatuo errori ne involuatur: tum videat, ne jam admiſſos aſpere habeat, præſertim conſcios ſecretorum graviorum. Et quamvis proverbiali opprobrio dici ſoleat; *Fidelis ſervus, perpetuus aſinus.* attamen ſi quorum grato obſequio diu fuerit uſus, eorum commodis prompte & liberaliter ſubinde conſulet; quo ceteri obſequentium non modo excitentur, ſed impellantur & inflammentur ad benemerendum. Ut vero facilius eſt, non accerſere malum, quam vincere, occurrere moleſtiis atque infortuniis, quam mederi; ita præſtat

omnino non admittere in contubernium improbos, quam laborare, quemadmodum jam admiſſi dimitti ac corrigi poſſint. Adde, quod familiæ dedecus ultimus ille novit, cujus ea eſt: & ſic quia ſerum, difficilius atque inutilius remedium eſt. Quis tam circumſpecte domi ſuæ vivit, quis tam miſere aut moroſe, ut inter ſeria jocos ſubinde interlabi non ſinat? Ea vero ſi non tutis auribus excipiantur, non benignis oculis animiſque; ſic detorqueri queant, ut & negotioſis otium eripiant, & denudari contingat quæ ne tegenda quidem erant.

——— *Lingua mali pars peſſima ſervi.*

Et ſæpe (Scripturæ textus eſt) *Inimici hominis, domeſtici ejus.* Amplius eſt, hic fidum comitem, quam æmulum fratrem, conſanguineumve Legato adeſſe: ac niſi fidi ſint & benevoli, qui eum comitantur, non raro in ipſa frequentia ſolus erit; impeditior etiam, quam ſi ſolus. Eudulius à Coſroë Perſarum Rege ſuper ineunda pace miſſus ad Valerianum, quem regendis Armeniis Iuſtinianus præfecerat; à fratre ſuo, Legationis comite, proditus eſt. Maluit ille invidi, quam fratris officium præſtare. Etenim clam cum Valeriano congreſſus, & jam ad pacem inclinato, turbavit bona conſilia, auctorque belli fuit: In anguſtiis Coſroën eſſe, filium ejus ad Regnum aſpirare, exercitum peſti-

peſtilentia confici. Hæc ubi Valerianus accepit, Eudulium pacis ſpe plenum dimittens, ſecuturos, ad Coſroën Legatos pollicitus eſt, qui rem peragerent. Miſſis igitur ad Iuſtinianum litteris, ejus mandata inquirit: ac mox jubetur in hoſtes exercitum ducere. Fraternæ æmulationis portentum! portenti exemplum.

Quia confabulationibus, congreſſibus, conviviis choreiſque tenuiorum decore immiſceri aut intereſſe ob dignitatem ſuam Legatus non poterit; (ubi tamen multa quæ alioqui laterent, odorem & colorem ſuum manifeſtant) domeſticis ejus fas erit, in ejuſmodi locis, ſine ulla aut dignitatis ſugillatione, aut inſidiarum ſuſpicione, ſeſe oblectare, ibidemque attenta mente ſagaciter explorare, quid moveatur. Ipſe autem non ſolum epulis Magnatum Procerumque haud gravate intererit, ſed tempeſtiva quoque convivia viciſſim ſubminiſtrabit. Nam præterquam, quod genialis illa hoſpitalitas, magnificentiæ & munificentiæ ejus famam pulchre ſparget; quantum ea quoque ad multorum arcanorum animorumque ſcrutinium, imo ad benevolentiæ & amicitiæ conciliationem faciat, & naſuti ſciunt hodie, & Tullius teſtatur, qui ſe hoc fine ad Cæſarem alioſque cœnatum iſſe, Q. Fratri fatetur. Ait Iuvenalis:

——— *In magna Legatum quære popina:*
Æqua ubi libertas, convivia, pocula, lectus.
Sic nimirum ut commodius ſpecularentur atque indagarent ſingula, iis olim ſe locis conſortiiſque Legati interdum ingerebant, ubi liberi & incauti circumferrentur ſermones: ut ſic captatrice & corruptrice lautitia reſcirent, quæ alioqui, ne per ſomnium, nec maximo ingenio, ne omni quidem auro, in eorum mentem aut notitiam veniſſent. Interdum quæ in conviviis per Legatum dicentur, decuplo majora atque illuſtriora judicabuntur, quia extemporanea, quam revera ſint, & quam videbuntur ſi credantur præmeditata. Hinc quoque major interdum auctoritas dignitaſque conciliatur, quam ex quæſitis veriſque alioqui demonſtrationibus, aut etiam ex negotio feliciter ſuſcepto vel geſto. A convivis interroganda potiſſimum quæ dicturi optime callent: lubentius enim, & ſine verecundia ignorantiæ, ea ipſa proferuntur, certiuſque inſtruunt. Cohibeantur hic manus ſubinde ab eduliis; neque totus animus in patinis eliqueſcat: ſed ſpargantur & excipiantur joci, à quibus facilis diductio atque digreſſus erit, ad ſi quæ alia ſolidiora aut ſanctiora.

Additur autem Legationi frequentia miniſtrorum, ut quiſquis eam viderit, accendatur ſcire, cujus ea ſit: imo ut appareat, à mag-

magno venire, ad magnum venire, qui tam ſuperflua pompa dignus & conſpicuus eſt. Ita ſunt homines: ſplendori pleraque deferunt: admirandum cenſent ſidus, cujus diffuſiſſimi radii ſunt, & inſolito quaſi lumine percellunt. Hinc magnificentia Legationis cujuſque æſtimari fere ſolet familiæ copia; anteambulonum, ſalutatorum, deductorum, aſſeclarum, ſectatorum & calonum concurſu; longoque rhedarum atque impedimentorum agmine.

Verum enimvero Legati ſuperbus apparatus, numeroſi comites & miniſtri, Principibus ad quos itur, nonnunquam inviſi ac ſuſpecti ſunt. Sic cum tres Legati Hungarici, quos longo ſuperbiæ ſpectaculo tria millia equitum ſequebantur, ad Fridericum Imperatorem Neapolim miſſi eſſent, ut diadema Regni ſui redimerent; occluſas urbis portas invenerunt; quod tam vaſta & otioſa pompa, vel majoris ſpei indicium præ ſe ferret, vel ad oſtentationem aut exprobrationem inſtituta, imo ad terrorem videretur. Illis itaque Legationis jure introitum poſtulantibus, per nuntium reſpondit Imperator; non Legationem iſtam, ſed militarem ſibi legionem videri. Neque profuit, quæ cudebatur, excuſatio; quod honorandæ Majeſtatis ac Coronæ ſacræ & religionis gratia tanto ſplendore adveniſſent; nam poſt mul-

ta, Legatus tantum unus cum ducentis equitibus intromiſſus eſt. Dux quoque Feriæ cum nuper à Rege Catholico in Galliam mitteretur, triſtem Henrici IV. mortem deploraturus, admodum magnifice, pro more gentis ſuæ, profectus eſt. Cum jam Burdigalam pergeret, præmiſſis qui hoſpitium præpararent, urbis præfectus, tamquam anguſtias oppidi accuſans, in ſuburbio locum eſſe reſpondit: tot comites, qui viderentur turmas aliquot conſtituere, tot ſarcinas ciſtaſque, quæ, inſtar equi Trojani, aliquot millia ſcloporum facile parerent, aliter recipi non poſſe. Quapropter Legationis apparatus ita moderandus, ut neque contractior ſit, quam mittentis vel ejus ad quem mittitur dignitas poſtulat; neque rurſus ita exorbitans, ut oneri magis, quam honori utrique fiat.

Ita quoque ſe gerent tanti muneris comites, ut Legationi jure tribui poſſit, quod olim laudatæ Fabiorum legioni; Unumquemque ex ea militem potuiſſe partes Imperatoris digne ſuſtinere. Sic vere comites erunt, & tamquam minora lumina reſpicient majus: virtutes doteſque animi atque ingenii, tamquam radii erunt, præſtantia ac luce inæquales quidem, attamen proximæ. Procul ab hoc contubernio ſint ſycophantæ, ardeliones, ganeones, officiperdæ, aulicæ gloriæ dehoneſtamenta, quorum probra in

Le-

Legatum redundarent. Tanti refert bonos omnes eſſe, ut vel ex unius dyſcoli atque litigioſi famuli, moribuſque externæ gentis immorigeri laſcivia, plurimum interdum turbæ oriri poſſit. Igitur quicumque Legatum comitabuntur aut ſequentur, boni ſint; coërcendi aut dimittendi, niſi ſint. Præſit advigiletque eorum moribus atque actionibus cenſor aliquis & inſpector. Si notari ſe ſciant, paulatim corrigentur. Inſitum alioqui humanis ingeniis, licentia inſolenter uti, nec ſervare modum in iis quæ extra regulam aut ſupra modum. Pulchre M. T. Cicero Q. Fratri: Domeſticorum non modo facta, ſed dicta etiam omnia præſtanda nobis ſunt. Ut enim probi prudenteſque haberi velimus, non ſufficit nos eſſe tales, verum idem quoque requiritur in reliquo famulitio. Unde talis erit Legatus (certe habebitur) quales illi, quorum moribus & familiaritate delectatur: multumque aliena hæc fama ad famam propriam. Hinc tyranni quoque olim, ut colorem virtutis & bonitatis ſibi adſciſcerent, viros ſapientia inclytos convictui ſuo junxerunt, ornatus atque exiſtimationis nimirum gratia, non auxilii vel uſus. Quaſi male de iis opinari aut judicare populus nequiret, à quibus bonos videret æſtimari. Quaſi etiam malos eſſe aut fieri neceſſe ſit, quibus cum malis bene convenit:

dum nulla inter bonum & malum ſocietas aut ſympathia. Semel dixero : Probus ipſe ſit Legatus, modeſtus, pius ; & ſuos faciet. Quod facilius ut fiat ; in larem atque miniſterium non aſſumet Legatus ſine delectu homines, quos ſola allicit ſtipendii otiive merces aut ſagina. Verum eliget fidos, ſuarum rerum obſervantes & amantes, & qui eo quoque nomine probari & promoveri percupiant. Ægre etiam admittet incolas provinciæ ubi obeunda Legatio eſt: minus eos, qui hinc profugi, ſive proſcripti, vel quovis modo extorres ſunt. Hi enim, quia odioſi, odioſum ipſum Legatum facient. Ad ſummam ; totidem is timeat exploratores, quot hubuerit non ſuos.

Sed hic præterea quædam obſervatu digna occurrunt, quippe Legati œconomiæ atque uſui conjuncta. Inprimis, ne qui Legato comites, ſocii aut aſſeclæ, fuerint adeo ingloriis moribus, turpi ſtirpe aut forma, ut exiſtimationem ejus uſpiam labefactent. Novi magnanimum & magnificum vere Legatum, qui dum haud multos domeſticos ſtipatores adduxiſſet, hoc conſilio adſcivit : Pridie cujuſque diei ſpectabiles ſex vel decem, plerumque è gente ſua, viros invitari curavit, qui ſubſequenti ejus prandio intereſſent : ſic potius convivæ, quam neceſſarii ſocii : ea tamen lege, certe conſuetudine,

ut

ut iſto die comites ei adſiſterent, ſive domi maneret, ſive rheda egrederetur. Ita fiebat, ut & novos ſubinde aſſumere ſtipatores liceret, & æmulatio quædam oriretur inter illos

Qui bona ſumma putant aliena vivere quadra.

ſic omitti poterat, ſi quis cœpiſſet diſplicere. Ne reliqui quidem pranſuri conveniebant, quoties alubi ſolus prandere vellet, vel domi ſuæ menſam aliis convivis aut ſerioribus negotiis occupatam haberet.

Epheborum, calonum & lixarum agmen, aut ſcenico quodam ordine, Legati equum rhedamve ſtipat, aut confuſe velut circumfunditur, pro gentis cujuſque patrio more. Fuit hic Legatus, qui famulos uniformi veſte veſtivit dum primum urbem ingrederetur, & ſuperbiore rurſus veſte dum in poſterum Aulam frequentaret, & nova denique dum abiret. Et tamen ubi in patriam reverſus, ad alium Principem is denuo mitteretur, ſumptu & ſplendore novo, diverſo amictu famulos induit, ne quid è priore Legatione mutuaſſe videretur.

Si quod ſuorum juſſorum operumve culpari aut reprehendi à ſuis ſenſerit Legatus; curare aut animadvertere id quidem minime videbitur, notabit tamen ut tacitam gravioris mali commonitionem: utque exploret, num ratione conquerantur aut redarguant; ſeſe eorumdem loco eſſe fingat &

ſecum ſtatuat. non alia ſalubrior tutiorve regiminis regula eſt.

DISSERT. XVII.

Corycæi.

QUædam etiam Legationis arcana ſunt, quæ niſi cautiſſima vigilique cura cuſtodiantur, arcana eſſe deſinunt,& in maximum ſæpe malum erumpunt. Qui tutam eſſe urbem vult, munit urbem: qui clauſa conſilia,domum non ſinit exploratoribus patere. Hæc incumbit Oeconomo cura, ut obſervet, ne quis ignotus aut ſuſpectus limen terat, aut furtim penetret: ne quis occultus uſpiam explorator latitet, qui ex inſidiis conſilia, dicta,facta arbitretur. Mille modis improbitas ingenioſa eſt: & audaciam ſceleſtis præmia addunt,& alienæ oſcitantiæ, tum impunitatis ſpes. Interdum penetralia domus excutienda ſunt, interdum limina & fores. Quippe nonnumquam in ingreſſu ac veſtibulo detecta ſunt, quæ clauſa & ſepulta penetralibus credebantur. Is enim mos eſt, & hoc officii munus, ut ad fores uſque vir quicumque primarius, interdum etiam privatus deducatur. Hic vero colloquii & congreſſus cauſa valedicenti ſummatim ſuggeri & inculcari quod actum agendumve eſt, denuo ſolet, noviſſimo ſermone

mone ſolido & ſerio. Fuit igiur haud ita pridem percallidus Corycæus, qui tanti putavit ſuſpecti Oratoris conſilia & ſecreta venari & vendere, ut ſagaci latibulo foribus, quæ magnifice ſemper patebant, ſeſe ſæpius abdiderit & poſtpoſuerit. Neque enim id agere deſtitit, quod hic fruſtra & faſtidioſe, nullius moræ aut moleſtiæ pertæſus, tamquam in excubiis ſtaret, aut quia plus ſemel nonnullorum exonerando lotio à capite ad calcem profunderetur, donec ædes egredientium & intrantium ſemoto(ſic putabatur) ſermone percepto,multorum arcanorum conſcius redderetur: atque ita fieret, ut quæcumque inimicus Princeps, ejuſque ſagaciſſimus Orator moliebatur aut ſtatuerat, ea præoccuparentur, præpedirentur univerſa.

Verum & Legati non infrequenter ſpeculatores ſibi adſciſcunt; & quod ſuis oculis non poſſunt, alienis inveſtigant. Ipſi nonne ut ſpeculentur potius, quam ut ullum aliud Legationis officium impleant, mitti interdum & hærere ſolent? exploratores magis quam Oratores. Sic inter aſſeclas ſocioſque ſubinde perſonati latent homines, militiæ, imo architecturæ & munitionis militaris periti atque practici,qui mœnia,valla,loca alia, peregrinis alioqui veſtigiis oculiſque præcluſa, ſcrutentur; violentiæ inſidiiſque, ſi ita occaſio feret, patefaciant. Hujuſmodi dolum

Legatio à Scipione olim ad Syphacem miſſa utiliter tegebat : ubi calonum loco & ſervili habitu centuriones , tribuni virique primariæ virtutis atque prudentiæ mittebantur ; qui dum ſua Legatus mandata exequeretur , vagi per caſtra, aditus exituſque , interſtitia & compendia itinerum , munitiones item & aggeres , ſituſque univerſos , qua Pœni qua Numidæ imbecilliores eſſent , ediſcerent : donec omnibus ſic perſpectis, tuto atque opportune Romani excurrerent , victiſque votiſque potirentur. Citeriore exemplo in hanc ſcenam prodeat Legatus , cujus tamen nomen ſilentio veneror. Is peregre viros aliquot ſecum dux t , majoris induſtriæ fideique quam fortunæ. qui quidem , tamquam vernaculæ egeſtatis velo , quæſtuſque quærendi excuſabili neceſſitate , tota Provincia divagabantur : ſic nuſquam & ubique domi erant : nuſquam non per plateas , in officinis mercatorum , in culinis cauponum hærebant , portas , atria , rhedaſque Magnatum velut obſidebant. Utque ſecurius atque pro uſu diutius ubicumque vellent , ſubſiſterent, merces quaſdam levioris pretii, ſed artis curioſioris circumferentes venum exponebant. Erat , qui modulos & rhythmos patriæ genio auribuſque ſingula admirantium , etiam pietati conformes obtruderet. Nec deerat Mimus unus , & Momus alter ,

qui-

quibus ſapienter deſipere ſtudium & munus erat. Sed Legatus non niſi unius choragi ac relatoris fide & opera utebatur: ceteros ne noſſe quidem videbatur. Modus & fructus varius fuit, non ultra hic luſtrandus. At vero quemadmodum in ea luſus ſpecie quæ Prima dicitur, è minima pictæ chartæ mica, quidquid eſt fortunæ interdum dignoſcere eſt; ſic illi è dictione ſententiam, hinc deliberationes, è geſtibus affectus colligebant. Verum enimvero, ut illi qui hac Prima contraluſores potius quam propriam crumenam fallere & fraudare moliuntur, non ſolum quidquid hic pictum eſt ſollicite occultant, ſed inſuper larva ſubinde faciem velant, ne quid veri affectus aut ſortis inde emicet; ita qui prima per Regem functione apud verſutos occupandus eſt, animadvertere debet, ut velo quodam, non illo ludicro, ſed conſtantiæ, diſſimulationis, æqualitatis, ſua & ſeſe totum obtegat & condat: adeoque ſiniſtri nihil ab aliis conſpiciatur, ne metuatur quidem, ut rebus ipſis ſuæque formæ & bonæ famæ odore atque lenocinio ſingula arrideant, donec ſe ſua circumventione præventos experiantur, ſi qui fallere parabant. Comici dictum eſt; *Doli non doli ſunt, ni aſtu colas.* Mireris impietatem hic quoque perſonatam interdum eſſe. Aulam externi Principis quidam accedens,

veſtem Eremitæ aſſumpſerat, adoptivo capillitio naſoque incruſtato exornatus: atque ita magnarum reſolutionum index & conſultor, & tamen extra ſuſpicionem erat. Adeo dextere & tecte fiebant omnia, ut hoſpitis ipſius intimi atque domeſtici non aliud crederent, quam pietatis negotium ſerio ibidem agi, & Horas canonicas eos legere qui longe alias occupabant.

Fidis autem & ſtrenuis atque induſtrioſis Corycæis non ſolum munificus & impenſe gratus, ſed pæne prodigus erit Legatus. Etenim in lucrum cedit, quod ſic impenditur. Dum Rex Catholicus à Ductore ſui exercitus rationem aliquam exigeret pecuniæ in viſitationem cujuſdam Regni erogatæ: reſpondit ille, trientem unum ſummæ totius impenſum eſſe exploratoribus, ſpeculatoribus, & conductis clam negotiatoribus; alterum, operibus piis, tamquam maxime neceſſariis ad rem feliciter gerendam ſubſidiis; tertium ſic quidem victori exercitui ſuffeciſſe. Utpote nummus numen ſcilicet eſt, eaque harba quæ homines inviſibiles, & his rurſum viſibilia & acceſſibilia omnia ad occaſionem facit. Et fortiter & ſapienter dixit Dux ille, quemadmodum fecerat. Eoque languidiores atque etiam imbecillores mihi videntur, qui cum tutandorum aut occupandorum finium ſtudio toti

inſu-

inſudant & torquentur,quædam perdere neſciunt, ut omnia recte collocentur: imo qui ſe putant perdidiſſe quidquid huic animorum negotiationi atque commercio, aut etiam Divino Cultui & Pietati tribuitur; quæ tamen vere Regiæ æternæque gloriæ pondus potiſſimum operatur.

DISSERT. XVIII.

Uxorne comes?

Optima comitum uxor eſt: de qua tamen multi quærunt, an in Legationem ducenda ſit? imo, an omnino ducenda ſit? & potius cælebs vivere debeat, qui Reipublicæ vivit? Ad Legationem igitur quod attinet; negant aliqui: quod iter interrumpi, dilatari, negotia turbari & everti, arcana debucinari contingat, per inconſtantem, forte garrulam, diſſolutam, parum caſtam conjugem: quacum neque tutus, neque ſuus ſit Legatus; bellumque, non civile, ſed familiare ſuſtineat, vere individuum ſecum ferens venditæ libertatis pignus. Nimirum, ſi ita eam duxerit, ut abductus ſit ipſe, muliebri imperio quaſi ſubjacens. Quid autem refert, inquit Ariſtoteles, utrum mulieres ipſæ gubernent; an qui gubernant, à mulieribus gubernentur? Antonius, quia Cleopatram in militarem Legationem duce-

duceret, uxorius vocatus eſt. Notatur à Virgilio:

——— *Sequiturque (nefas!) Ægyptia conjux.*

Ingens profecto viris & virtuti impedimentum femina nonnumquam adfert. Si quid etiam imperfectionis vitiive attulerit, poſt nuptias diſcitur, vix aut ſero emendatur. Tum longe peſſimum, quod niſi ſat caute duxeris, quam ſemper diligas; non medicus ullus, ne judex quidem ullus ſalutem, reſtitutionemque in integrum præſtabit pœnitenti vel decepto, ubi non ſæpius peccare licet quam ſemel. Quia autem plura conjugii incommoda ſunt, rite ſacri Myſtæ cælibem caſtamque vitam profitentur & agunt: ſic nimirum exercitio ſpiritus, tum functionibus Eccleſiæ publicis politicisque vel maxime apti.

Volunt igitur, qui hanc cauſam politicè, aut nimis politice diſputant, Legatum, ſine uxore munus ſuum obire: & ſi ſeditioſus naturæ, malive quod fertur neceſſarii, ſtimulus urgeat, vel pertinax conſuetudinis fomes urat; externa libidine voluptates ſuas explere. Sed tum videat ille, ne à pellice ea revelentur, quæ timeri poterant à conjuge. Frequenter enim illex lectus illicita excutit, non ſatis munitis adverſus hunc Sirenum cantum. Ideoque etiam Legatus, & ſi

ſi quis ei utilis & fidus comes fuerit, ignorare non debet, expugnata ſemul pudicitia muneribuſve adhamatas mulieres (quorum inprimis avidus hic ſexus eſt) aptiſſimas ſecretorum indagatrices & revelatrices exiſtere; dum apud benemerentem ſimulare aut tacere ægre poſſunt, prorſus non poſſunt. Sic nobiliſſima interdum ſtratagemata & conamina irrita evanuerunt, auctoremque ſuum inglorium reliquerunt, quia quædam matronæ, earumve pediſſequæ aut congerrones ea denudaſſent, quæ non ſolum tecta, ſed ſepulta credebantur. Quod animadverſione dignum eſt, nec tamen relatu exemplorum nimiopere odioſorum aut novitiorum opus habet.

Sunt qui ſolitarium vitæ genus moleſtum, indecens, damnoſum, intolerabile fore aſſerunt: ſociale præferunt, & uxorium comitatum probant; ut ſtato ſemel amore ſedatior ſit Legatus, ac domeſtica diſciplina laudabilius cohæreat. Scilicet, quia nihil æque ſecundum naturam ſit, quam hujuſmodi conjunctio. Vagum quidem & barbarum genus hominum indefinitos amores habet, copiam & incertitudinem prolium & uxorum: at magis compoſiti & caſti Chriſtiani, divina & gentium lege adſtringuntur, Unus Unius eſſe. Et vir quidem rebus neceſſariis domum inſtruit, bonis moribus componit, au-

auctoritate tuetur. Mulier vero vitæ omniſque fortunæ compar, ſalacis immodeſtiæ anſam præcidit, eademque illa quæ maritus foris procuravit, ſua cura & ſollicitudini domi conſervat, ornat, illuſtrat. Et reperire eſt revera feminas, quæ ſua tum ſolertia, tum continentia ſexum ipſum anteeunt, viriſque magno uſui & ſubſidio ſunt: per quas Legationes quoque ipſæ interdum ſuſceptæ & perfectæ ſunt. Bellerophon, audita Legatione mulierum Xanthiarum, Xanthiis ignovit. Hinc, ait Plutarchus, lex ſingularis apud Xanthios ſancita eſt, atque æternus honos huic ſexui tributus, ut filii Matrum, non vero Patrum nomina ſortiantur. Ad Conſtantium Imperatorem Romanæ mulieres numquid miſſæ fuerunt, & in re magna? Nonne ſolemni Legatione poſtulatum iere ut Liberius Pontifex ab exilio revocaretur? Nimirum, quaſi oſtenderent, nihil viris opus eſſe, ubi ſuæ virtuti ſequior ſexus relinquitur: occaſionem, non vero animum aut linguam deeſſe, ſi quando publice, aut agendum, aut loquendum ſit. Sane alias efficaces non ſemel, rebus quaſi deſperatis, periculorum depulſatrices, delictorum deprecatrices, amicitiæ conciliatrices feminæ fuere. Quid? harum auſpiciis imperia & ſceptra non infeliciter ſtetere & gubernata ſunt. Belgis certe (ut alios taceam

ceam populos)non infeliciter ceſſit, Feminarum regimini ex intervallo ſubſuiſſe. Conjugibus ſi quę triſtia aut incommoda obveniunt (obveniunt autem permulta, neque ulla vitæ pars aut conditio ſui laboris aut doloris expers) ſocietas lenit adimitque dimidium infortunii: ſi quæ læta; gemina eſt voluptas, quia in dulciſſimæ conjugis ſinum infunditur. Sic Legatus è curia & curis feſſus forte rediens, habet ſociam, cujus læto aſpectu & complexu recreetur, à ſeveritate velut ſecedat. Opponuntur ſolatia difficultatibus, blanditiæ curis, miteſcit quidquid aſperum aut amarum fuit. Sic ſuavior inuxore, quam in alia Venere voluptas eſt: refundit in conjugem conjux affectum, quo fruitur, adeoque ſanguinem ſanguine teſtatur.

Omnis amor magnus, ſed aperto in conjuge
major:
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipſa facem.

Omnino vel auxilium ab uxore, vel ſolatium eſt: quinimo tum ſenes uxoribus maxime indigent (venerabilis ſic fatebatur ſenex) cum minime putantur uxoribus indigere. Hipſicratea Mithridatis uxor, mariti cauſa quid non fecit? Tonſis capillis equo ſe & armis aſſuefecit, quo facilius laboribus & periculis mariti intereſſet. Quinetiam victum à Cn. Pompeio, & per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infa-

infatigabili ſecuta eſt; ut ſic vera uxor videretur. De Zenobia Odenati uxore refert Trebellius, quod eadem erat in omni fortuna: in conſiliis nec non operibus prudens: galeata ad conciones proceſſit Imperatorum more, & ſic adorata. Pro occaſione munifica, clemens, pia, & rurſum ſevera, ultra femineum modum. Venuſtate incredibili, tantoque dentium candore, ut ipſæ margaritæ viderentur. Ea quoque ejus caſtitas fuit, ut nec virum quidem ſuum ſciret, niſi tentatis conceptionibus. Illi denique Odenatus debuit quod Perſas vicerit. Ejuſmodi conſortem non licito ſolum lecto, ſed Legationi quiſque optaret. Qui uxore caret, quia domum non figit, non habet: & ſi habet, in ea moratur, non tamquam paterfamilias, ſed tamquam peregrinus in diverſorio. Suam vero quiſque indolem ac conditionem optime perpendet, uxoremne ducendam ſibi exiſtimet, nec ne? Cum enim uberem ultro citroque ſcribendi ſegetem latiſſimumque campum aperuerint quotidiana & cognita matrimonii commoda & incommoda; tum nullum in tanta controverſia videtur præſtantius conſilium, quam Metelli: Si ſine uxoribus poſſemus eſſe, Quirites, ait, omnes ea moleſtia careremus. Sed quoniam ita voluit natura, ut nec cum illis ſatis commode, nec ſine iis ullo modo vivi

poſſit;

poſſit; ſaluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati conſulendum eſt.

Poterit igitur uxorem ducere, qui Legatus erit: & obire Legationem poterit, qui jam duxit. Hoc quæritur, an comes itineris, & ſic muneris erit, quæ partem familiæ conſtituit, & jam pars viri eſt. Negabit Severus Cæcina apud Tacitum. Haud enim fruſtra placitum olim, ne feminæ in ſocios aut gentes externas traherentur. Ineſſe mulierum comitatui, quæ ſive luxu, ſive formidine, optima conſilia morentur. Non imbecillem tantum & imparem laboribus ſexum eſſe; ſed, ſi licentia adſit, ſævum, ambitioſum, poteſtatis avidum. Adde, ea mulierum naturam eſſe effutiendi arcana proclivitate; ut dubitarint multi, anne teneantur ſilentii legibus. Contra affirmabit Valerius Meſſalinus: Multa enim, rejecta veterum duritie, in melius & lætius mutata. Comitatum viri propemodum uxoris eſſe, plus levamenti quam oneris in conjugali ſocietate inveniri. Peccare interdum feminas, ſæpius viros; hos tamen peregre mitti. Male igitur eripi maritis conſortia rerum ſecundarum adverſarumque. Quid autem, ſi & ipſa conjux ægrius mariti deſiderium, quam exilium ferat? Ad rem: Proconſulem quidem, ait Ulpianus, melius eſſe in provinciam proficiſci ſine uxore: ſed & cum uxore poſſe; dum-

dummodo ſciat futurum, ut, ſi quid uxores eorum qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio & vindicta exigatur. Legato autem provincia longe gravioribus cauſis decernitur, quam olim Proconſuli, qui ad ſubditos ibat: at ille inter exteros, ignotos, ſuſpectos, ſubdolos, inſidiatores, verſatur. Itaque etiam uxor ei comes adjungi poterit, dummodo ſe publicis negotiis conſiliiſve non interponat. Sciat maritum ſuum Legatum eſſe, & maximo ſanctiſſimoque munere fungi: ſciat ſe in poteſtate mariti eſſe, nec minus Legati. Summa hæc eſto, ut pro ætate utriuſque & conditione, pro itineris diſtantia aut difficultate, denique pro negotii ſtatu, controverſia hæc uxoria dirimatur.

Anne vero Principis conjux Legationibus ſeſe immiſcebit? Profecto Romæ aliquoties definitum eſt; Feminam, abſque auctoritate atque conſenſu ſui mariti, Legatos mittendi jus poteſtatemve non habere.

DISSERT. XIX.

Legationes ad inimicos.

AD hoſtes non ſtatim Legati mittendi ſunt, quoties negotia eo inclinant. Sed callide ita cunctari expedit, ut ſimus implorati magis, quam implorantes. Adire enim, venerationis eſt & reverentiæ: iiſque

iiſque ad quos prius mittuntur Legati (ait apud Cæſarem Pompejus) videtur auctoritas attribui, metuſque eorum qui mittunt indicari. Haud dubie, quiſquis petit, inferioris perſonam ſuſtinet; qui concedit & indulget, ſeque velut exorari ſinit, validioris atque præſtantioris. Id non ignorans Arioviſtus, cum ad colloquium à Cæſare invitaretur, Legatis Cæſaris in hunc modum rêſpondit: Si *quid* ipſi à Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum fuiſſe: ſiquid ille à ſe velit, illum ad ſe venire oportere. Ut autem ab hoſtibus primum mittantur Legati, id quoque per Principes quoſdam amicos, utpote æqui arbitros & conſultores, utiliter ſuaderi & procurari, exemplis conſtat Polibianis. Hoc aſtu Aratus Achaicæ libertatis vindex, dum bello Cleomenico Peloponneſus urgeretur, eaque urbs Macedonum Regis auxilio magnopere indigeret, per Megapolitanos Legatos occulte effecit, ut ipſi Achæi per Antigonum, negotiationis hujus etiam ignarum, rogarentur, ut in ſocietatem pugnæ ac fortunæ aſſumerentur. Sed profecto ſi caſus poſtulet, omnino præſtat precando ſervari, quam ferociendo perire. Ac licet victi aut de victoria deſperantis eſſe videatur, cum hoſte ultro paciſci velle; non ſemel tamen qui ſic humilior aut benignior viſus eſt, potuit prævalere. Ergo qui aliorum Principum

opera

opera magnopere indiget, ſuaque in melius mutari exoptat, Legatos ad hoſtes emittere poteſt: forte enim quidquid petet aut ſperabit, pro votis ſuccedet, aliaque ex aliis commoda ſuccreſcent: conanti nihil decedet. Quemadmodum apud privatos diu erit, imo numquam erit, ut res per ſeſe, nulloque labore moveantur aut mutentur: manus & ingenium operi applicanda ſunt: & veluti nihil provenit ex nihilo; ſic rari & exigui ex torpore aut vitioſo pudore, metuve, fructus. Itaque ſalva exiſtimatione, & non ſalva interdum, liceat frequentius ſtimulatores alubi habere, non tantum ut in ſuo (liceat ſic loqui) mari ſedent fluctus, verum ut in alieno excitent. Nam & flabris apud hoſtes opus eſt, hominibus, inquam, turbare aptis, quos addictos rebus noſtris experiamur. Atque id genus ubi inventum atque ineſcatum fuerit, caute & oblique fovendum eſt, ut beneficia non niſi per periodos & ambages veniant, doluſque abſcondatur. Sane ejuſmodi obſequia ſumptu conſtant, &, ut tutiora ſint, occulto. Nummi tamen Legato tradantur ſine ullis labyrinthis: ne hoſti facile innoteſcat, quantum largitionibus expenſiſve ſecretis impendatur, aut impendi omnino poſſit; neve pecunia nimio multis digitis excribrata, tenuior aut tardior ad Legati uſus deveniat. Quid enim, ſi tot conſigna-

to-

torum, numeratorum, receptorum, cenſorum, cuſtodum, commiſſariorum oculis quidquam non adhæreat quidem, ſed elabatur, aut diutius inſpiciendum detineatur? tergiverſatio ipſa gravem confuſionem ac jacturam trahat? Videre eſt, urnas & ſitulas, quæ ad extinguendum incendium plenæ hauriuntur longa per manus traditione, permutatione, concuſſione, vix medium continere, dum eò perveniunt ubi aqua igni injicienda eſt. Neque patiar, Legato Ariſtarchum adjungi, qui gravium expenſarum rationem excipere debeat: id enim foret, eumdem hunc arcanis præficere, & ſimul de prudentia & integritate Legati non obſcure diffidere. & quidni pariter conſtituatur cenſor cenſori?

Cogitemus igitur, perturbationes, tumultus, ſeditiones, & inteſtinà omnia mala etiam venalia eſſe: & ut iſta impediantur, venalia eſſe negotiorum indicia atque inſtrumenta, quibus frangi & atteri res hoſtilis ſolet; quibus intelligantur conſilia, impediantur conſulta, aliaque ex aliis commoda ſuppullulent. Sanè ubique gentium homines ſunt, & ſemper aliqui mutationum & novarum rerum avidi, inordinato luxui, etiam in egeſtate, addictiſſimi; qui tædio ſuæ ſortis vulnerati, alienam ſuſpiciunt, & ne egere cogantur, perfide agere facile inducuntur.

Nimirum compendioſius autumant aqua piſcari turbida :

Vixque tenent lacrymas cum nil lacrymabile cernunt.

Infelicitas inquietos reddit. Ideoque Legatus nummum aut monile alicujus pretii ſemper penes ſe habebit; ut ſi quis ſubito proditor inducendus, explorator conducendus, aut miniſter corrumpendus, aut denique ſi quodpiam præſens periculum vel opprobrium redimendum; ad manum ſit quod ſufficiat. Quinimo Legatus hic potiſſimum munera diſtribuet: perdet nummos, ut animos inveniat: munificus erit, ſed quaſi nihil alii acciperent. Una iſta ars artium erit, ſæpe dare, & generoſe dare, & caute dare.

——— *Res eſt ingenioſa Dare.*

Auro ſcimus portas perfringi adamantinas, linguam quoque viribus deſtitui auro loquente. Demoſthenes cum Mileſiorum Legationem, auxilia petentium, infeſta preſſiſſet oratione, & poſtero die loquendum rurſus eſſet, multa lana cervices circumvolutus in publicum prodiit, nutu indicans συνάγχη, ſeu morbo gutturis, ſibi vocem præcluſam eſſe. Nimirum corruptus à Legatis erat, & quaſi medicata offa Cerberi latratus ceſſabat. Utpote qui jure & eloquio inferiores viſi erant, jam ſuperabant efficacia ingenii illius nummarii. Ideoque è concione quidam

ſalſo Iudeos, Non *συνάγχῃ*, inquit, ſed *ἀργυράγχῃ*, ſeu avaritiæ morbo & corruptela munerum, hic ſtrangulatus eſt. Nec dubitavit ipſe Demoſthenes poſtea id ſibi laudi ducere. Nam cum interrogaſſet Ariſtodemum, fabularum actorem, quantum, uti ageret, mercedis accepiſſet, & ille talentum diceret; At ego amplius, inquit, ut tacerem. Philippus Macedo dum caſtellum ingenio loci adeo munitum obſideret, ut militum ſudore & ſanguine nil ſperaretur; ac affirmaret veraciſſimus quiſque, nemini, niſi à cælo, aditum patere; quæſivit: Num ne aſino auro onuſto? Reſpondentibus, patere: Vicimus, inquit. Et ſic omnes vincunt.

——— *Divina humanaque pulchris*
Divitiis parent. ———

Et ſi quis forte Princeps, quæ inutili prodiguntur bello, in aureum hunc imbrem converteret, hoſtilis potentiæ miniſtris & proditoribus inſtillandum; facile invicta alioqui mœnia, caſtra, corda novus Iupiter ſuperaret. Oraculum antiquis fuit: Argenteis jaculis pugna, & omnes viceris. Quaſi nil imperioſius moneat aut moveat affectus mortalium, quam Dea illa, Moneta; nec ullæ machinæ validiores, quam hæc dona, hæc munera. Magnum profecto inſtrumentum rebus eſt pecunia: omnis præterea flagitii magiſtra & miniſtra; qua quidquid

hic amatur & laudatur, videtur impetrari. Pecunia inter homines ſanguis & animus eſt; quam qui non habet, nihil habet, inter vivos mortuus ambulat.

——— *Quidvis nummis præſentibus opta,*
Et veniet: clauſum poſſidet arca Iovem.

Quinimo loqui & perſuadere forſan debebit Legatus apud illos qui manibus pro auribus utuntur. Horum igitur manus implebit, ne inanes aures, averſum animum experiatur. Fuerunt Legati, qui dum diuticule apud Miniſtrum non ſat amici Regis oratione egiſſent, nec profeciſſent quidquam, ne in negotio quidem quod honeſte non videbatur poſſe differri aut negari; conſuluerunt amicum, eumque veterem aulicum, qui tandem agendum. Quibus ille: Loquamini iſti miniſtro. At jam locuti ſumus ſæpicule. Sed ſerio, iterum ille. Cumque Legati, ubi ſic multum prolocuti neſcirent, anne tarditatem, anne malevolentiam hominis incuſarent; conqueſti ſunt rurſus apud hunc amicum. Suaſit hic rurſus, ut loquerentur Miniſtro. Locuti ſumus, inquiunt, toties. Tum ille: Quid loqui? quaſi conſuluiſſet: *Celantes dabitis.* imo quaſi innuiſſet, qua ratione (muneribus & donis videlicet) negotio calcaria alaſque nectere poſſet. Parverunt: &plura quam pietierant aut ſperarant adepti ſunt, & que ne concedi quidem

quidem æquum licitumve. Heus Principes, heu Miniſtri!

Sed caveat Legatus, nimis familiaris aut amicus videri iis externæ Curiæ aut curæ ſuæ miniſtris, à quibus plurimum ſecreti ac ſubſidii emit & haurit, cum iis privatim comeſſando aut publice obequitando aut ſermocinando: quin potius, ſicubi coram aliis adfuerit, ne nimio æſtimare, vix noſſe eos videatur. Hic fide comites, cryptici codicilli, nocturni & ignoti, mutato nomine & amictu, congreſſus valeant.

Ceterum eo aliquando fine Legatus ad hoſtem mittitur, ut ſubdola cunctatione detineri is poſſit, atque interim perfici quod ipſi molimur. Hic aſtus Tulli Hoſtilii fuit, quo C. Clulii; hic Agathoclis, quo Brutiorum; hic gentis Achææ, quo Legatis Romanorum os ſublinitum fuit. Themiſtocles Athenienſibus ſuis auctor erat, ut urbis muros, quos juſſu Lacedæmoniorum dejecerant, inſtaurarent. Eo rumore pervulgato, miſſi ſunt Athenas Lacedæmone Legati, qui interpellarent. Themiſtocles alium quam pro voto Reipublicæ eventum timens, non interrupte agendum ratus, Legatis abrupte reſpondit; Ituros Spartam qui ea de re conſulerent. His ita dimiſſis, ac Legationis exſpectatione deluſis, hortatur ſuos, ut ſtrenue opus maturent. Deinde

ipſe in Legationem proficiſcitur, ſed lentam adeo & diverticulis circumductam, ut ſpatium conſummandæ munitioni ſufficeret. Auxit itineris moram exſpectatio quædam mandatorum & ſociorum, mox ſimulatio morbi. Cum interim nuntiatur Spartanis, mœnia Athenis ſurgere; denuo mittuntur Legati, ad rem inſpiciendam. Tum clam ad ſuos ſervum mittit Themiſtocles, monetque, uti Legatos vinciant, pignuſque teneant, ne in ſe gravius conſulatur. Sic tandem à Themiſtocle ſero intellexere Lacedæmonii, jam non muniendam, ſed munitam urbem eſſe: ut nimirum Lacedemonii, non tam in vicinorum imbecillitate, quam in propria virtute vires ſuas collocarent. Fieri itaque poteſt, ut Legati hoſtium neque audiri neque admitti magnopere contendant; imo vero id magis, ut interea aliquid temporis elabatur, quo ſubdole quid conſtruant vel evitent. Cui calliditati ac tergiverſationi, non ſocors Principis decretum opponendum eſt, ut mature ſciatur, cur venerint, quid velint. Singulare extat exemplum Senatus Romani in Eumenem Regem. nam cum data dicendi atque exponendi facultate, animadverteret, eum ſubticeſcere, excedere templo juſſit: addens, abſurdum eſſe, ignorare Regem quid ſibi opus eſſet, ac quare veniſſet. Mox itaque per Prætorem revo-

revocatus fuit, & ſic coactus expromere & effari quæ vellet. Utpote dum hoſtium advenere Legati, ſubinde è veſtigio, & dum adhuc fere anheli, quod in mandatis habent Principi exponere atque enuntiare jubentur; eoque citius quo magis creduntur imparati. Alioqui è longinquo advenis defatigatiſque ſpatium indulgeri ſolet, ut ſe ſuaque colligant & componant. qui tum quidem, ut nihil temporis ſine fructu elabatur cunctando, ſuper ſingulis conſultant & circumſpectant. Et rurſus, ſi ex more atque præſentia ejuſmodi Legatorum, Principis in ſpem cujuſpiam commodi vocentur, nec ullum immineat periculum; ſolet de induſtria id quoque effici, ut tardius ad ſuos revertantur. Cujuſmodi conſilio Perſæ Martinum à Romanis Legatum, de pace agenda ad eos miſſum remorati ſunt, ac pacem ſimulantes tantiſper ſermonibus blanditiiſque diſtraxere, donec opere, quod adverſus hoſtes conſtruebatur, abſoluto, manifeſte concordiam recuſarent.

Quod ſi vero ea intervenerint aut acciderint, quæ magis ſeceſſum quam acceſſum Legato ſuadere videantur, ſubducit ille ſe ac revertitur: & quod olim poëtico Mercurio tributum eſt, alas & talaria pedibus nectit, ut non ſolum abire, ſed avolare poſſit. Inſalutato tamen hoſpite diſcedere non decet, niſi hoſtilia in perſonam ſuam perpetranda

præſciret. Honeſtas ſiquidem præſcribere videtur, ut ſub quorum protectione incolumis ſteterit Legatus, iis inſciis nec valedictis itineri ſe neutiquam committat. Scio ego, externum Principem ægerrime tuliſſe abſceſſum Legati, qui petita tertio diſceſſus facultate, nec impetrata (ſcilicet admiſſio qua diſceſſus indicaretur, continuo negata fuerat) tamdem diſceſſerat. Gravis nimirum ad Legati dominum expoſtulatio veredis miſſa fuit, priuſquam ille ad aulam pertigiſſet, ſuper ejuſmodi vituperio atque inſolenti animo, quo negotium quod agebatur odiſſet, implicaſſet, evertiſſet. Quid alter Princeps? juſſit eum ab conſpectu ſuo quadraginta leucis aliquandiu abeſſe, quamvis alioqui pro Legatione ſua ſplendide ac generoſe omnia, nec imprudenter ſeſe geſſiſſet.

Igitur cum ficte & fraudulenter Legati hoſtiles veniunt; faciet is qui aditur, ut quamprimum auditi, vel, ſi expediat, inauditi, diſcedere jubeantur. Dimittantur tamen, non dejiciantur, additis quoque in ultimos uſque fines conductoribus. Nimirum ut & arbitros habeant, & hos velut cuſtodes: atque ita ſecuritatis velo dolus & machinatio omnis arceatur. Omnino quamvis non vocatus venerit, ac ne optatus quidem, tutus ſaltem abeat: ita detuliſſe Legato videbimur, quantum

tum negatum eſt; & dum cauti ſumus, ab humanitate non diſcedemus. Quin vero dandum hoc Iuri gentium, ne facile excludatur Legatio, vel repellatur. Solent & plerique hodie, Legatis ſuis per loca inimica ituris, liberam profectionem (ſalvum conductum vocant) petere, & ſic quoque pompam negotii augere. Unde ſi quid ſiniſtri aut adverſi Legato inique acciderit, totam in gentem atque gentis Principem culpam converti diſſerui. Scimus profecto, quantum vel ſola ſuſpicio, utut cæca, nuper de Legato Regis Franciſci I. ad Turcarum Imperatorem in itinere interfecto, famam Caroli V. ſtiterit, alioqui inclytam, terrarum orbe majorem. Verum enimvero quia interdum expedit, Legatos clandeſtine iter facere per hoſtilem ditionem, ſive ut quid animadvertant, & tamen ignoti ſint; ſive quia alioqui ſecuritatis litteras petere ſit inconſultum; videriInt ipſi ſic eant, ut proſpere etiam perveniant: hoc enim, quia non tam in manu prudentiæ eſt, quam in fortunæ temeritate poſitum, vix probari poteſt ſine aliqua exceptione felicitatis. Interdum timere qui didicit, periclitari dedidicit. Alioqui quando itinera infeſta aut periculoſa; item quando acerbius quidpiam & ſine diſſimulatione denuntiandum eſt; litterarum, non Legatorum uſus eſt; calami, non linguæ: quippe

charta, nec rubori, nec timori obnoxia eſt. Quod ſi adeunda gens, non inimica ſolum, ſed fera & fallax, aut etiam irritata & offenſa; vereor ne veniam quidem atque fidem publicam impetraviſſe ſatis ſit. Sed obſides quoque exigere conſultius; præſertim ſi communis negotii cauſa Legatio ſuſcepta ſit. Periculum namque, ne ſi cautum nobis non ſit, Legati noſtri detineantur, atque in conditiones iniquas & nocituras cogamur diſcendere. Satis id exemplo ſuo docent Irene & Conſtantius, qui cum ad Aaronem Arabum Principem Legatos præpropere, & obſidibus non exſpectatis, miſiſſent, de pace acturos, fidem barbaram experti ſunt. Aaron enim, quia in poteſtate ſua Legatos habuit, ſuo arbitrio, pacis leges non pactus eſt, ſed poſuit: prorſus tamquam pignus pretium aliquod cauſæ addidiſſet vel extorſiſſet, ſingula tanti vendidit, quanti libuit.

Solent vero Legati majorum Imperiorum etiam ad hoſtes tam fidenter quandoque proficiſci, ut & veniam & fidem peti conſuetam negligant. An tamen admittendi? ſi ita videbitur: ſin minus; impedimentum quæſitæ objiciant cauſæ. Annibal Saguntum obſidens, cum intellixiſſet Legatus Roma adveniſſe, obviam ad mare quoſdam è ſuis miſit, qui dicerent, nec tuto eos adituros inter tot effrenatarum gentium arma, nec

ſibi

ſibi in tanta militiæ mole integrum, Legationes audire. Sic propemodum Livius: à quo diſſentiens Zonaras, Annibalem ſcribit ſubmiſiſſe quoſdam, qui ſimulata in Populum Romanum benevolentia, ſuggererent à caſtris Imperatorem abeſſe, nec quo perrexiſſet ſciri: proinde prudenter facturos, ſi iter ad ſuos remetirentur, adeoque diſcrimen quod à milite feroci immineret, declinarent. Ita aſtutus vulpio, odium inhoſpitalitatis, hoſtilitati ademit, imo gratiam ſolliciti affectus appiuxit vel prætexuit.

Quia autem nihil non dependet à præſcientia ac velut præoccupatione conceptuum atque conatuum ejus qui conveniendus aut circumveniendus eſt adverſarii; inprimis utile fuerit in hoſtium caſtra Legatos aut nuntios mittere, qui explorent & obſervent ſingula. Errat, ait Polybius, qui putat, aliquod Duci magis proprium aut potentius officium eſſe, quam conſilia & animos hoſtium intelligere. In ſphæriſterii, palæſtræ aut gymnaſticæ exercitiis, non ſufficit animadvertere ac ſcire, quid ipſe agas; ſed requiritur, velut divines atque prævideas, qui acturus ſit colluſor. Quotieſcumque admittuntur hoſtium Legati, aut congreſſus habetur; locus, tempus, comitum numerus conſtitui ſolet, totiuſque adeo negotii ſpecies præfiniri. quæ ſingula non ad

S 6 digni-

dignitatem modo referri diximus, ſed etiam ad ſecuritatem.

Dissert. XX.

Interdum doloſæ.

AB hoſte autem quis hoſtilia non metuat? Sane hic quoque ſimulatio niveam Mercurii virgam inficit. Etiam qui nocebit, blandus eſt; ſed ut facilius noceat: offert pacem, ut bellum moveat: petit fœdus, ut damna inferat. Cave Princeps, cum ſic adiris: imo quia plerumque ſic adiris, ſemper cave. Non poteſt tuta eſſe fides, ubi timenda calliditas eſt. Audi orantis verba, non ſemper ſequere.

——— *Fallunt animi ſub vulpe latentes.*

Sæpe & cælum mentitur, quidni & ingenium hominis? Sæpe decepturo lumine ſolum illuſtratur, quidni & ſolium? Quoties per nubium, ut ſic dicam, vallum pallidior ſolis vultus emicat, pluviam minatur. Sed non minus imbrium atque hiemis horrore annona producitur & perficitur, quam riſu ſolis aut Favonii. Prorſus & in Caduceo, & in Legato eſt quod timeas; & tamquam poſt caliginem ſpurio quodam colore ſerenitas allubeſcit. Ut rem ſimpliciter dicam; Sæpe pacis verba, prælii virulentiam tegunt: & aliud qui miſſus eſt loquitur, aliud qui

miſit

miſit molitur. Sic quidem ſubdolæ induſtriæ inſtrumentum eſt, qui felix eſſe & dici vult Legatus. Ut non mentiatur, mendacium tamen dicit: eoque pro medicamento, ac velut inſtrumento aut ſimulacro virtutis, utitur. Sed quid hoc aliud, quam ſtratagemata adhibere, ut par ſit votis eventus, non oratio aut actio veritati? Demetrius Moſcoviæ Princeps cum à Bori tyranno ſpoliatus eſſet Regno, ac tandem intellexiſſet, urbem Cromum, ultimam fortunæ atque potentiæ ſpem, obſidione cinctam laborare; litteris, quas intercipiendas ſciebat, ſignificavit, ſeſe propediem miſſurum ſuppetias quadraginta millium militum. Terror in verbis erat: nam vix tot denos habebat armatos, quot millia nominaverat. Sed Boris mendacio deceptus, ſolvere obſidionem maluit, quam vim exſpectare: non fidebat fortunæ, quæ juſta cauſa deſtituta erat; non fidebat militi, qui fortunam ſequebatur. Similis olim Iugurthæ excubitor dolus, ſolers verſutia fuit, qui ad Aulum Proprætorem, cum nullum periculum eſſet, ſupplices Legatos miſit, & ſpe pactionis (ut eſt apud Saluſtium) exercitum Romanum primum muneribus corrupit, deinde armis oppreſſit, adeoque ſub jugum miſit. Omnino ſuſpecta eſſe Legatio poteſt, quoties ſubdolum vafrumque hoſtis ingenium eſt, & quale Iu-

gurthæ fuit. Atq; tum, aut dolis doli ludendi *ſunt*, ut ſimulatione impoſturæ retundantur; *aut* certe, antiquitatis exemplo, obſides petendi, ut etiã conſilia auſcultantis in tuto ſint.

Si doli placent; non inconſultum Grimoaldi Longobardorum Regis facinus dixerim. Is imparatus ad bellum, cum Hunnorum Feciales veniſſent, & timendi viderentur; copias & terrorem inſigni ſtratagemate mentitus eſt. Delectum habuit, atque eoſdem milites diverſis inſtructos armis, ſæpius, tamquam novos, juſſit decurrere: quo aſtu citius diem quam numerum finire potuit. Converſus interim ad Feciales qui ſpectabant; His, inquit, choragis Hunnos tripudiare & decurrere docebo, niſi è finibus meis actutum diſceſſerint. Attoniti Legati abeunt, & pari metu Regem ſuum exercitumque implent. Itaque tamquam potentiæ cederent, hoſtiles omnes copiæ ſine bello diffluxere. L. Manlius & Attilius è Græciæ Legatione Romam reverſi, in Senatu gloriati ſunt, ob deceptum ſpe pacis & induciarum pacto Regem: ibidemque hæc verſutia plurimorum calculo comprobata, & Nova Sapientia nuncupata eſt. Audiamus Ciceronem ſibi blandientem: Populo impoſuimus, & Oratores viſi ſumus. Zopyrus, unus è ſeptem proceribus Perſarum, naſum & aures ſibi abſcindi voluit: id ſe à

Dario

Dario Rege ſuo injuſte perpeſſum ſimulans, & nihilominus jurans, ut fidem apud Babylonios inveniret, omnemque machinationis ſuſpicionem tolleret. Quoſdam etiam Darii milites interemit, commeatus intercepit, ſeque odio & contumelia Tyranni dignum jam oſtendit. Ergo exercitui Babylonico præficitur; quem Darii partibus ilico adjunxit, urbemque Regi ſuo tradidit. Quæ non ejuſmodi artes perjuri Sinonis, Maroni celebres, queis inimica Græcorum arma non intromiſit ſolum, ſed ipſa induit, & introduxit Troia? Non abſimilia ævum etiam noſtrum ſpectavit & ſenſit; plura ſperare poteſt, etiam metuere.

Cautionis ſumma eſt, Legatis non ſtatim credere, ſed externæ verſutiæ domeſtica ſagacitate velut occurrere. Quod ſi de pace aut fœdere agatur; quæcumquè ad bellum faciunt, præparanda ſunt: agenda omnia majori etiam cura. Mendaci Mercurio Mars opponi debet, fallenti Minervæ ipſa Bellona. Sic magni olim Reges & Populi humaniter exceperunt Legatos hoſtium, de pace egerunt; ſed ut nulla interim munimina aut exercitia exercitui adimerentur, vel intermitterentur. Philippum Mediolanenſium Ducem hic mireris quoque: is in rem ſuam callidus, quia alienum ſe ab armis oſtendit, felicius pugnavit, Cum Florentinis

res

res erat, qui ut facilius imperio ſuo Piſanos adjicerent, miſerunt Legatos ad Philippum, rogaturos, ne auxilio ſuo eam urbem tutaretur. Philippus benigne audiens, licet infeſtus Florentinis, quorum imminuere potentiam ſtatuiſſet, reſpondit, ſibi in poſterum non bellum, ſed pacem placere: quod ne fruſtra videretur dicere, milites omnes quos ad manum habebat, ſacramento abſoluit ac dimiſit. Legati, obſequium non modo addictum, ſed jam præſtitum rati, gratiam Duci agunt, ſuos gaudio & ſecuritate implent. Dux interim ad Franciſcum Sfortiam, qui Parmæ erat, litteras miſit, ut militem hunc ibidem conſcriberet. Conſcripſit, & cauto conſilio fingens ſe Neapolim eas copias ducere, Piſam progreſſus eſt, Florentinoſque imparatos fudit & fugavit. Nimirum hæc Philippi pax erat, dare Piſanis libertatem, quam ad ſe transferret. Sed quemadmodum Florentini, ſic & alii ſæpe populi, quia nimis creduli facileſque, primum verbis decepti ſunt, deinde armis victi. Vaframentum autem mittentis ſive miſſi in principio animos ſumit, & explorat, quantum nequioribus artibus fortuna conceſſura ſit. Si facilem deprehendit viam, circumducit caſſes & laqueos, atque occaſionem tantum nocendi exſpectat. Quod ſi nulla arte velari fallacia queat; dubitare, timere hoſtis incipit,

pit, & ſenſim ad ſaniora conſilia, imo ad obſequia ſe flectit, prudentiæ velut ac juſtitiæ objectæ cedens, dum potentiæ impar eſt.

DISSERT. XXI.

Per Legatum bella.

MAgna eſſe Legati negotia hinc ſtatuas, quod vel de bello, vel de pace, vel de induciis plerumque agat: è quibus ſingulis Regni incolumitas auctoritaſque ceu fonte profluit, & dependet. Gloriatur Tiberius ad Germanicum ſcribens, ſe novies à Divo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quam vi perfeciſſe. Et glorioſa profecto imperia & cumulatiora laudibus ſunt, quæ incruentis conatibus obtinentur & parent. Si quid Princeps ſibi aſſerere, alteri adimere ſtatuerit, ſive quia id ſibi jure deberi exiſtimat, ſive quia id nimia opportunitate arridet, & oportet habere: ſi nihil profecerint amicæ Legationes, non ſpecioſi quique prætextus, aut pollicitationes, compenſationeſve, ne interceſſiones quidem aliorum Principum; non protinus ſemper armis agitur, ſed interdum contentio arbitris committitur, ut cauſæ judicibus. qui tum, quoad fieri poterit, etiam per Legatos demerendi, emendi ſunt quocumque artificio ac pretio: quod ſumptibus moleſtiiſ-

ſtiiſque bellicis ſemper longe mitius erit. Et tamen quia ejuſmodi arbitrariæ definitionis favor & executio à placito aut patientia illius potiſſimum dependebit, cui ea gravis videbitur; conandum Legato, ut ipſos ſimul arbitros in defenſionem datæ auctoritatis dictæque juſtitiæ trahat.

Bellum, vel ſuadet Legatus, cum pacem inutilem atque inhoneſtam putat, vel nuntiat: quod olim proprie Fecialis munus erat, ritibus quoque ſuis, & quadam velut religione peculiariter definitum. Sive autem hoc agitur, ut quod cœptum eſt bellum extendatur, ſive quod non fuit, incipiat, ſuadela opus eſt atq; ſolertia. Si feliciter cœptum; ſtimulari audientis debet animus; ut fortunæ inſiſtat hactenus invitanti. Si infeliciter; erigi debet, ut credat melioribus deinceps auſpiciis res adminiſtrari & ſuccedere poſſe. Quinimo præſtare, cum honore ſemel cadere, quam cum ignominia imbecillo pede ſtare quidem, ſed ſervire. Cadere autem non poſſe, quem Bona Cauſa, & Dominus ſabaoth, tum Principis ſui favor, ſuſtentant. Addet Legatus: Sua retinere, privati eſſe hominis; de alieno certare, generoſi Principis: fortis, cum ipſa difficultate animum armare, augere; magnanimi autem, non imitari cochleas, quæ quantum libet læſæ teſtas non egrediuntur. Itaque animis opus

eſſe,

eſſe, deinde pecuniis: harum quoque præ copia modum valere. Sic eſt: non qui plura, ſed qui rectius expendit, potentior eſt. Docuerunt nos hoſtes, maximas gazas frugalitatem & ordinem in gazis eſſe. Quid? maximos exercitus hactenus non magna pecunia alverunt; publicam, non privatam, quam quiſque adminiſtravit, cenſuit. Hinc ſtipendia facilia, quia per paucorum manus derivata: perſoluta, quia non magna. Miles autem, quia exigi nihil poteſt, & quia extra neceſſitatem vivit, diſciplina coërcetur. E contra inordinata omnia timentur in iis, & ab iis, quibus plus addicitur, quam perſolvitur; nec perſolvitur niſi per ſeditionem. Sic quidem de pecunia belli nervo, & quæ ſingula mortalium bella facit, Legatus diſſeret: quomodo de Fortuna? mutare vultum prout fortem aut timidum adſpexerit: favere, ſi generoſi ſimus, ſi conſilio & prudentia utamur; averti & infeſtam eſſe, ſi degeneres, ſtupore metuve admiſſo, viribus diffidamus. Præterea blandum inimicum eſſe, pacemque quærere, ut magis noceat: exſpectare vires, ut bellum inſtauret; & occaſionem, ut ex improviſo incurrat: præſentem quietem, obventuræ inquietudini prænunciam jungi; relinqui fomitem qui in flammam incendiumque erumpat. Si ſapimus, extingui debere quidquid ignem occulit aut continet.

Nam

Nam qui ſemel nocuerunt, eoſdem animos in omnem belli occaſionem deinceps ferent. Quod ſi damna paſſi; nocendi deſiderium ſub pace non pace alent. Etenim ut in corpore humano poſt vulnera cicatrices hærent; ita in hoſte quem læſeris, damni dolore ſublato, tamen memoria durat, nec ſine ultione extinguitur. Neque jam audio hoſtes pacem petentes, & velut ſubmiſſos. Nam quia petunt, vel debilitatem ſuam confitentur, vel fraudem tegunt. Si debilitatem confitentur; eccum occaſio res noſtras æternum & glorioſe firmandi: ſi fraudem tegunt, ad conditiones admitti non debent. Verum à pace ad bellum fors ægrius traducuntur animi. Ergo hic ſe Legatus Oratorem oſtendat: quæ pro rerum circumſtantiis depromi poterunt argumenta ad gloriam & ſalutem publicam, ſurſum deorſum voluat. Et certe Perſarum Imperium armis partum longior quies & otium delevit: Græcorum ingentes opes eadem diuturnitas pacis afflixit: Romana Reſpublica ipſa ſecuritate evanuit. Subacta enim Imperii æmula; virtutis vigil ſtudium elanguit, luxus, ſtoliditas, ignavia diſciplinam domi militiæque corruperunt; ut plus everſa nocuerit quam adverſa Carthago. Epaminondæ ad Thebanos ſuos vox erat: Paratur pax bello: ſi Principes Græciæ eſſe vultis, militandum vobis

vobis eſt; prælio opus, non palæſtra. Sapientis ita Principis fuerint, non in diem vivere, neque quæ ante pedes dumtaxat videre, ſed in pacatiſſima malacia de tempeſtatum turbine cogitare, in otio de negotio, in copia de inopia: & quaſi hoſtis ſemper adventet, numquam non aptare, acuere ea arma, quæ, ubi opus fuerit, ſuum uſum & vigorem monſtrent. Et quanto conſultius non otioſis illis uti, quibus imperii omnis amplitudo atque poteſtas parta ubique & fundata? Quid? quod fatalis, profecto ſemper talis, humani cerebri æſtus aut morbus eſt, ut ſine diſſenſione durare omnino non poſſit.

Ut turbentur autem atque invadantur aliorum Regna, ac bella ſuſcipiantur; quemadmodum prætextus raro deſunt, ſic obvii & aptiſſimi cenſentur; injuriæ vindicta, quam dulciſſimum animo cibum ille nuncupat; & adeo quidem, ut negarit Vitellius occiſi hoſtis cadaver male olere: Depulſio quoque Tyrannidis; cujus ergo, reperire fuit nonnullos, qui ſcribere auſi ſunt, licere etiam privato Tyrannum interimere: Petitio dotis aut hereditatis: Libertatis aſſertio; quam nemo paulum generoſior niſi cum vita comparat, nec amittit niſi cum vita: præterea Neceſſitas Fidei aut Religionis tuendæ; pro qua non fortunas modo, ſed & animas ponere pulchrum. Profecto nil aliud prom-

promptius aut potentius ad imperia diſcutienda (& hoc à Magno Scribanio mutuare non pigebit) quam ubi Pietas & Deus, Magna Nomina, præfiguntur improbæ ambitioni; Religio, inquam, ſanctus titulus, pravæ rei. Sub hujus aquilis ſceleſtiſſima quæque, cæleſtis zeli & valoris laude contingit celebrari & graſſari. Scilicet prægrande ſeriumque verti negotium, nec quemquam in opere ſalutis mentiri aut etiam falli velle, ubi pro Anima & Æternitate ſtandum eſt, arbitramur. Et vero Religionis antiquæ mutatio quantam in Republica Status mutationem inducat, aliqui hodie Populi docent; qui poſtquam ſacris Majorum ritibus parere dedidicerunt, Legitimo Principi ſuo Rebelles eſſe didicerunt. Libertatis nomen longi teſſera belli facta eſt. Sed nomen: ſerviunt, ſi res dicenda eſt, quia non ab uno jam premuntur. Bis miſeri, quia Privilegia patriæ in onera pugnando commutarunt. Si hoc ſatis eſt, Principem non habere; potius ducent, infelicitatem admittere, quam agnoſcere. Profecto, quemadmodum res ingentis motus, nec ſubito quietem recipiunt, nec medelam; ſic ut ejuſmodi commoveantur, ea Sapientia opus dixero, quæ hujus calami cuſpide potentior, à ſummo Rege Regum petenda.

Verum de bello omnis hæc conſultatio eſt; An utile? deinde, an facile? poſtremo, an

an juſtum? Quod præcipuum, hic ultimum eſt: quaſi juſtum fiat, ſi utile facileque fuerit. Invertet, ut dixi, hanc ſcenam Princeps. Si bellum juſtum erit, videat, an utile futurum ſit, deinde an facile geri poſſit. Malit autem Principi ſuo Legatus injuſtum diſſuadere bellum, quam hoſti nuntiare. Præſtat enim Legatum non eſſe, quam bellum iniqua cauſa naſci: non pugnare Principem, quam injuſte vincere; imo non vincere, quam injuſte pugnare.

Quæ autem diſſidia Principum conſultatio præcedere debeat, Verbo Veritatis Euangelicæ edocemur: *Rex iturus committere Bellum adverſus alium Regem, ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit adſe, Alioqui adhuc illo longe agente*, LEGATIONEM *mittens, rogat ea quæ Pacis ſunt.* Quod ſi ipſam quietem ſuorum metuat Princeps, externis illi bellis exerceri, & ſimul contineri poterunt, domi ſecuram pacem colet. Patiatur interim (non enim dicam, curet) ut vicini ter ſe diſſideant, armiſque collidantur, viribus ſic quidem imminuendi. Diſabulus Turcarum Dux per Zemarchum Legatum Juſtini in vicinos Perſas concitatus eſt. Sic & Juſtinianus Galdiachum Antigororum ducem in Zobellum impulit; Hunnos nimirum in Hunnos, ut mutuo morſu dilaniarentur, do-

domeſticam vero quietem potentiamque ſuis firmaret: ſic Imperium metu eximeret, ſpe erigeret. Ita ut potentiæ Regis Catholici obviam eatur; nonnulli Principes, odioſis quantumlibet Populis, ad rebellandum nummos viroſque ſuppeditavere, quo ipſi interea pinguiori otio domi fruerentur. Sed qui alterius rebelles auctoritate ſubſidioque defendit Princeps, nonne ſuos ſubditos rebellare docet? Interea ad pacem commercia confluunt, Martem Mercurius averſatur. Deinde alia arma, alia pacta ſunt; & emere neſcit, qui conſuevit rapere. Ubi igitur neceſſitatem bellum fecerit, petent è vicina regione, quæ domi flamma belli abſumpſit, aut requirit; & pecuniam, merces, fortunas illaturi, ſua miſeria alterius felicitatem augebunt. Creſcent vectigalia, creſcet ærarium; & ut ſumptus fovendis armis ſufficiant, majora emolumenta commerciis abundabunt.

DISSERT. XXII.

Deditio.

INfelicem belli exitum prævenire Deditione licet: quæ conditiones quoque ſuas habet, per Legatum tractandas, ut nimirum liberum civibus ſit, vel ſalvis ſarcinis migrare, vel manere, bonis per militem aut

aut fiſcum neutiquam turbatis: liceat autem militibus cum armis diſcedere, tormenta bellica naveſque avehere. Quemadmodum autem Iuriſconſultis, miſerabile refugium atque remedium ceſſionis nuncupatur; ſic deditio non poteſt videri non miſerrima, quæ arbitrio hoſtis concedit omnia: cum qui neceſſitati cedunt, miſericordia potius, quam ullo ſe ſperant jure ſalvos fore. Rurſus hic Legatus civium omnium conditionem, ſuam putabit, & pro occaſione aut culpa orationem formabit: Ni veniam impetrent, ſupereſſe deſperatis arma & animos ad cladem, ſi extrema cogantur ſuſtinere. Satius victoriam, quam vindictam ſpectari; gloriam, quam crudelitatem. Victoriam, quæ non punit hoſtes, ſed obligat. Hoc demum vincere eſſe, nolle malefacere cum poſſis. Quid etiam? in libertatem niſi veniant, aut in gratiam admittantur; adfore auxilia tores, qui oblatis conditionibus læti patrocinium præſtent, preſſos ſive obſeſſos metu & periculo ſoluant. Carolus Siciliæ Rex, quia deditionem Meſſanæ, quam dedititii æquis conditionibus per Commiſſarios offerebant, amplecti noluit, cruentæ ultioni ac direptioni inhians, urbis ſpe etiam Regno excidit. Gandenſes obſidebat Ludovicus Maleanus, & quia fame & ferro undique premebat, cum iis paciſci recuſavit, niſi ſubirent leges

ingenuis indignas. Quid illi, ſervituti neutiquam addicti vel aſſueti? ad audendum inhortantur invicem: & quamvis ut imbelles urbis incolæ, ac veluti ſpontanea victima proruerent in hoſtem armatum; quinque tamen ex iſtis millia, triginta militum millia fundunt.

Vitæ ſalutiſque primæ pactiones ſunt; tum fortunarum; demum legum & privilegiorum. Quoties de Religione agitur, gravior fere difficultas eſt. Hic vitam plerique, hic ſalutem, & quidquid æſtimari poteſt, computant. Et recte. Salvi enim eſſe non poſſimus, niſi Religionis ſanctitas imminuta maneat; ſacra, templa, cultuſque Dei illæſus. Solemni apud Romanos formula deditio fiebat, tali modo: Tarquinius Priſcus Rex Romanus Collatinos interrogabat, quorum urbem obſederat: Eſtiſne vos Legati Oratoreſque miſſi à populo Callatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? Reſponderunt Legati: Sumus. Eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditiſne vos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaque, in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. Satis hoc erat, Recipio: & vel ſine conditionibus parci urbibus populiſque debet, etiam militibus, qui voluntate concedunt in deditionem. Sic Scipio, captis Aſdrubalis caſtris, nihil hoſtile

ſtile fieri in hoſtem voluit: inſigni exemplo oſtendens, pulchrum eſſe vincere, quos ſervare poſſis. Cum Phocœa urbs dedita Romanis eſſet, & ſigna inferrentur; pronuntiavit Prætor, parci ſe deditis velle. Ruentibus nihilominus ad prædam militibus, reſiſtebat, acclamabat; Captas, non deditas diripi urbes. Digna vox, quæ ab omnibus, qui caſtra præcedunt aut ſequuntur, audiatur. Sed ut deditionis fides integra ſit, quantum fieri poterit, curabit Legatus, & in hunc finem obſides dabit, & viciſſim accipiet.

Qomodo quidem offeratur Deditio, ſatis ſic manifeſtum eſt: quomodo poſtuletur, Plautus in ſcena oſtendit:

——— Ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes,
Eos legat: Teleboïs jubet ſententiam ut dicant ſuam:
Si ſine vi & ſine bello velint rapta & raptores tradere,
Si quæ aſportaſſent redderent, ſe exercitum extemplo domum
Reducturum, abituros agro Argivos, pacem atque otium
Dare illis: ſin aliter ſient animati, neque dent quæ petat,
Seſe igitur ſumma vi viriſque eorum oppidum expugnaſſere.

T 2 Ob-

Obſeſſi quod ſi ſeſe dedere nolint, nec aperto Marte vinci poſſint, & ſuperari tamen debeant; rurſus hic ſtratagemata ſuggeret Legatus: id eſt, ut calliditate & verſutiis tempeſtive res geratur. Quæ tametſi in reliquis privatorum actionibus non uſque præclaram mereantur laudem, in bellis tamen & quæ ad ſummam rei faciunt, tantum abeſt, improbentur, ut etiam ad gloriam maximum addant decus. Fridericus Montisferrati Comes, cum Verrucæ arcem, quæ Sigiſmundi Malateſtæ Ariminenſis Principis erat, obſideret, nec intercludi aut expugnari à ſe poſſe prævideret, aſtutiam junxit & prætulit viribus. Enimvero litteras adulterino charactere ac ſuppoſititio ſigillo dextere fabricatas ficto Sigiſmundi nomine, ad arcis & præſidii Præfectum clam noctu miſit, idque per hominem obſeſſis ignotum, qui in vilis ruſtici palla & loquela apposite geſticulandi peritiſſimus erat vulpio. Præfectus dum meliore fide quam fortuna reſcriberet, ſe ea quæ indicabatur parte exſpectaturum auxiliares copias & commeatus; Fridericus milites ſuos Sigiſmundi militari ſigno & ſymbolo blandientes & larvatos, qua conventum erat hora & via, licet paludoſa atque difficili, noctu miſit. Sed hi, ne forte initio attentius diſcuti aut obſervari poſſent, ficta procul à tergo cum colluſoribus pugna,

dum

dum hoſtiliter retro ſiſti ac ſauciari viderentur, liberius introierunt, arce potiti ſunt. Velius è contra arcis Tarentinæ cuſtos & gubernator, ſimulans ſuos peſtilentia inediaque laborare, ideoque nec tertium hoc malum obſidionis poſſe diutius ſuſtinere, obtulit Aſdrubali deditionem, ea lege, ut incolumes abſcedere concederetur. Conceſſum eſt; ſed non abſceſſum niſi per ipſum Aſdrubalem, cujus exercitus calamitoſa ſtrage adeo mox fuſus eſt, quaſi numquam exercitus fuiſſet. Certe in ejuſmodi decipientium fiduca, & deceptorum credulitate moxque inordinata conſternatione, decem milites ſuperant centum, ſive defendendum ſit, ſive oppugnandum. Sic imparatos alioque intentos aggredi, pæne vincere eſt. Denique pro obſidione atque deditione, plurimum valet Opinio. Adeo ſæpe, quod falſo creditum eſt, veri vicem obtinuit: conſtanter aſſeveraſſe, pæne perſuaſiſſe eſt. Princeps olim, dum urbi obſeſſæ, viribus quidem inexpugnabili, de annona omnique commeatu abunde proſpectum ſciret; obſidentibus autem omnia ad vitam & munitionem bellicam defutura ſciret, quia longinquis impeditiſque itineribus advehenda eſſent; ſuos ad anguſtias redactos ſimulavit, ut eas hoſtis experiretur. Miſſi itaque ſunt Legati, qui pacta non particularia deditionis,

ſed generalia pacis protraherent. Quo aſtu, inimico militi quidquid erat nummi atque etiam animi diffluxit: pars ſeditione, pars inordinati belli ſubſequa ægritudine interiit: pars armis cæſa vel præda fuit. urbs ludibrii non minus quam liberationis triumphum edidit & exemplum.

DISSERT. XXIII.

Induciæ.

Cum bellum grave eſt aut anceps, & fieri pax non poſſit; ad id quod inter bellum pacemque medium eſt, recurritur: ad Inducias videlicet, quæ velut belli feriæ ſunt, Pax Caſtrenſis. Pulchre Poëta:

Bis ſenos pepigere dies, & Pace Sequeſtra
Per ſilvas Teucri, mixtimque impune Latini
Erravere jugis.

Sequeſtram pacem, temporalem Servius explicat; id eſt, mediam inter bellum quod præceſſerit & ſequatur. Quemadmodum ſequeſter medius eſt inter duos altercantes: dictus à ſequendo, quod ejus qui electus ſit utraque pars fidem ſequitur. Sunt autem induciæ pace faciliores. Etenim ut ſuſpendatur paulisper bellum, non tantis conditionibus opus eſt; ut prorſus ceſſet, omnes decidi controverſiæ & aboleri injuriæ debent. Itaque in imagine hac pacis, induſtria quoque Legati

gati ſpectatur. Atque is vel ad Principem it amicum, ut ſuadeat inducias; vel ad hoſtem, ut petat. Si ad hoſtem, communis tranquillitas præcipue commendanda eſt; & ita commendanda, ut intelligat ille, nulla ſe arte peti. Quamdiu enim obnoxia ſuſpicioni induciarum conſilia ſunt; nullæ jungi dexteræ poterunt, nec armorum violentia modum accipiet. Quiſque pugnare mavult, quam decipi; & experiri belli aleam, quam larvam pacis timere. Sæpe ab armis ad ærumnas ventum eſt, quia ſimulato vultu induciæ arriſerunt. Sic à Thracibus Bœotii olim decepti, & colore tamen juris. Nam cum de decem dierum induciis inter utroſque conventum eſſet, noctu impreſſionem in Bœotios fecere Thraces, induciarum fiducia remiſſos. Poſt cladem querelæ fuere, ſed à victoribus eluſæ: Extra perfidiam facinus eſſe: dies enim, non noctes pacto exprimi. Exempla plura ſunt, & magnos etiam belli Duces in culpam trahunt, fruſtra excuſatam. Beliſarius in Gothos pugnans, trimeſtres inducias pactus eſt, Hac occaſione hoſtes, qui in præſidio Portuenſi erant, Centumcellarum, aliarumque urbium, ad Vitigem Regem ſuum ſe conferunt, rati pactorum fide ſatis interea tutas has urbes eſſe. Sed occaſionem Beliſarius æſtimans, aſtu eas invaſit, oppreſſit.

Cumque Legati Gothorum de violentia quererentur; Abite, inquit, Regique veſtro nuntiate: Fas mihi fuiſſe, occupare urbes, quas pro derelictis Gothi habuere. Tales cenſuit, quia præſidio nudatas, victoriæ expoſitas.

Siquam de induciis ſiniſtram hoſtis ſuſpicionem conceperit; eam removeat Legatus. Principis ſui fidem omni oſtendat victoria potiorem eſſe, omni ſceptro jusjurandum. Periurio hoc tantum conſequi fœdifragos, ut & homines a rebus ſuis alienent, & Deum ſibi iratum reddant. Servata vero religione, proſpera omnia promitti, confirmari exercitum, ad victoriam iri. Quippe propitium adeſſe Numen fidem colentibus, adeſſe mortalium favorem, qui ſanctiſſimum ſalutis humanæ pignus violari ægerrime ferunt. Hanc etiam Furius Camillus exiſtimabat veram victoriam, quæ ſalva fide & integra dignitate pararetur.

Sic quidem peti Induciæ debent: quomodo ſuaderi? Sic cum hoſte agendum: quomodo cum amico, aut certe non hoſte? Princeps à tota hac conſultatione ac deliberatione ut repellat Martiales illos, quibus tumultum ex tumultu ſerere utile ſtudium eſt, ac bellum belli dumtaxat gratia geritur. Nimirum ſteriliorem iis bello pacem eſſe, fecundum quidquid publice nocet, tamquam expediat res humanas ſemper turbari.

bari. Venetus bellicoſiſſimam gentem Legationis relatione depingens, dicebat, eos qui Martis otio optime ſaginantur, ideoque Regis res nec vellent in totum perdere neque ſervare, à quietis artibus & argumentis prorſus abhorrere. Nec facile advocandi ad publicæ concordiæ pacta ſunt juvenes, quibus ut ſanguis, ſic cerebrum ſenſuſque nimio velut ebullit aut prurit in contentionem: tum neque ii, qui inexperti, humanæ afflictionis teterrimum malum ignorant.

Agendum deinde, ut quietem admittat, iram temperet, & citra ſuorum ſanguinem, tranquillitatem amet. Non aliud ad gloriam Principis accedit ornamentum majus, quam ſi eoſdem populos pro libitu ſuo amicos habeat & inimicos. Via à bello ad pacem, induciæ ſunt; & quod nomen indicat, huc ducunt, huc inducunt. Dixerim, brevem quamdam pacem inducias eſſe, ſed ad longam & ad duraturam animos utrimque præparari. Hac quiete atque fiducia manifeſtum fit vulgo, ut noſcat, non ſic improbe aut irreligioſe apud eos quibuſcum belligerarunt, ſingula peragi, quemadmodum forte Stipendiarii in triviis aut è ſuggeſtu credulæ atque imperitæ multitudini impoſuerunt. Ecce dum hoſtilitas ceſſat, liberiores litteræ, ſolutiores ſermones, familiares negotiationes, amiciores complexus intercedunt: quæ

omnia pacis illectamenta ſunt, & homines nos eſſe monent ad concordiam & pacem à natura factos. Vides, ut in privatis diſſidiis non ſic repente componi jurgium poſſit, niſi mora murmuri intercedat, & vel oblivionem aliquam injuriæ, vel, ob impares ſumptus, tædium litigandi adferat? Si preſſe rem examinas; non alio affectu plures quam ſinguli, & Principes quam privati, diſſident aut colliduntur. Senſim; non ſubito, quod magno motu agitatum eſt, quieſcit, vel quod dejectum eſt ſurgit, aut attollitur: & quæ plurimum conditione disjuncta ſunt, nec facile nec cito conveniunt aut connectuntur. Ita eſt: Via ad pacem induciæ ſunt. amplius; ad victoriam: licet obliqua; per quam occulte ſcilicet, hoſtium Præfecti circumveniri, miles corrumpi, conſilia explorari, vires diſſolvi ac disjungi contingat. Et ſæpe,

——— peragit Tranquilla Poteſtas
Quod violenta nequit: mandataq; fortius urget
Imperioſa quies.

Sic acerrimi ſæpe populi, poſtquam ad quietis ſtudia converſi fuere, in poteſtatem venerunt hoſtium: ſubeſſe enim non tam durum æſtimarunt, quam denuo bellare; pacis hac imagine ludificati, ineſcati. Sed cum ad bellum poſtliminio ventum eſt, non tam facile animos, Martis conſuetudinem

aut diſciplinam, quam arma reſumpſerunt. Langueſcens enim robur, bellique uſus imminutus, tardiora omnia, & ſic infeliciora fecit. Periiſſe hac arte Veientes dixerim, quibuſcum Romulus inducias in centum annos, Senatus deinde populuſque liber in quadraginta pactus eſt. Poſt quietem tam longam imbecilliores, quia inſueta, ignota reſumpſerunt arma, infauſta experti ſunt. De Volſinienſibus quid dicam? quid de Cæritibus? *Illis* induciæ in viginti annos, hiſce in centum datæ ſunt: & uterque hic populus idem cum Veientibus fatum ſubiit. Ut hæc ſunt, facile nunc ſuaderi, nunc diſſuaderi induciæ poterunt: & Legatus ipſe non difficiles inveniet aures, quia apud Principem amicitia junctum verba faciet, ſive apud eos quorum fortunam ſtudet promovere.

Stabiliuntur prolixoris temporis induciæ, interdum jurejurando, interdum accedente auctoritate amicorum Principum, qui per Legatos, regalique ſyngrapho, pro integritate fidejubent, indignationemque & arma comminantur ei, qui eas ruperit. Aſt quia per exterorum Legationes inducias paciſci contingit, & hos plerumque nil minus vicinis optare, quam fecundum illud bonum pacis; videat ille qui induciis potiſſimum afficitur aut opus habet, ne ejuſmodi conciliatores ſic turbarum tempeſtates ſedatum

venerint, ut Auſter mare, & qui extinguendo incendio oleum & ligna ſubjiciant: utpote vindicaturi ſe de inimicis ſuis per inimicos. Hic ficta humanitas poteſt ludere, poteſt lædere: damnoſior quando ſub amicitiæ fiducia nocendi modos hoſtilitas ſequitur. Proderit ſolertia, quam ubique in Legato requirimus, & hic inprimis, ut ſi quæ imposturæ ſint, vim ſuam augeant, vel amittant.

Potiſſimæ conditiones, rationem commerciorum, navigationum, vectigalium, reſtitutionem interceptorum ſpectant. Quæ ſingula occupare induſtriam Legati poterunt. Agi mox ſolet, ut bona hereditaria, prius confiſcata habitationes emanſioniſve cauſa, reſtituantur. Interdum futurum dumtaxat ſpectatur in actionibus & præſcriptionibus civilibus: at quæ belli tempore patrata ſunt, attingi non ſolent; tamquam rata, aut oblivione oblitteranda, atque irrecuperabilia dum à bello abſtinetur. Sed omnia proſequi longius, ſit abire à Legati munere. Quæ à Principis imperio dependent, conſiliis politicis relinquamus. De munitionibus tamen arcibuſque cogitet Princeps, agat Legatus; ne induciarum tempore novæ extruantur: id enim eſſet bellum roborare. Imo ne novis tributis oneribuſque advenæ graventur: id enim eſſet inducias non habere. Communes hoſtes amicoſque pactis conſti-

tuere

tuere an expediat, alii diſputent. Hæc autem potius fœderum ratio videtur, & ad plenam pacem ſpectat. Ultima induciarum conditio tempus eſt, diebus, menſibus, annis, luſtris circumſcriptum. Durant tamen ultra ſpatium aliquando, & ætatem ſibi adſciſcunt tacito quodam partium conſenſu,uſu, affectu: firmatur quidquid non rumpitur. Sic Helvetiis ſemel pactæ induciæ, ſemel confirmatæ, deinceps inviolatæ manſerunt, ſancta pace nihil inferiores. Tamquam renovari ſuperfluum ſit, durant; & tamquam incipere non debeant, robur ab ipſo ævo & ſilentio aſſumunt. Fidem lauda Gentis, quæ à tempore independens, terminos fidei præfixos ignorat.

DISSERT. XXIV.

Pax.

ABſterſo Martis pulvere, *Iani* portæ obſerantur peſſulo Pacis. Id autem quam arduum ſit negotium, pericula tricæque indicant & difficultates in conditionibus & pactis. Menippus Antiochi Regis Legatus Legationem ſuam Romanis exponens, apud Livium, ait, ſeſe ignorare, quid non perplexi Legatio iſta haberet, cum non niſi ad amicitiam petendam jungendamque adveniſſet. Nimirum pactis concordiæ

ea inprimis ſtabilienda, quæ perpetuæ ſunt ſalutis. Belligerantibus vero laudi atque uſui cenſetur, ingenioſiſſime tumultuari, inimicum prævenire, turbare. Apud hos quamdiu par fortuna eſt, non impar pertinacia eſſe ſolet: cum inclinata, ferocior vincentis animus eſt; ægerrimeque cedet, qui feliciter movere arma cœpit. Sed Martis ardorem ſua Legatus Suada leniet. Et quid facilius, quam ad pacem hortari? deteſtari bellum?

——— Pax optima rerum
Quas homini noviſſe datũ eſt: pax una triumphis
Innumeris potior. ———

Principes vero pacem ambire vel amplecti inprimis impellit, ſi pluribus hoſtilitatibus oppetantur & implicentur, quam ſuſtinendo ſint. Rudolpho Auſtriacorum primo dum plures eſſent jam armatæ lites, quæ non alio Iudice, quam cuſpide gladii terminandæ videbantur, una atque altera cum Abbate S. Galli, tum Principe & potente; ingeſſit ſe Heros Præſulis convivio, nec exſpectatus, nec vocatus. Mirantibus illo atque aliis (nam averſio orta excontroverſia) ipſe conſtans & comis, ut erat natura, perſedit: & à prandio cum Præſule locutus, tranſegit; pacemque iniit ita ſtabilem & ſinceram, ut poſtea ei ſæpius auxilio fuerit in bellis quæ multa, ſed minuta (nam erat adhuc Comes) cum vicinis habebat. Abeuntis autem vox ex-

excepta a familiaribus eſt totidem verbis : *Cui contentiones tres; duæ componendæ ſunt, ut ſuper tertia triumphet.* Sed dixeris: Pauci commotum animum reprimere ac vincere valent: pauci item Rudolpho ſimilia præſtare :

Dis geniti potuere ; ———

Queis meliore luto finxit præcordia Titan.

Dulce quidem bellum inexpertis : ſed ſunt quædam in rebus mortalium , quæ quantum in ſe contineant mali , vix intelligitur niſi facto periculo. Si res dicenda eſt ; Nihil non in armis mali. Audiat Princeps hanc vocem, & minus ſe facilem magnanimis iſtis præbeat , qui adeptionis aut certaminis ſatores ubique ſunt , quia arma potentiam deceant , gloria bello non pace propagetur. Aſt quam hoc rerum eſt faciem invertere ! Nemo potens eſt ut pugnet ; ſed pugnat potius ut potens ſit. Eademum vera ſolidaque claritas eſt , quæ juſtitia quæritur , non domando populos , ſed regendo. Videntur iſti dum bellum ſuadent, victoriam promittere ; ignari quid Fortuna vehat , quantum poſſit. Caveat Princeps,imo caveat Legatus: judicium affectui , etiam caſui anteponat. Facile plauſus in planctum , luſus in luctum , curioſitas in calamitatem commutatur. Ideoque aſſeret Legatus, haud temere ſuſcipienda bella eſſe , licet vel ipſe Religionis prætextus adeo blandiatur ac patrocinetur,ut vel

ſacra ea vocari poſſint, eæque cauſæ fuerint juſtiſſimæ, ob quas bella indicenda ac ne differenda quidem judicentur. Quoties cauſam periculum vincit, optimum videri, quieſcere: ac niſi ea pariter adfuerit facultas, quæ fortunæ legem præſcribere valeat, non quieviſſe utique damnoſum fuiſſe. Perget Legatus: Bellum ſine auxiliis geri non poſſe: hæc vel incerta fore, vel cum onere atque diſcrimine conjuncta. Adjutum quemvis, debere adſtrictum jam eſſe: ſed ſervitutum huic vinculo proximam adhærere & ſubrepere. E contra, projectis pacis conditionibus, ad graviores extremoſque conatus hoſtem redigi, quos vel magnanimitas Regibus familiaris, vel deſperatio, ſemper potens, ſolent inducere. Non omnia profecto cauſæ fiducia audenda eſſe, non atrocitas ſolum belli, ſed victoriæ incertitudo monet. Nam ut in privatis, ſic & in publicis rebus etiam æquitas labitur, niſi hinc prudentia, inde fortuna fulciatur. In omni conſilio, negotio, ſtatu, moderata durant; quæ demum pace munitiora ſunt, quam bello. Quid? quod ſuo fere dejicitur Imperio, qui alienum invadit iniquus. Illuſtrius exemplum, quam ut antiqua accerſam, calamitate ſua ſemper loquetur Germania, ubi

——— *impar congreſſus Achilli*
Infelix Iuvenis. ———

Feli-

Felicitatis ſuæ prodigum cenſeo, qui ſolis in armis gloriam ponit. Pyrrhus prudens & prope dignus qui Romanis imperaret, cum primo jam prælio feliciter pugnaſſet, ad pacem convertit animum; & qui hoſtis venerat, victorque evaſerat, in amicitiam recipi à Romanis voluit. Verum enimvero tam felix non fuit, ut pacem obtineret: neque tam facundus Cyneas Legatus ejus, ut ab armis victos deduceret, fortunamque Regis ſui & populi Romani æquaret. Inventus in urbe cæcus fuit, qui, lectica in Senatum latus, ſe callidiſſimis conſiliis oppoſuit, & Pyrrhi vafram quietem luculenta magis oratione quam pugna deſtruxit. Feliciter Romanus locutus eſt, ut infeliciter deinceps Rex pugnaret: bis exutus caſtris, bis ſaucius; & in Græciam ſuam fugiens, vere docuit pace ſtabiliri victoriam, per arma ambiguo eventu coronidem vacillare. Alias Romani non minus quiete quam bello Rempub. promoverunt: quemadmodum Paci Concordiæque, Deabus optimis, templa in urbe, æque ut Marti & Bellonæ, dedicata. Itaque dum pace fruerentur; non ut nudam Dianam, ſed ut armatam Palladem Pacem muniebant: dum occuparentur bello, pacis ſtudia, & huc Legatione nequaquam negligebant. Quoties igitur arma ponerent, mentem retinebant armatam; & ipſe

ipſe præliorum ſtrepitus ad quietem dirigebatur. Sæpius etiam quia neglecta Concordiæ numina fuere, damnum Reſpublica accepit. M. Attilium jure accuſes: is, quia à pace alienus, ſuperbo nimis reſponſo Carthaginenſes riecerat, clade dignus fuit. Etenim ab hoſtibus captus, per ludibrium ac tormenta necatus, velut victima Paci repudiatæ fuit. Nobile quoque exemplum ſub Rege Berengario Principes Italici dederunt. Nam cum Hungari, qui in Italiam temere irruerant, anguſtiis preſſi pacem peterent; parati prædam univerſam reddere, pretium adjungere, ſine armis abire; ne conditiones quidem impetrare potuerunt. Quare pugnare coacti, ruunt in prælium, Italos cædunt, in homines ac provinciam ipſam furenti impetu iram barbariemque effundunt. Hoc vitio etiam Athenienſes olim fuere, nimio bellandi ſtudio dediti, & ſic infelices: quos pulchre Demades notavit; Numquam ad conſilia pacis, niſi pullis veſtibus indutos venire.

Ut hæc omnia ſunt, nihil ad felicem vitam deerit Principi, quem ſubditi amore & cultu, fortuna faſtigii culmine rerumque affluentia, Deus concordiæ auctor prudentia & pace beant. Supra ſortem humanam vivet, proximus conditioni cæleſtium. At peſte, fame, gladio, caduceatoribus atque anteambulonibus iræ ſuæ, & his miniſtris ju-

juſtitiæ utitur Deus, iiſdemque peccata populi punit, injuſtos & inutiles truncat & tollit; ut Principi, etiam mediis in fluctibus & ventis, in tuto & quiete ad clavum ſedere liceat;

—— ſicut cæleſtia ſemper
Inconcuſſa ſuo volvuntur ſidera lapſu.
Fulminibus propior terræ ſuccenditur aer,
Imaque telluris ventos tractuſque coruſcos
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olympus
Lege Deûm. minimas rerum diſcordia turbat:
PACEM SUMMA TENENT.

Sed amplus & amœnus hic campus eſt: & pro re, loco, tempore, depromi argumenta poſſunt, ſive petat pacem Legatus, ſive ſuadeat.

Ut vero ſtabiliatur & ineatur pactis per Legatum pax, major, ut dixi, attentio requiritur. Subinde præteritarum offenſionum indicitur oblivio: damna illata conferuntur, reſtaurantur aut compenſantur. nominantur amici, inimici Coronæ; iidem protegendi vel prohibendi communibus armis, & quidem ſtatuto ſumptu, numero navium, cohortiumve. Conſtituitur ratio fœderum, commerciorum, vectigalium. Sed circumſtantiæ immutant caſum & legem omnem; & cum infinitæ ſint, fruſtra laborarim minutim definire. Non alio autem Legatus obſequio ſuo Principi magis placuerit,

pa-

patriæ magis profuerit, quam prout induſtrius belli Pacificator extiterit.

DISSERT. XXV.

Seditio ſedata.

CUicumque munus hoc commiſſum eſt, ne onus grave incumbit. Malum enim Seditionis, in inteſtinis & latibulis graſſatur, eo periculoſius, quo à medica manu & cognitione remotius. Dum tamen adeundi & compellandi ſunt ſeditioſi; in anteceſſum, aut per litteras, aut per nuntios ab iis Princeps ſciſcitatur; An ad ſe mitti fide publica Legatos ſeu Commiſſarios ſinant; Deinde eos eligit & mittit qui auctoritate & gratia, conſilio atque ſolertia, comitate, eloquioque valent.

Nam veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
SEDITIO, *ſævitque animis ignobile vulgus,*
Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat;
Tum pietate gravem & meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Nemo proſpero eventu Legationem hujuſmodi aggrediatur, niſi robur illum triplex con-

conſtantiæ, tum magna fiducia, & quaſi naturæ benignioris auctoritas tueatur: meminneritque ſe ad eos ire, qui ſpretis jam pudoris ac legum habenis, veſania quadam atque impetu feruntur, & quibus levi momento audax animus immoderata quæque & ſuggerit & jubet. Fertur, militem Regio ſtipendio non perſoluto, incendiis & rapinis ruri procul fuiſſe iniquum: civem quoque, quia priſcæ conſuetudinis aut obedientiæ terminos alubi excederet, Regio milite in ordinem cogi debuiſſe. Et apud ſingulos quidem uni atque alteri profactionis veſania argutanti, deblateranti, plus fidei auctoritatiſque reliquum vulgus tribuiſſe, quam pluribus quidem viris ſapientia & dignitate ſpectatiſſimis, rationem aut æquitatem è contra ad oculum demonſtrantibus: quinimo hos omnes cœpiſſe contemnere, dicteriis proſcindere, tantum non interimere. Adeone barbarum homines animal? dixeris. ſcilicet Seditione.

Primum conabuntur, qui miſſi fuerint, placere, fidem conciliare, dum ut querimoniis ſatis fiat & proſpiciatur, mandata ſuſceperunt. Ad rem ipſam & controverſiam quod attinet; inverti ea quodammodo debet, alio & molliori nomine, alia imagine exhiberi. Tolli ſi non poteſt imprudentiæ flagitium, tegi tamen debet: minuetur, ſi errori

rori aut neceſſitati magis quam ſceleri factum imputetur. Sæpe tamen, qui ſe conſpirationes aut malignitatem intelligere demonſtrat, ſic avertit, imminuitve. Stultam & ſtupidam Vitellii diſſimulationem accuſat Tacitus, cum fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultaret; *& prohibiti per urbem ſermones, eoque plures.* Non diſſimilem rationem ibidem reſpexit Galba; *ne diſſimulata Seditio in majus crederetur.* Neque enim profutura putetur diſſimulatio facinorum à multis commiſſorum; quoniam ſuſpicio, ne in opportunius tempus ira differatur, formidinem ſimulque periculum elevabit. Hinc ſingulari prudentia Valens, etſi malignos non puniret, quoſdam non prætermiſit arguere, *ne diſſimulans ſuſpectior foret.* Quod quidem vere diſſimulare, eſt negotia ipſa periculis aptare, ſic eximere, ſubducere.

Porro quæ curandarum ægritudinum ratio eſt, eadem eſt ſeditionum. Alia quidem in acribus & repentinis, alia in diuturnis ſeu chronicis morbis adhiberi remedia debent.

Ceterum ſex uſurpari ſeditionum remedia ſolent; *Inquiſitio, Diviſio, Tranſactio, Vis armata, Iudicialis cognitio, Cauſarum unde naſcuntur amotio.* Quæ ſingula pro conditione mali applicanda ſunt: alioqui exaſperabitur. Inepte militares motus, ob debitum ſtipendium exortos, nudis legibus aut verbis placare

care coneris: maximam apud egentes facundiam pecunia faciet. Sed cauſæ ſeditionis definitione propemodum continentur. Eſt enim *motus quo ejuſdem imperii multitudo inter ſe aut cũ ſuis Superioribus diſſentiens, libertatis vel utilitatis conſequendæ, vel oneris excutiendi, vel injuriæ inferendæ, vel religionis mutandæ cauſa, ſciens volenſque in Reipub. detrimentum concitatur.*

Diſcrimen quoque non exiguum, ſi aut Magnates, aut plebeii, aut milites, tumultuoſi fuerint, tum qua provincia aut natione. Nam ut hæc omnia diverſa, diverſimode etiam pharmacis atque obſtaculis utendum. Hiſce perpenſis, auctores gliſcentis motus, conventicula etiam conſiliaque caute ac diligenter Irenarcha Legatus inveſtigabit. Sic facilius aut volentes componet, aut coget nolentes. Prorſus ſeditionis fons & fomes evacuari, &, communi dicto, in herba ſuccidi debet:

——— ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Hoc malum ni protinus tollitur, attollitur, mox obſtacula deſpicit & perrumpit. Luxata corporis membra, niſi quamprimum loco reſtituuntur, in continuum & immedicabile creſcunt impedimentum. Nonnumquam Hæreſis, quæ initio vix duos auctores totidemque fautores reperit; neglecta, toto Reipublicæ corpore, ut cancer ſerpſit: ne-

neglecta, inquam, Novatorum ſcintilla, initio comprimi facilis, & tamen quia non extincta, Orbem inflammavit univerſum. Adeo quidem, ut Pontificum ſummorum auctoritati, & Principum maximorum potentiæ non gravius negotium. Seditiones quondam Gracchanæ, Apuleianæ, & quæ in præcordiis Reipub. Romanæ initium ſumpſerunt, cum in ipſo ortu componi ac tolli potuiſſent, ſuis dumtaxat velut cineribus tectæ ſunt; rurſus motæ, majori longe incendio exſilierunt. Mirare bella ſervilia, ſocialia, civilia hinc enata. Quid? quod ut anſa anſam in catenis, ſic ſeditionem ſeditio ſequitur, & è vitio vitium pullulat. Cum plebs Romana in montem ſacrum ſeceſſiſſet, Tribunitiam poteſtatem Patribus vi extorſit. Hoc jus cum dividendæ annonæ occaſionem Martio Coriolano dediſſet; alia ſecuta ſeditio eſt, Coriolanum in exilium egit. Huc ille. Non ibi conſiſtunt exempla unde cœperunt; ſed quamvis in tenuem recepta tramitem, latiſſime vagandi ſibi viam faciunt; & ubi ſemel à recto deerratum eſt, in præceps pervenitur: nec quiſquam putat turpe, quod aliis fuit quæſtuoſum.

Proximum eſt, ut Diviſionem procuret Irenarcha: eoque ad meliorem mentem reducat qui concitatæ multitudini præſunt, vel auctoritate & fide apud eam valent; idque

que vel periculorum injecto metu, vel majorum facultatum dignitatumque oblatis præmiis, quam aliunde nanciſci vel ſperare poſſint. Divulſis veſaniæ capitibus, diffluent ceteri, qui nec ſano nec ſuo motu ferebantur.

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.
Prodeſt etiam aliquando, ſpatium aliquod ſeditioſis dare, quo ea quæ propoſita ſunt attentiùs conſiderent, ſuaque in melius commutent; tum ne detecti facinoris aut ſupplicii metu ad maturandum facinus impellantur. Conandum quoque, ne ærarium publicum aut commune habeant, vel ut id quidem diripiant dividantque. Hoc unum enim agendum, ſed peragendum eſt, ut ſegregentur. Etenim validiora fiunt ſcelera, & jam quaſi ſcelera non ſunt, quæ adultiora à pluribus patrantur. Lucanus id pulchre.

——— *Quippe ipſa metus exſolverat audax*
Turba ſuos: quidquid multis peccatur, inultum
eſt.

Denique quid dexter modus ad ſeparationem hanc conducat, illuſtri Pontifex Sixtus Quintus exemplo docuit. Cum exules numero & omni ſcelere timendos opprimere non potuiſſet, etſi bona eorum publicaſſet, & in capita ſingula magnam auri vim percuſſoribus proponeret; ſaniore hoc conſilio uſus eſt: Centum aureos exulibus ſingulis daturum ſe recepit; libertatem inſuper, præterito-

torum ſcelerum amneſtiam & impunitatem, bonorum tranquillam poſſeſſionem, atque omnium quæ rapuiſſent fruitionem. & qua conditione? hac unica, ſi reverterentur. Quin imo, ſi quis cum unius aut plurium abs ſe interfectorum capitibus tranſfugeret, ei trecentos aureos numeratum iri pro unoquoque. Non defuerunt qui periculum tentarent; cumque Pontificis fidem ſanctam experirentur, paulatim & plures ſubſecuti ſunt. Tandemque pars diffidentia metuque disjungi cœpit; non pauci alii neglectæ gratiæ & ſcelerum anteactorum pœnas luerunt. Plus hic aſtus, quam arma.

Per Tranſactionem, datis acceptiſque legibus, ad concordiam ſeditioſi revocantur. Quo remedio utetur Legatus, cum aliud non ſupererit. Conabitur autem, ut perhoneſtæ conditionis leges ſint, & factionis conſilio meliores. Cum vis major & armata, ſeu ſeverior animadverſio, unanimes aut ſaltem modeſtos obedienteſque eſſe cogit; commotionis concitatores atque anteſignani, è theatro comœdiæ, ſepulchro traduntur: in paucos ſæviiſſe, in omnes erit; dico, ſufficiet apud omnes. Populus ſine duce ac rectore pavidus eſt, aptior ad rebellandum quam ad bellandum; ſequax tamen in exemplum, & antecedentium facinus ad ſe quoque trahit. Si qui hic auxiliatores vel

con-

conſultores fuerint, Princeps eos proſcriptionis pœnam ſubire compellit; non ſemper vitæ aut facultatum, ne extra neceſſitatem ſævus, plus iræ quam juſtitiæ videatur tribuiſſe, virorum potius odio, quam vitiorum. quin vero emendare quam vindicare commiſſum ſcelus maluerit: placare ſtudeat, ſi plectere non expedit. Nocens herba non ſemper quoque exuritur; extirpaſſe ſatis eſt, cum eruta nocere amplius non poſſit. Metus autem proſcriptionis à pravis machinationibus aliorum animos facile avertet: & non rebellare quiſque, quam exulare mallet. Alioqui univerſim adhibere concitatæ multitudini vim velle, quid aliud eſt obſecro, quam devolutos præcipiti lapſu è ſummis montium verticibus torrentes impetu reprimere, nec reprimere? Populus quidem vix eſt, ut ſua ſponte ac nulla indignitate gravatus aut laceſſitus, in Principem aut Magiſtratum inſurgat. Ubi tamen repagula ſui muneris ſemel perrupit, fruſtra ille ſe ſuaque ſalva, aut ſui eſſe arbitrii velit. Exemplo ſit Iudæorum Rex Alexander: qui cum continuos ſex amplius annos, quinquaginta cæſis circiter hominum millibus, in ſubditos ſuos graſſatus eſſet, nec eventum ſuis reſpondere votis animadverteret; blandius illos, quo pacto ſublatis ſeditionibus ac ſuppliciis coaleſcere novam ac

veram in concordiam poſſent, interrogavit. At illi, Morte, inquiunt, tua. Serius nimirum & fruſtra ad remedia prius tentanda Alexander deſcendit. Non negarim tamen, deteriorem licentia reddi populum, quoties timeri ſe intelligit: non mitiorem, ſed aſperiorem, alia ex aliis iniquiora petere, à ſucceſſu rerum audaciam ſumere. quippe hæc ejus natura, aut humiliter ſervire, aut ſuperbe ſævire. Mature tamen & benigne concedi quædam malim, quam per vim, plurimarum neceſſario moleſtiarum & abſurditatum nutricem, extorqueantur. Naucleros & mercatores imitari hic oportet, qui ſalutem redimunt projectione & jactura mercium; utque tempeſtatis rabiem evadant, lucro annumerant quidquid amittunt. Illud cavendum eſt ſemper, ne veniæ ſpes omnis ſeditioſis tolli videatur. qui enim nihil amplius ſperant, nihil etiam timent. Quæ bruta peſſima ſunt, aſperitate obdureſcunt; cumque vapulando deteriora fiant, lenitate cicurantur. Nullum autem animal ſeveritatis impatientius homine eſt, nullum obſequio magis mulcetur. Ut hoc addam, utiliter quoque arma ſubditis in ſeditionem pronis adimentur: inſtrumenta illa plebejæ veſaniæ. Carolus V. Imperator, cum ſeptuaginta & amplius ruſticorum millia, qui adverſus Dominos ſumptis armis inſurre-

ſurrexerant, fudiſſet; ſevera lege interdixit, Ne agricolarum quiſpiam deinceps domi arma haberet; imo, ne quis iis qui Cæſareo nomine ac ſtipendio non militarent, vendere aut fabricare genus ullum armorum poſſet. Iudæi quoque nonne paſſim ſic cohibentur? Nihil inermes audent: timentur qui ferrum, non qui argentum tractant: ſine ferro etiam furor inermis eſt.

Sequitur quintum remedium, Iudicii cognitio, qua ii qui rebellionem meditantur, aut alioqui inobedientes ſunt, in poteſtatem atque ordinem interdum rediguntur. Hac ſi res terminari poſſit, ſtolide Legatus ſuadebit Principi, ut vi armata utatur. Quippe quæ Opinione magis quam Malitia conſtant, non armis, ſed ratione ac iuris definitione conciliari aut placari ſi poſſint; debent: alioqui eodem in errore, imo in querela iniquæ oppreſſionis manebunt ii, quos non judicum ſententia cognita cauſa condemnaſſet, ſed violentus miles etiam inauditos coegiſſet. Reſtat cauſarum, è quibus ſeditio orta eſt, amotio. Etenim multa mortalium mala, quibus vitiis incepere atque coaluere, iiſdem dextere ſublatis vel emendatis tolluntur ac deſinunt. Sic quod ſi oppreſſio quæpiam aut tyrannis Principis, animos populi in ſe concitarit, & ſimul armis comprimere ille non poſſit; nil æque pro-

fuerit, quam ſi violentus & iniquus eſſe deſinat: meliora non polliceatur modo, ſed præſtet. ſic ſolium optime figet, ubi ſolum non repellet eum ac velut exſpuet.

Verum enimvero, quæcumque ſedandæ multitudini argumenta proferentur, popularia inprimis eſſe expeto, ad ſimplicium & decipiendorum animos apta: magis enim ſic proderunt, quam ſi philoſophica & politica quidem fuerint, à captu tamen vulgi remota, ideoque inefficacia & ſuſpecta. Leo Byzantius, cum Athenas Legatus miſſus eſſet, & concitatam graviſſima contentione ſeditionem in populo reperiſſet, ut erat homo obeſus & ventricoſus inconcionem aſcendit. Viſo illo, riſus ingens exortus eſt. Ipſe vero nequaquam perturbatus, Quid, inquit, ridetis, Athenienſes? an quia pinguis vobis videor? Scitote igitur mihi uxorem multo pinguiorem domi eſſe: & tamen cum concordes ſumus, brevis admodum nos lectus capit; diſcordes ne tota domus. Sic Orator tempeſtive miſſus & locutus, quietem & pacem Athenienſibus peperit. Taliter Menenius Agrippa plebem jam ſacrum montem trans Anienem inſidentem, unius fabulæ enarratione ad unionem permovit & revocavit. Referebat, diſſenſiſſe inter ſe quondam humanos artus, quod ceteris opere fungentibus, ſolus venter immunis

age-

ageret: deinde inedia languidos rediiſſe in gratiam, quando ſenſiſſent, quod ejus demum opera redactis in ſanguinem cibis irrigarentur. Quid voluit? membrorum ſeditioni ſimilem eſſe Populi in Senatum iram. Quippe Senatum & Populum, quaſi unum corpus, diſcordia collidi & perire, concordia florere & roborari.

Coronidi addo & aliud remedium, ſed ſine quo cetera vix valeant. Quodnam illud? *Deceptio.* Quid? inquies, qui nil æque optari debere in Principum rebus & cauſis, quam probitatem & pietatem, toties dixiſti; nil æque eas decere aut promovere? Et dico. ſed enim non ideo pietatem aut probitatem damno vel excludo, ſed optime cum eadem illam connecto & produco. Et ſi illa in reliquis Principum anxietatibus atque ſtrúcturis, ſuum ſæpe uſum habet, publico bono nanciſcendo, expediendo, ſtabiliendo; hic ad præclariſſimam virtutem & laudem nil æque ſpectare auſim affirmare, dummodo hæc lerna malorum Seditio profligetur. Neque enim eos ſemper offendimus vel odimus, quos Dolo Bono in rem aut ſententiam noſtram perducimus. Liberos noſtros, quos tenerrime amamus, quoties decipimus? ſed ut juvemus & diu amemus, decipimus; ludicra pro ſeriis, ficta pro veris credere & amplecti, decenter compellimus:

nimirum ut vel ſic rationi, cujus per ætatem alioqui incapaces ſunt, obtemperent, paulatim aſſueſcant, ut præſens infortunium aut ægritudo avertatur. Nos homines, ubi neſcimus quid faciamus aut quid velimus; ubi inſano motu vagire cœperimus; ambagibus, etiam fraudibus & impoſturis circumveniendi, quoquo modo continendi ſumus, faſciis obvolvendi, ſtringendi, ſed paternis, nec ſemper ferro aut compede ſeveri Domini.

Ut hæc omnia perplexa, implexa ſunt; merito voluit Plato, plenis Irenarchen virtutibus decoratum eſſe, qui ſedandis operam ſeditionibus daturus eſt.

DISSERT. XXVI.

Nuptiæ, Affinitas.

A Munere & induſtria Legati, etiam Principum Nuptiæ dependent; tota poſteritate, & ſic publica inprimis felicitate vel infelicitate, prout tractantur, inſignes. Perquam igitur idoneus mitti vir debet, qui ſingulari prudentia futuri conjugii conditiones ac momenta, tamquam Paranymphus Principi virgini, parentibus populoque proponat. Ut nihil utilius hoc vinculo, nihil ſanctius videatur; plurima diligenti & accurato examine conſideranda ſunt: inprimis fæderum jus, concordiæ firma ſecuritas,

ritas, commerciorum utilis libertas, publicæ tranquillitatis bonum, ac denique ſalutaris illa Iuſtitiæ Paciſque inoſculatio,

Non ullo ſoluenda die. ———

Magnitudo aut pretium dotis, puncto centrove, ut ajunt, mathematico non ſolet definiri, ſed quadam velut ambage futuræ utilitatis. Producendi itaque affinitatum gradus: deſignandæ quæ obvenient paucorum capitum & annorum lapſu hereditates, proferendæ maximarum ſpes ſucceſſionum. Hæc ſcire, hæc explicare Legatus debet, aut male Legatus eſt. Sane etiam inter privatos noti aut ignoti conſanguinitatis affinitatiſque gradus, magni ſive commodi, ſive jacturæ cauſa ſunt: & ſæpe alienus occupator, vel Fiſcus, aut quis Procurator Domini, invadit bona, quæ, ignorantia magis quam jure, legitimis heredibus decedunt aut ſubtrahuntur; cum ſanguinis jura extendantur & deferantur in infinitum. Profecto ut eximiis paſſim difficultatibus contrahendorum inter Principes matrimoniorum pacta obnoxia ſunt; quiſquis eas emollire & conciliare Legatus noverit, næ magnum ſuo Principi, magnum Reipublicæ obſequium præſtiterit, & quod digno numquam præmio æquari aut exſolvi poſſit. Lermæ Dux, jam Purpuratorum Patrum collegio adſcriptus, eo libello quem anno 1621. poſt admirabilem con-

ditionis metamorphoſim, Catholico Regi obtulit, annuum ſeptuaginta duorum millium aureorum reditum, quem pendere Neapolitanum Regnum debuit, non aliquo aſtu à ſe quæſitum vel extortum, ſed ſuæ aſſerit induſtriæ debitum fuiſſe, pactis feliciter ſponſalibus nuptiiſque inter Philippi IV. (tum Principis) ſororem Auguſtiſſimam & Ludovicum XIII. Galliarum Regem: quaſi hac demum affinitate & conjunctione, adverſus hoſtem quemcumque, vires Regni utriuſque invaluiſſent. Sic quoque D. Guytrius de Cardenas, primus Ducum de Maceda, quia nuptias Catholici Regis Ferdinandi & Iſabellæ Legatus procurarat, duas urbes, & quidquid iiſdem terrarum ac juriſdictionis appendebat, dono accepit; quamvis nequidquam Fiſcus ac Patriæ Conſervator in contrarium ſuaderent ac reluctarentur. Dux Sabaudiæ conjugii ſui auſpici, in perpetuum dedit pulchrum & opimum feudum Sommerivi: quamvis id, particulari privilegio, per Principes Pedemontanos abalienari non poſſe putaretur. At vero non unum, ſed multiplex omnino à nuptiis ejuſmodi bonum. Etenim qui armis ſubjugari hoſtes non poſſunt, per nuptias nonnumquam jugum ſubeunt: ſic ſive allecti, ſive illuſi. Præterea ut privatorum lites contracta affinitas non raro dirimit; ita nata

inter

inter Principes odia & contentiones, novæ ſocietatis benevolentia ſopiuntur: creſcit imperii robur & firmatur. Non ignoravit hoc Tarquinius Superbus, Romanorum Regum ultimus; qui ut vires ſuas augeret, Octavio Manlio, præcipuæ inter Latinos auctoritatis viro, filiam ſuam dedit uxorem. Sed Pyrrhus quoque Epirotarum Rex non aliam ob cauſam plures uxores duxiſſe legitur, quam ut multiplici affinitate potentiam ſtabiliret. Quid? Fortunatus ille apud Perſas Darius, ducta in conjugem Cyri filia, Regnum & facilius adeptus eſt, & felicius auxit. Nec vim illam conjugalis ſocietatis Carthaginenſes ignorarunt; qui, ut à Romanorum ſocietate Syphacem potentiſſimum Regem averterent, Sophonisbam Aſdrubalis civis ſui filiam uxorem ei dederunt. Poſterior vero ætas exemplis vel maxime abundat. Aquitaniam ſuperiori ſæculo Angli, & Britanniam minorem Galli tenuerunt, non alio titulo quam dotis, nec alio jure quam nuptiarum. Quin etiam hoc tam ſancto & arcano nexu, non ſemel inter Hiſpanos & Gallos, inter Gallos & Sabaudos, excluſis diffidiis pax coaluit. Ceterum inter Principes orbis Familias Regia Cæſareaque, illa Auſtriaca vere Auguſta, matrimoniis & cognationum affinitatibus ad maximum potentiæ gradum feliciter

V 6

liciter ſcandit, Imperiique limites extendit

——— ab ortu

Solis ad Heſperium cubile.

nimirum Æternitas quædam Auſtriacis Nuptiis hunc Felicitatis Nodum conſtrinxit. Primo Maximilianus cum Maria uxore ſine bello Belgium accepit: atque hoc erat, non Martis adulteri, ſed caſti Cupidinis armis populos & provincias potentiſſimas ſibi ſubjicere; non domando ſubditos habere, ſed regendò. Philippus deinde ejus filius, cum Ioanna Ferdinandi & Iſabellæ filia, Hiſpaniam ac tot illi adjuncta Regna, dotis nomine poſſedit: in quæ omnia Carolus V. Imperator Maximus ſucceſſit. Nuper etiam Philippus Secundus, tanto patre digniſſima proles, cognationis iure, Luſitaniæ, qua late patet, Regnum, tamquam maternam hereditatem ſibi vindicavit.

Iuſtiſſimam augendæ potentiæ rationem vides, quia ſine ſanguine decoram; duraturam quoque, quia ſine metu ſecuram. Quemadmodum enim ſurculus in alterius ſtirpis plantam inſertus, non ſolum cum illa ſuccreſcit, verum etiam fructum profert meliorem & uberiorem; ſic Regii ſanguinis in gentem aliam deducta ſcaturigo beatiorem Rempublicam reddit. Princeps autem ſubditos non facile affinitate ſibi jungi patiatur; exteris id potius tribuat. Ubi

enim

enim ortus conditio par, non æqua dignitas vel auctoritas eſt; verendum ne de propinquo æmulationis atque ambitionis facibus ſtimulata, nimium ſibi polliceri ac poſtulare incipiat; & quia non æqua, iniqua eſſe audeat. Una Gallia an non abunde exemplis ſufficit? In privatis quoque familiis, quam crebræ & præfervidæ inter cognatos agnatoſque ſuper ſucceſſionibus contentiones exſurgunt! Ambitio hic valet & impellit, raro æquitas; & ſæpe plus deſiderium, quam conſilium. Creſcunt familiæ erciſcundæ lites: & ubi conſanguineus exarſit ſanguis, quo arctior illius eſt nexus, eo hæ ipſæ acriores & implacabiliores ſunt. Adde, ſolo tempore actiones ac jura Principum numquam præſcribi.

Sed numeroſa prole Regna plerumque & Provinciæ minuuntur, velut ſcinduntur. Primogenitus quidem Imperium ſibi jure naturæ & ætatis prærogativa vindicat: at ceterorum dos dum partem auſert, totum labefactat aut convellit. Id ne accidat, è plurimis plerumque maſculis Turcæ primogenitum enutriunt, reliquos ne liberos quidem eſſe patiuntur. Sed quid hoc aliud eſt, quam naturam immani conſilio, imo facinore, violare, ne potentia frangatur? ſcilicet unius ſive fortuna ſive vita, aliorum ſanguine, ſed innoxio, conſtat: nec ſatis ſe pa-

trem Princeps putat, niſi parricida fiat. Mitior in filias crudelitas eſt. Eæ namque vel arcibus, æterno velut exilio, includuntur; vel certe ſi nubunt, ita ad maritum veniunt, ut patrem habere deſinant. Omne quippe jus, ipſaque Imperii dignitas, pæne cognatio, dote pecuniaria extinguitur. Hoc minus mirum: veteri enim & uſitato verbo; nulla inter Reges conſanguinitas eſt: imo quia Reges ſunt, Fratres ſeſe mutuo appellant: quæ communis eorum affinitas eſt; ſed admodum communis, facile materni lactis, atque adeo ſanguinis, colorem immutant Purpuræ. Votis ſi locum facimus, optandum fortaſſe ſit, unicam Principibus, ſed maſculam & vitalem eſſe prolem, omnibus animi & corporis virtutibus cumulatiſſimam, cui onus Imperii aliquando incumbat. Cum plures tamen erunt; in ſpem Regni atque grandium rerum adminiſtrationem ali debent; ut, ſi forte humanitus quid Primogenito accidat, ſuperſint qui ſuccedant. Digni proinde omni cura & humanitate, digni omni reverentia & honore, niſi Regni cauſa affectum omnem Chriſtianæ (quod Deus oderit) pietatis exuamus. Filiæ divini Numinis reverentiam & cultum edoctæ, aut vitæ aſceticæ ſeu contemplativæ conſueſcant & conſecrentur; aut ſi nubant, ea lege nubant, ut ſi naturæ vel ætatis ſterilitas

litas liberos neget, vel quæpiam hic cura natura potentior, dos ad Regnum revertatur. Quid ſi etiam ſine dote elocentur? Exemplum non longinquum eſt, maximum tamen, ut dignum imitatione ſenſeamus. Homines quidam, etiam minoris fortunæ, quandoque ad invidendam Principibus opulentiam ſibi viam ſternunt, & illuſtri affinium ſtemmati ſeſe inſerunt, haud magna virtute, ſed ſingulari deligendæ uxoris induſtria, qua non ad præſentem dumtaxat rerum conſtitutionem, ſed quæ obvenire conſanguiniorum morte hereditates poſſint, attendunt. Videat vero Princeps (is quoque monendus) ne ſplendida Legati oratione decipiatur, & comptis atque phaleratis quibuſdam verbis, ſed tantum verbis, circumventus, umbram magis quam rem inveniat. Videat, inquam, ne viliores ſint merces, infauſtæ nuptiæ ſint, quæ nimium ſuadentur ac prædicantur; ſic Mopſo Niſa nubat. Vetus dictum eſt: *Qui bonum eligit generum, invenit filium; qui malum, amittit & filiam.*

Porro quemadmodum, antiquiſſimo Gentium more, Principibus ſponſæ per Legatos peti ſolent; ita ſponſalia & matrimonia per eoſdem contrahuntur. Derivari exempla à vetuſta illa Abrahami, Davidis, ceterorumque Patriarcharum ætate poſſunt, qua hoc ipſum, ut fidem Litteræ Sacræ faciunt, jam.

jam tum eſt obſervatum. Hunc morem noſtra quoque hæc ætas admittit. Modus autem ejuſmodi contractuum induſtriæ prudentiæque ſolertis Legati fere relinquitur. iis enim viam præparaturus, puellæ ætatem, formam, mores, conditionem, ſpem hereditatis, fortunam Regni contemplatur. Illuſtre ſolertiæ in Aureliano, Clodovæi Francorum Regis ad Crotildem Burgundionum Regis ex fratre neptem Legato, exemplum eſt. Quandoquidem neque conſpectus neque ſermonis copiam ulli externo faceret Regia Puella; atque ita ille, neque exponere aut excipere mandata poſſet; conditionem ſuam mentiens; peregrini habitum induit, & in turba egenorum egredientem illam ſtata hora, qua ſtipem pauperibus ad latus ſacelli diſtribuere conſueverat, exſpectavit. Vix ea aderat, & liberalem inter egenos peregrino porrexit eleemoſynam. Ille manum leviter premens, ori admovit. Inſolitum geſtum Princeps admirata, hominem non ſine aliqua indignatione ac ſuſpicione aſpexit: inde in Regiam reverſa, accerſiri jubet. Ubi cum temeritatis redargueretur, nactus quam quæſierat opportunitatem, mandatum expoſuit; Galliæ Regem inclytæ ejus virtutis & pulchritudinis radiis ardere, Clodovæum Crotildi devotum ac mancipatum eſſe. Audiit illa, & oblatum à Legato annulum

tam-

tamquam arrham, accepit. Eſt autem annulus (ne hoc quoque non dicam) futuri matrimonii ac contractorum ſponſaliorum pignus verius, quam donum. Is digito, qui minimo in læva proximus eſt, geſtatur. Nam cum ab hoc digito geminus ac tenuiſſimus quidam nervus ad cor uſque pertingat; quando is annulo coronatur, conjuges unitos ſignificat, & fidei numquam ſolvendæ, candoriſque, mutui & amoris eoſdem admonet. Munera etiam & monilia, Legati, cum ſponſæ, tum ejus parentibus & amicis ac conſanguineis ſolent offerre. Porriguntur & implicantur dexteræ, in ſignum innodatarum atque unitarum voluntatum. Sponſalia quidem verbis de futuro, matrimonia vero verbis de præſenti, quæ mutuum exprimant conſenſum, peraguntur. Sunt hic verba, quædam quaſi vincula, nec ad notitiam tantum, ſed ad perennem animorum conglutinationem vernacula.

Unum hic nequaquam omittendum, ut cum Legatus ex Regis ſui mandato de puellæ conditione diligenter cognoſcit; judicet ipſe apud ſe prius, quod ſuis candide indicet: ne ſi hic ſimulet vel à vero declinet, reprehenſione & ignominiæ pœna dignus ſit, quam conſpicue Ethevoldus Eduardi Angliæ Regis Legatus ſuo malo ſuſtinuit. Is ad Orgerium, Cornubiæ Ducem, miſſus, ut animad-

ver-

verteret, num Alphreda ejus filia, ea eſſet venuſtatis præſtantia, quæ fama circumferebatur; num Majeſtati apta eſſet: ut vidit formam, ipſi adeo Regi invidit. Et ſic quidem ejuſce pulchritudinis ſpecies Legati animum corripuit, ut mox corruperit & fidem. Adulterata enim Legatione, Alphredæ Duciſque affectum ſibi, non Domino, devincire, variis commentis ſtuduit: præclarus ſcilicet Regis Vicarius. Reverſus itaque, Nec digna, nec utilis uxor futura eſt, Regi renuntiat. & ſic forma apud nimінem non laudatiſſima, vituperium paſſa eſt ejus, qui certus & ſolus ea potiri ſatagebat. Indoluit Rex, & impatientis amoris impetum vix cohibuit. Ubi tamen ardor iſte aliquot menſſum lapſu infriguiſſet, Ethevoldus (necubi cæcuties amori deeſſet) num ſibi Alphredam uxorem petere liceret, à Rege poſtulat. Annuit Rex. ducitur illa, & adducitur. Aſt divinam plane & ſupra fidem formam poſteaquam Rex contemplatus, deprehendiſſet qua parte impoſtoris ſponſi Legatio claudicaſſet; pulſus ſuccenſi amoris odiique ſtimulis, Alphredam ſtupro primum vitiavit, necatoque Ethevoldo ſine amaſiam ſive uxorem deinceps habuit. in quo variant qui narrant.

Apud ſolos Gallos Imperium affinitatis aut cognationis beneficio augendi modus exteris

teris locum non facit ob Legem Salicam: cujus quidem magis ratio quam origo nota eſt: & ratio quidem, ne feminis, & ſic neutiquam exteris, aditus aut jus pateat ad Coronam. Ubicumque autem Regno Princeps non naſcitur, ſed electione deſignatur, ut apud Polonos, Liberorum nuptiis ingens obex occurrit; dum adeo incertum eſt, quo Rex honore & ſucceſſore Regnum ſit relicturus: dumque non Uterus: heredem Regni, ſed Virtus Regem conſtituet.

DISSERT. XXVII.

Fœdera & Auxilia.

Conjugiis Fœdera vicina ſunt, & quæ Populos Principeſque pace atque amicitia conjungunt. Confœderationum cauſa eſt, ſuarum virium diffidentia, & alienæ potentiæ metus, quam nimio augeri nemo vicinorum lubens patitur: ne ſcilicet etiam ipſi prædæ cedant, iſque qui potentior eſt, cum volet (quotuſquiſque autem non velit cum poſſit?) opprimat imbecilliorem. Hoc fulcro ſic interdum animoſi evadunt Principes, ut alios aggredi & oppugnare non dubitent, qui ſuis freti viribus vix repugnare, nequaquam offendere auderent. Aiebat Phocion Athenienſibus: Ut apte te defendas, neceſſe eſt, ut vel tu potentior ſis quam

quam hoſtis, vel potentiorem habeas amicum. Et Criſpus: *Non exercitus neque theſauri præſidia Regni ſunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur.* Dicuntur autem fœdera percuti à fidei firmitate & virium robore. & tribus ea generibus, apud Livium, Menippus & Hegeſianax Antiochi Regis Legati diſtinguunt. Vnum eſt, cum qui numquam hoſtes fuerint, ad amicitiam ſociali vinculo inter ſe jungendam coëunt. Id autem cum iis maxime initur, quorum nobis devinctam eſſe fidem volumus, ſive ut tuti ſimus, ſive ut eorum auxilio non minus ad bellum inferendum quam propulſandum utamur. Ejuſmodi fœdus nuda fide interdum contrahitur; plerumque tamen datis acceptiſque legibus, & conditionibus adſcriptis. Sic amicitiam Romani cum Germanis, Inſubribus, Helvetiis, Iapidibus, ac nonnullis è Gallia Barbaris, ut teſtis eſt Tullius, inierunt. Leges ac conditiones quiſque ſibi (quantum aſtutia ſive auctoritate poteſt) utiliſſimas excogitat, & fœderibus includit; quæ deinde paciſcentium conſenſu publice recitari ſolent, &, ut amplius omnium curioſitati ſatisfiat, per typos & manus Populi tranſmitti. Nonnumquam tamen aliquas ex iis arcanas eſſe Principes volunt, & notitiæ publicæ ſubducunt. Alterum genus eſt, cum bello

bello qui pares aut feſſi ſunt, poſitis armis in pacem & amicitiam veniunt: quemadmodum Romani olim & Albani venerunt, cum miſſo in compendium bello, tergemini fratres hac lege certaverunt, ut cujus populi cives eo certamine viciſſent, is alteri populo cum bona pace imperaret. Tertium genus eſt, quod cum iis qui bello ſunt victi, initur. Eo autem in fœdere victores victis dant leges; & qui armis omnia ſui juris & arbitrii fecerunt, eam futuræ pacis rationem præſcribunt, quam ſibi utilem, victis non nimis aſperam arbitrantur.

Præteria fœderum quædam perpetua ſunt, quædam ad certum tempus: quædam ad offenſionem tantum, alia ad defenſionem & offenſionem ſimul contracta. In quibuſdam confœderati pari ſunt conditione, de his Æneas:

Non ego nec Teucris Italos parêre jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Invictæ Gentes æterna in Fœdera mittant.

In aliis prærogativam quidam habent. Ita in ſocietate Romanorum cum Latinis, de bello, de pace, aliiſque magnis rebus, ſoli deliberabant & decernebant Romani. Et quamvis Socii quidem illi vocabantur (& erant certe periculorum & laborum) victoriarum tamen gloria & fructus erat penes Romanos, quorum auſpiciis res gerebantur.

adeo

adeo ſane prudenter; ut quicumque Romanis arma inferre aggrederetur; tot ſociorum populorum & amicorum Regum vires experiretur. Quæ cum Rebuſpublicis coierint, lentiora quidem, ſed diuturniora fœdera crediderim. Apud Principes privati Conſiliarii & affectus, faciles concitant motus.

Poteſtas paciſcendi fœderis penes Principem eſt. Legati & alii quicumque à Principe adhibiti, miniſterium non auctoritatem impendunt. Qui itaque altiori Imperio ſubſunt, urbes aut proceres Regni, nec percutere fœdus, nec per ſe petere auxilium debent. Quod ſi omnino à Rege ſuo deſerantur, tum velut beneficio legis naturæ relicti, eodem uti ſolent; & quo neceſſitas vocarit, oculo irretorto rectoque veſtigio ſequi. Modum vero paciſcendorum fœderum à circumſtantiis pendere norit Legatus. At harum non minor diverſitas eſt, quam rerum ipſarum; obſervanda magis, quam deſcribenda.

Porro firma, fida & ſecura fœdera præſtat æqualis omnium utilitas, æqualis rerum agendarum aut ſuſcipiendarum metus. Nam quæ uni tantum profutura ſunt, vel etiam obfutura, per ſeipſa ruunt & diſſoluuntur. Tale videri fœdus illud potuit inter Paulum III. ac poſtea Pium V. Pontifices Maximos,

mos, Regem Catholicum, Venetoſque, adverſus efferentem ſe Turcarum potentiam initum. Et feliciter initum, quia vincere ad Naupactum hoſtium claſſem incomparabilem junctis viribus potuerunt: infeliciter autem, quia impar utilitas victoriam excepit. Arduum igitur non fuit diſſolui, quod tamen tot Legationibus coaluerat. Quiſque ad ſe & ſua commoda belli vires retulit. Ac ſane aguntur res Venetorum in Græcia: hæc à ditione Hiſpanica ſejuncta eſt. Hiſpanis utiles ſunt & neceſſariæ in Africam expeditiones: nihil ad ſe quæ in Africa geruntur, ſpectare Veneti putant. Ita fit, ut dum Veneti Turcarum in Oriente vires timent, & Tunetanorum Africæque totius viciniam Hiſpani ſuſpectam habent, non eodem animorum ardore nec eadem via in Magnum hoſtem eatur. Quid vero agat Pontifex, dum de præda Veneti Hiſpanique contendunt? Conſtitutus in medio, ſi vires effundat, de commodo ſuo parum certus. Non mirum profecto, diſſentire eos in prædæ diviſione, qui quomodo illam acquirent, hoſtemque vincent, non ſatis intelligunt.

Orator igitur, qui ad ſociale fœdus ſuadendum mittetur; illud externo Principi utiliſſimum inprimis oſtendet. Quippe in omnibus Principum conſultationibus, utilitas maxime ſpectatur. Ubi hæc non affulget, nul-

nullam ineundi fœderis ſpem aut amicitia, aut affinitas, aut ullum vinculum humanum faciet: omnis ſanguis exanguis eſt. Id præterea agendum eſt Legato, ut in ſuo potiſſimum fore arbitrio victoriam & ſecuritatem Princeps credat. Et quia acrius percellit animum mali metus, quam ſpes boni; docebit, ſine hac communione animorum & virium, graviſſima quæ immineant pericula evitari non poſſe. Si adverſum Turcas agatur, inprimis urgeam, quam immanis ambitio ſit, quam trux imperium, ut omnino junctis viribus ejus potentiæ reſiſtendum ſit, cui ſinguli numquam ſufficiant, ſed ſuccumbant ſinguli, donec calamitas involvat univerſos. quemadmodum enim leones, tigrides, urſi, tauri, & fortiſſima quæque animalia, ſi pluribus infeſtentur canibus, ſuperari atque intercipi contingat; ita crudelis ille Orientis Tyrannus, & jam *victor Græciæ Xerxes*, ſi plurium manus armatas ſentiat, cadat aut certe cedat neceſſum eſt, tot Regnis Provinciiſque in prædam relictis. Prædixerunt de Romanis, & Seneca & Livius; Haud impoſſibile fore, ceteros populos uni populo libertatem imperiumque eripere, qui unus ceteris libertatem imperiumque eripuerat.

Quod ſi vero ad diſſuadendum mittetur Orator; præcipe quidem, quam infelicia allo-

aliorum experimentis fœdera conſtiterint, aperiet. In diſſidia pluſquam hoſtilia ea converti poſſe: imo ad injuſta quandoque & pernicioſa bella confœderatos ab iis trahi; quorum furor fœderibus concitatur & creſcit: Meminiſſe Principes debere, uno belligerantium adjuto, plures offendi; offenſorum autem unum, plus damni allaturum, quam commodi aut ſpei ſit à pluribus noſtro auxilio ſuffultis. Prava dixerim, an infelicior, indoles mortalium! promptiores adeoque ingenioſiores ſunt ad offendendum & turbandum, quam ad juvandum. Sed ſi à priſco malimus quam à noſtro ſæculo Politicam diſcere; ſi à Martis illo populo, qui orbem olim præceptis cogebat, hodie inſtruit; obſervaverimus, quomodo Campanis jure amicitiæ ſuppetias petentibus, reſponſum ſit: *Auxilio vos Campani dignos Senatus cenſet; ſed ita amicitiam vobiſcum inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior ſocietas violetur.* Religio hæc eorum erat; ſed ut regionis & terrarum potirentur. Fuerunt, diximus, ſocii Latini, mox ſubditi: fuerunt amici, Aſiæ, Ægypti, Maſſiliæ, aliarumque Gentium Reges, poſtea vectigales: fuerunt ſub tutela Capuani Meſſinenſeſque, poſtmodum ſub imperio: omnes uno auxiliorum prætextu libertatem amiſerunt. Quid aliud (ajebat Claudius Imperator)

X exitio

exitio Lacedæmoniis & Athenienſibus fuit, quamquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At Conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives haberet.

Licet vero nihil religione Fœderum Regiorumque pactorum, ut auctor eſt Xenophon, habendum ſit antiquius; inita tamen levi interdum momento prætextuque diſſolvuntur ac corruunt. Hinc plerumque ſi quis primis Confœderatorum inſultibus valide reſtiteret, protinus impetum torrentis inſtar flacceſcere animadvertet; dum aliqui advocatorum, diffidere, cunctari, diſſilire, ſeſe ſubtrahere aut excuſare incipient. Numquid rotularum una diſrupta, omnem horologium uſum amittit? Quod ſi vero conditiones violatæ ſint, morte vel eventu quopiam mutatæ; ſi errore, aut non ſatis honeſto juſtoque aut poſſibili modo contracta fœdera; mitti Legatus ad Confœderatum ſolet, qui pactorum vinculo liberari poſtulet, aut jure expoſtulet. Sed quoniam non raro fit, ut inter Confœderatos de fœdere ipſo aut aliis quandoque rebus controverſiæ oriantur, quæ amicitiam contractam labefactent; conſultum eſt, aliquos eſſe fœderis arbitros ac judices utriuſque conſenſu partis conſtitutos, quorum judicio ſtandum

dum ſit. Interdum fœderis protector deſignatur: cujus officium eſſe debet, fœdus ipſum quam diutiſſime conſervare, nec ſiniſtram ullam affectati imperii ſuſpicionem dare, ſed eumdem ſe utrimque exhibere.

Ritus quibus feriri fœdera conſueverunt, varios nobis priſcum ævum repræſentat, ipſis cærimoniis pæne monſtroſos; ſed ut conſtaret, haud levis rem negotii geri. Nonnulli Diras adhibere ſoliti, quibus eum qui pactis non ſtaret, devovebant. Apud Medos Lydoſque, Herodoto teſte, tum prius ſanctum fœderis vinculum erat, cum eductum mutuis è corporibus ſanguinem guſtarant. Principes Multitudinis juraverunt fœdus Gabaonitis in nomine Iſrael, & Dei Vivi. Parthi & Ætoli, altaribus admoti, Diis tamquam teſtibus arbitriſque poſtquam libaſſent, ſancire fœdera ſolebant; & quid niſi conſecrare? Hoc illud eſt, quod noſtra tempeſtate maximi & potentiſſimi Principes, non tam imitantur, quam pie mutant inſtitutum, qui ſumpto Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento, contracta confirmarunt fœdera: rati, neque melius neque certius amicitiæ pignus tam ſancto pacis operi adhiberi poſſe, quam eum qui omnis pacis & auctor & tutor eſt. Imitentur omnes qui Catholici ſunt: qui non ſunt, videant,

qua apud homines teſſera fidem fœderibus præſtent, cum adhibere Deum non poſſint. Alios etiam alioſque ritus antiquitas uſurpavit; qui etſi ad mores & exemplum trahendi non ſunt, fœderum tamen ſacroſanctam apud omnes religionem extitiſſe demonſtrant.

Monitum autem Legatum hic decet, certe memorem, ut in paciſcendo maxime circumſpectus ſit. Experietur enim fere ſemper, vaticinio Plauti, quod cautus, etiam dum cavet, vix cavet. Nimia credulitas magnam huc ſæpe calamitatem vehit: fideſque quanto acceleratior, tanto facilius nocet. Ad exemplum ire lubet, ſed prolixius, & quod Alcibiades dabit. Is, ut Thucydides Plutarchuſque teſtantur, cum Niciæ agitari inter Athenienſes & Lacedæmonios fœderis gloriam invideret, toto ingenio apud populum adniſus eſt, ut impedimenta objiceret. Athenas miſſi à Lacedæmoniis Legati veniunt, qui abſolutam fœderis firmandi ac contrahendæ ſocietatis poteſtatem ſe habere aſſerebant. Quid Alcibiades? quod apud Populum auctoritate non potuit, aſtu per Legatos ipſos peregit. Hi à Senatu admiſſi, quæ acceperant à Republica ſua, mandata exponunt; cum plena autem ſe poteſtate adeſſe, ut de controverſiis omnibus ſtatuerent. Veritus igitur Alcibiades, ne

quæ

quæ oratio ratioque Senatum moverat, multitudinem imperitam flecteret, hoc uſus eſt vaframento; Legatos Senatu inſcio adiit, non obſcura benevolentiæ ſuæ argumenta recenſuit. At vero multum inter Senatum & Populum, inter nobiles & plebeios intereſſe; utrobique aliorum eſſe contemptum, atque odium, utrimque ſuſpicionibus animos laborare; utriſque tamen eſſe conſulendum. Hortatur vero, ita apud populum agant, quaſi nec libera mandata, nec plenam poteſtatem habeant, imo quaſi proponere, non peragere videantur: futurum, ut quo plus ſuam apud populum auctoritatem tegerent, majorem apud Senatum obtinerent. Eam eſſe plebis naturam, ut nihil ſit inconſtantius; facili faſtidire, ardua mirari, ignota venerari, negata concupiſcere: imo eos eſſe ſpiritus, ut ſi à præſenti ſciat omnia arbitrio dependere, imperioſius actura ſit, ſuo lubitu conditiones exactura: eam denique promiſcuæ plebis eſſe indolem, ut niſi poſtquam paulo hæſitaverit ac murmurarit, neſciat rationi cedere. Detineri igitur oportere, ac paulatim duci, ut perduci poſſit. feſſos animos, inopinata beatitudine ilico obrui facilius fore, ſi læta parumper ſpe titillentur, votiſque agitentur, incendantur. Hæc Alcibiades: quæ ut vera viderentur, jurejurando, ac tantum non lacry-

mis, confirmavit; ut arcana eſſent, ſilentium petiit & impetravit. Ingens Legatorum exultatio erat gratulatioque. Poſtero autem die cum eſſet convocata multitudo, Legati introducti ſunt. Auſpicio orationis, cum negarent, ſe cum plena poteſtate veniſſe, & hoc modo quæ proponerentur, populi exſpectatione, & iis quæ pridie in Senatu dixerant, addixerant, longe minora eſſent; Alcibiades ſimulato animo, quaſi & ipſe actionis inſolentia læſus, magna voce, tamquam in verſipelles invehi cœpit: aliam in Senatu orationem fuiſſe: nihil eſſe in iis ſancti, nihil ſinceri, qui vel in Senatu mentiti eſſent, ut doloſe agerent; vel populum fefelliſſent, ut Reipub. nocerent. Aſſentiuntur omnes, indignantur: pars levitatem, alii contemptum, alii dolum interpretati ſunt. Quæ ſumma eſt, Legati, Alcibiadis aſtutia circumventi, dum mandata ſua tranſgrediuntur, pro laude ludibrium, pro deſiderata ſocietate ac pace triſte ac turpe bellum reportarunt.

Fœdera cum infidelibus dicuntur illicita, cum perfidis timenda, cum ſubditis turpia. Attamen ubi ferulam protenderit magiſtra neceſſitas, non cum quo illa percutiantur, ſed quo impulſore, attendi ſolet: quantus hoſtis ſit, quid alterius ambitioni aut prædæ magis pateat opportunum. Ita Magnus ille

Pa-

Patriarcha Abrahamus, fœdus olim cum Abimelecho Palæſtinæ Rege percuſſit: ita Ioſue cum Gabaonitis, quantumlibet idololatris, amicitiam & ſocietatem iniit: ita Rex Aſa, quem Sacræ Litteræ nihil mali in conſpectu Domini feciſſe teſtantur, adverſus Regem Baſan, Benhadadi Aſſyriorum Regis ſuppetiis eſt uſus. Ne quid accuſetur, cauſa una neceſſitas erat.

Armis quidem ſe muniunt Principes, potentia qui pares ſunt; auxiliis fœderibuſque, qui impares, & quibus non ita agendum, ut cui imperent, quam ne cui ſerviant. Et quamquam eæ vires tutiſſimæ & certiſſimæ ſint, quæ propriæ: ubi tamen illæ ſubſidunt, opus ut domeſtica imbecillitas externa ope nonnumquam fulciatur; opus, ut quod propriis viribus deeſt, alienæ ſuppeditent. Si quando autem auxilium flagitatur, ut firmiori feliciorique cauſæ te adjungas, lex humana docet, divina ut æquiori. Hinc plerique grande illud ſcitum opere exprimunt:

——— Fatis accede Deiſque

Et cole felices, miſeros preme. ———

quaſi non aliud ſit miſeris ſeſe adjungere, quam cum miſeris velle perire, aut ſaltem infortunii aliquam partem ſibi affricari. Deinde nullum ſuppetiis juviſſe aut læſiſſe, non ſatis tutum ſemper. Sæpe enim qui ſe utrimque amicum Princeps ſimulat, utriumque

ſuſpectus fit, mediumque ſe gerendo à neutro init gratiam, utrumque offendit. Potentioribus ſi quid neges, non minus inviſus ſis, quam ſi aperte noceas. Putant ſe læſos, quia non juveris rogatus. Nec abs re dictum eſt; Cui nemo inviſus eſt, eum nec amicum habere quemquam. Scio ego, factionem inter inimiciſſimos fuiſſe compoſitam, ut ambiguum, puſillanimem, fictumque aſſentatorem commodius mulctarent.

Verumtamen ei lubentius adhærere cui fortuna magis propitia arridet, privatorum non Principum dixero eſſe conſilium. Nam ſi æquali fere potentia Monarchæ duo bellum gerunt, ei potiſſimum ceteri minoris fortunæ Principes opitulabuntur, quem oppreſſum iri non obſcuris conjecturis ſibi perſuadent. Eapropter etiam mutare fœdera rerumque ſtatus perſæpe ſolent; ut nunc Reſpublica Principi huic tota ſeſe addicat, nunc eo abdicato ad alium Legatos & ſuppetias mittat, quod ita & temporis ratio & publica utilitas exigere videatur. Bellum ingens aliquando Romanos & Macedoniæ Regem Perſeum colliſit. Magnæ erant utrimque vires: at alio atque alio affectu vicini ferebantur: alio etiam fine juvare adniſi; ut videlicet attritis utrimque viribus neutra potentior pars altera oppreſſa fieret. Non alia hodie Regum aut Rerumpublicarum ſunt

con-

conſilia. Mutuus metus mutuam non ſinit potentiam creſcere: in aliorum oppreſſione, ſuam plerique ruinam timent. Deinde oppreſſorum cauſa, plerumque favore dignior: & utilioribus pactis conditionibuſque auxilia imbecilliori præſtari poſſunt, quæ non tam petentem juvent, quam concedentem. Ita quondam Ferdinandus Corteſius, dum Tangellanis adverſus Mexicanos potentiores opem tulit, juvit quidem, ſed & hos & illos Catholico imperio victor ſubjecit. Nimirum ſe juvit, qui non ut hoſtis, ſed neque ut Dominus in auxilium vocabatur. Ideoque imbecilliores, ſuſpecta potentioris auxilia habent, ne in externa dominia convertantur, & verius ad ſervitutem gradus ſint, quam ad libertatem aut tranquillitatem. Et ne ejuſmodi præſidia præſideant; videndum ne auxiliarius miles numero aut robore ſuperet noſtrum, nec niſi domeſtici exercitus ducibus ſubjiciatur ac obediat. nimerum ut furorem facinuſque omne cohibere & reprimere poſſit, qui auxilium requiſivit. Quid ergo? belli controverſiam deponere aut ſeponere præſtat, quam victoriæ ſpe decipi, &, ut hoſtem vincas, ab amico ſubjugari. Cum feſſi ſunt & exhauſti qui viribus minus utrimque valebant, ſæpe à potentiori opprimuntur. Duo olim Thraciæ Reges Philippum Macedonem, cum controverſia de

Regno inter eos graviſſima eſſet, judicem elegerunt. Venit Philippus, ſed cum exercitu; venit judex, ſed jus armis dixit: neque ſolum contentione utrumque liberavit, ſed etiam contentioſo exuit Regno. Injuſtitiam! inquis. Sed anne rationis aut juſtitiæ reſpectus omnium refrenet ambitionem? Fingitur juſtitiæ ac rationi eſſe conſentaneum, quidquid potentiam auget. Rogari ut juvent ſatis aliqui cenſent, ut violenti ſint: juviſſe tum ſe putant multi, cum vicerunt. Facile fit hoſtis qui poteſt opprimere. Ambitioſa omnis potentia eſt, ac difficulter vergit ad mediocritatem: obeſſe ſibi putat, quidquid ſubjectum non eſt. Reſtituere quoque intercepta tergiverſantur alii, non ſolum quia ſumptus bellici non refunduntur; ſed vel eo prætextu, quia conſervare quæſita non poſſet is, cui alioqui debentur. Livoniam olim ſub Templariorum Equitum ditione fuiſſe accepimus, ut laudabili primum œconomia ac prudentia, ſedem illi conſtituerant in amœniſſima ac fertiliſſima regione. Dum autem Moſcoviæ Dux domicilium iſtud ſibi arripere contenderet; illi viribus ſuis diffiſi, opem Regis Poloniæ per Legatos implorarunt. Protectionem Rex impigre ſuſcepit, arceſque ſibi ultro traditas, ſimiliter ſeſe reſtituturum eſt pollicitus. Poſitis feliciter armis, perſolvi ſibi voluit

voluit ſexcenta aureorum millia, quæ illis impenderat: ſic pignori incumbere malens, quam perſonis. Aſt de reſtitutione hinc nummorum, iſthinc arcium, altiſſimum deinceps manſit ſilentium. Corinthus non alia de cauſa in tyrannidem incidit, quàm quod Timophanem Imperatorem peregrinum advocaſſet. Britanni ab Anglis, Hiſpani à Mauris, Græci à Turcis, quos ad præſidium evocarant, Imperio ejecti ſunt. Pari fere jure aut arte Galliarum Rex Henricus II. Metim, Tullum, Verodunum, tres magnas Imperii civitates occupans, Regno ſuo reſervavit. nam cum adverſus Carolum V. Imperatorem protectionem cauſæ liberæ ac propugnationem ſuſcepiſſet, illatis auxiliis hanc Imperio partem ademit.

Auxilio juvandus Princeps, videat, num id quod petiturus eſt, ea probabili ac plauſibili ratione nitatur, ut quæ in contrarium moveri poſſent, dilui poſſent; utque implorandus, veriſimiliter exorandus ſit. Repulſa enim Legationis, præſertim requiſitoriæ, neſcio quis externæ auctoritatis atque arrogantiæ triumphus & ſtimulus ſit, injuſtitiæ puſillanimitatiſve exprobratrix. Romani autem poſt Cannenſem cladem, ſociorum Legatis auxilia denegarunt; ne viderentur, dum petitas ſuppetias ferre vellent & deberent, præſtare non poſſe.

Ne tum quidem animum ilico deſpondet, vel ad ſuos revertitur Legatus, quando is quem adivit, petitioni renuit: ſed potius tamquam reſponſo hæreret, vel non ita attendiſſet; inſinuabit, Sperare ſe ponderanda fore argumenta, quæ utrumque Principem maxime deceant atque juvent. idque aget, ſic alias recuſaturi animus capax maneat, ut interpoſitu perſonarum & rationum, tum dierum & rerum opportunitate, melius edoceri & conſentire poſſit. Reperire enim fuit tam pertinaciter ſtolidos, ut malum morti par dedeculque ſummum exiſtimarent, ſi à ſententia, quam ſemel protuliſſent aut probaſſent, deinceps recederent.

Deinde animadvertendum Legato, ne humili nimium prece, anxiave adulatione, aut intempeſtivis virtutibus ſubruat vel magis negotioſum reddat negotium. Imploret itaque, nec ploret tamen; neque Regni ſtatum humilius deprimat, quam ſtare poſſit. Quid enim ſi alter vel crocodili lacrymas vereatur; vel cumulans animos, neceſſitatis iſtud onus gravius imaginetur, quam ut ſuccumbens ſuſtinendo ſit; itaque tolli poſſe quidquid ſubjacet, ſpoliis forte cum alio quopiam partitis? Validius, inquam, ſpei ac utilitatis vel metus aliqua ratio commovere ſolet, quam commiſeratio ulla calamitoſi caſus aut charitas pluſquam Chriſtiana.

Rur-

Rurſuſque cavere debet, ne rogandus potius videatur adveniſſe, quam rogaturus; imperatori ſimilior, quam oratori: ſed juxta genium negotii, fortunamque ejus qui petet aut præbebit auxilium, orationem formabit Legatus. Erit tamen ubi ſic exiget, ut extorqueat, ſpretaſque preces in imprecationes minaſque covertet: nimirum ſicubi cogere poſſit, qui rogat. Themiſtocles ſubſidium nummarium ab Andriis petiturus, rogatus, quos ſecum comites Legatus adduxiſſet; Suadam, inquit, &, ſi mavultis, Vim. Num potuit ſublimius? Pariter dum ſuper hoc belli nervo Heros quidam à Principe ad Provinciales ſuos miſſus nil obtenturus videretur, eo quod hi per Senatum ſuum exhiberent ipſo ſitu pæne abſumptos codices, & in iis privilegia vetuſtate jam fere illegibilia, quibus tandem ſtatuerent, ſe neutiquam aliorum Ordinum ſuffragiis comprehendi aut cogi poſſe: ceterum ſeſe ad patriæ defenſionem etiam ſanguinem impendere velle; cum ne minimum eorum quæ requirerentur præſtarent, ubique excipientes & intonantes per legem, *Solemus*. Aſt ille: Etiam privilegia, præjudicia fieri contingat, ni ſane uſurpentur. Quare, evolvite, revolvite, boni viri, ait, codices veſtros; atque ex iiſdem facile legetis aut intelligetis, præſenti patriæ neceſſitati omnino eſſe ſubveniendum: non

privilegium illud, nihil debendi, nihil dandi, prævalere poſſe; ne præſidiario milite edoceamini, quæ alioqui non ignoratis, vel male ignoratis.

DISSERT. XXVIII.

Culpæ aut calamitatis deprecatio. Solamen. Congratulatio. Odii incitamentum. Munerum latio.

CAuta tamen ſubmiſſione Legatis ſubinde utendum eſt, dum culpa aut injuria quæpiam apud potentiorem abſtergitur; iram, ambitionemque neceſſitas dimovet. Præſtat quidem precando ſervari, quam ferociendo perire. Quid? Regibus devictis diademata, vultu cultuque ſordidato, & genibus ſubnixis, ad pedes victorum depoſita fuiſſe, alibi diximus. Si exempla etiam plura poſcis; talis acceſſit Iugurtha ad Caſſium, Caſſius ad Senatum, Diotarus ad Ciceronem, Herodes ad Cæſarem, Tiridates ad Corbulonem, Decebalus ad Trajanum, Antonius Marci frater ad Cæſarem. Hanc humilitatem etiam in Legatis Principes atque Reſpublicæ ſuſtinent. Regem vide Aſſyriorum, & tamquam reum: triſti putes ſupplicii pompa fortunam exhiberi. Victus ab Achaabo, miſit ad eum Legatos ſupplices, ſacco indutos, cervicem reſte circum-

cumdatos. Qui ſic Vicarium mittit, nonne videtur ire? Non diſſimili modo Legati Carthaginienſes, victo Annibale, proſtrati ad genua Scipionis: Legati Syracuſani prolapſi ad genua Marcelli Conſulis: Legati Saguntini, Senatui Romano ſupplices. Modeſtiam hic vero Victores diſcant. Tigranem Pompejus Magnus pedibus ſuis advolutum diu jacere paſſus non eſt, ſed benignis verbis recreatum, diadema quod abjecerat reſumere & referre ad caput juſſit: certiſque rebus imperatis, in priſtinum fortunæ habitum reſtituit; æquè pulchrum eſſe judicans, vincere Reges, & facere. Benignitas hic Magnanimitas eſt: & quidni uſurpanda, cum incolumitati Regni nihil decedit, nec hoſtis in totum opprimi & ſimul extingui poteſt? Porus jam prælio ſuperatus, & fortuna ſpeque omni exutus, cum ab Alexandro Magno interrogaretur, quid de ſe ipſe ſtatuendum eſſe cenſeret; Quod hic, inquit, dies tibi ſuadet, quo expertus es, quam caduca felicitas ſit. Ita plus monitis profecit, quam femineo ejulatu aut degenere prece profeciſſet. imo jam exorarat, priuſquam rogarat. Enimvero devictum, non commiſeratione modo, ſed etiam honore excipere dignatus eſt Alexander: ſaucium vulneribus, non ſecus quam ſi pro ipſo illa excepiſſet, benevole curavit, con-

confirmatumque in numerum amicorum adſcripſit: mox etiam ampliore donavit Regno, quam eripuerat. Sed utique Alexander is erat, qui excelſo animo fortitudinis famam promeritus, illuſtriorem eam fore rebatur, quo majores fuiſſent quos feciſſet. Gravis ſarcaſmus fuit Valentiniani, qui formidabili apparatu cum adverſus Sauromatas profectus eſſet; atque illi metu & diſcrimine perculſi per Legatos pacem ab eo petiiſſent; ubi ſordidatos aſpexit, an omnes Sauromatæ tales eſſent, quæſivit. Reſpondentibus illis; Optimum quemque, qui genere & forma præſtaret, ab eis in Legationes mitti ſolitum; Peſſime igitur, inquit ille, agitur cum Imperio Romano, ſi tam barbara & deformis gens, ſedibus ſuis excita, nos ultro laceſſit.

Ad gratulandum aut condolendum, non ſolum litteræ, ſed præteria Legationes mittuntur: & quidem tempeſtive; ut videamur amicorum caſibus non minus affici quam noſtris, nec interveniens mora contemptum vel livorem quempiam indicet alienæ ſortis: quæ ipſa jam forte mutata ſit, vel mitigata. Nec vero affectus elucet, niſi qui primo & repentino concitatur ac pæne præcipitatur motu.

——— *Non patienter amo.*

Ridicule etiam gratuler illi, cujus jam gau-

gaudium una cum ſuo bono conſenuit. Refert Suetonius, Trojanos Legatos ad Tiberium, qui pæne ab anno Druſum ſuum ſepelierat, officioſi luctus gratia veniſſe. Tiberius autem, quaſi jam refocillato nec renovando patris dolore, Et ego, inquit, Trojanorum dolori pariter condoleo, Hectorem vobis periiſſe. is porro à multis retro ſæculis occubuerat. Ejuſmodi advenis quid niſi riſus? rubor? Dynaſta quidam, Legatum ſuum ſic tarde mittere diſtulit ad Regem, qui ab octo menſibus Regina viduus erat, & ad novas adeo nuptias ſe accingens. Admiſſus itaque eſt Legatus: utque amorem mœrore teſtaretur, veſte vili atque atra indutus fuit, quæ etiam tacentis luctum loqueretur. Aſt vero dum Regem conſpexit habitu minime ſevero aut ſordidato, quin potius ſupra morum ſplendido & compto, obmutuit: ſubmuſſitans dumtaxat; Meus Dominus, Dominus meus. Ut advertit, avertit verecundam perturbationem Rex: &, Non tarditas, inquit, Principis tui, ſed impar moræ affectus meus effecit, ut opinionem veſtram novis ſponſalibus præverterim. Si pluribus hic exemplis inſiſtendum eſt; Ammonitarum Rex poſtquam patrem ſepelierat, Davidis Legatos admiſit, luctum ſubtriſti geſtu teſtantes, ſolamenque adferentes quale ab amico exſpectare vel audire

dire poſſet. Mortuo Alexandro Moloſſorum Rege, Athenienſes Cleopatram Philippi filiam Legatione ſolati ſunt. Coſroës Iſdigunnam ad Iuſtinianum miſit, per quem de vacillante Imperatoris valetudine certior fieret, ſimulque munerum amœnitate ſublevaret ægrum, ſibique conciliaret. Neque enim alias, alterius memoriæ vel affectui ſe inſinuandi opportunior occaſio obveniat, quam ſi in ægritudine perplexiſque rebus vigil cura veneratioque depromatur.

Sic ſe amor habet. Quibuſnam vero criminationum vel machinationum modis odium alteri concilietur, hic quoque explicare luberet; niſi ad ſeminandam diſcordiam, ad nequitiam plus æquo ſaperent & propenderent homines ambitioſi: modico, pro dolor! Conſcientiæ aut Conditoris ſui ſenſu. Sæpe ad ſcelus ſufficit ſuſpicio, imo ſufficit pro ſcelere. Et notam appellat Tacitus artem Ducum, ut vafritie maliſque artibus alios quandoque exagitent & vapulent ipſi. Illud ſolum monuero; conferat lynceos & emiſſitios Legatus oculos; quibus etiam, ut ita dicam, aulæa parietumque vela penetrare & ſcrutari valeat. Quid enim ſi quis enunciationis & ſermonis captator ſive arbiter delitеſcat? quid ſi Legatus vel amicus Principis, in quem inſtigationum commenta acuuntur, in quem odium concitatur, tam-

tamquam ex inſidiis exploret ſingula, ut facilius referat atque deſtruat? Fieri interdum ſolet: & hac turpitudine palatium aſtuti Regis Ludovici XI. notat Cominæus. qua & uſi quoque ſunt alii, dum majore ſtudio ferrentur in eum qui odium exciperet, quam qui exſuſcitaret.

Sed Munerum quoque aliquid Diſſertatio iſta pollicetur. Et hæc magna rerum omnium inſtrumenta ſunt, quæ miſſitari à Magnis ſolent: pulchra quidem & laudanda, cum honeſtati aut honori conſecrata, pacem ac benevolentiam vel ſervant vel conciliant. Ut rem æſtimemus, hinc virtus nomen accepit quam munificentiam dicimus, matre liberalitate natam. Cum vero boni omnes liberales, præcipue Principes munifici ſunt, & dona invicem mittunt. Illi igitur per quos mittunt, Legati ſunt, & plerumque nec ſine munere mitti ſolent. Mittunt Principes munera, Legati ferunt. Principum hic quodammodo manus Legati ſunt; & quia ferunt, dare & ipſi videntur. Ut feliciter igitur dicant, dant quoque; & dant interdum, cum nihil præterea dicendum eſt. Promiſcue quidem exempla ſunt, attingenda nunc potius quam referenda. Simon Iudæorum Dux, ut in libris Machabæorum legimus, ad Demetrium Regem regium omnino munus, id eſt, coronam miſſu-

miſſurus, Legatum miſit. Maſaniſſæ Regi (quem victoria adverſum Carthaginienſes obtenta Scipio Regem fecerat) Senatus Romanus ſagula purpurea duo, cum fibulis aureis & tunicis cum lato clavo, equos duos phaleratos, bina equeſtria arma cum loricis, totidem tabernacula, & militarem ſupellectilem, qualem præberi Conſuli mos erat, ferenda per Legatos decrevit. Nonnullos profecto Principes indignatos fuiſſe ſcimus, niſi omnium primum quod viderent à Legato munus eſſet. Alii ne ſine munere quidem adiri aut ſalutari voluerunt: quod ſolemne fuiſſe Parthorum Regibus Seneca refert. Legatos, qui Soldanum Babyloniorum adierant, contemtui ludibrioque fuiſſe ſcribit Petrus Martyr. Videlicet Principes obſervantiam ſui affectumque quamvis minime quæſtu pretiove metiantur; munera tamen, ut jam dixi, mittunt & admittunt: quia Principes ſunt, & magis quia felices ſunt. Neque enim afflicti, iive qui emergendi ſpem non habent, recipiendis muneribus magnopere occupantur. Quid? quod ſui venerationem valideora Imperia ab invalidioribus acceptione munerum impetrant, ceu ſignis tributiſque alieni cultus & obſequii. Rex Latinus Oratoribus Æneę referentibus:

Dat tibi præteria fortunæ parvæ prioris
Munera, relliquias Troja ex ardente receptas.

non contemptim, ſed graviter reſpondit:

——— Dabitur, Trojane, quod optas:
Munera nec ſperno. ———

E ſplendore ejuſmodi munerum judicatur etiam de ingenio ac magnitudine animi ejus qui donat. Ideoque apte Iuſtinianus, cum propagandæ ac confirmandæ pietatis Chriſtianæ gratia Legationem ad Orientales mitteret; electo ad id Theophilo Indo viro inſigni, ducentos è Cappadocia equos, variaque ſummæ artis ac venuſtatis dona perferenda liberaliſſime dedit, ut nihil non admiratione & laude dignum à ſe prodiret. Mittuntur ſiquidem commodiſſime ea, quæ magnificentiam, felicitatem, victorias mittentis, Regnique opulentiam tacite velut prædicent. Solet etiam raritas donis gratiam conciliare. Artabanus Parthorum Imperator, Tiberio Cæſari Iudæum donavit proceritate ſeptem cubitorum, & alterum homunculum tam humilis ſtaturæ, ut magni illius nondum poplites capite contingeret: & gratum id munus fuit; non enim monſtra infimo ubique habentur loco.

Danda autem eſt opera, ut grata & accepta ſint munera. idque ab ingenio accipientis potiſſimum æſtimabitur: ut ſi equis, unionibus, vel auro is delectetur; dentur equi, uniones, aurum. Si opima præda potitus ſit Princeps; pertiri quippiam poterit amico, qui

qui victo infenſus ſit. Si alterius conjux primogenitum enixa eſt; ab uxore hæc mitti gratum erit, quæ inſerviant infanti & puerperæ. Et magnum equidem judico diſcrimen, ſi quis re quapiam omnino delectatus aut etiam egens donetur, vel ſi humanitate tantum ductus, eamdem non recuſet. Priſca ſane ſacrificia, non alias quam quibus oblectabantur hoſtias, ſingulis Deorum immolabant. Deinde laudatur in donis, velut in obſequiis omnibus, opportunitas, tum benignitas & promptitudo.

Nam qui moratur, eſt neganti proximus.
——— Acceptatiſſima ſemper
Munera ſunt, auctor quæ pretioſa facit.

Hæc vero quæ publica ſunt, videndum, ut tum offerentis, tum acceptantis honori quoque conveniant. Alexandro jus civicum obtulerunt Corinthiorum Legati. Siccine rem minimi? inquit Alexander. Quin imo maximi, reſpondent illi. Quippe uni Herculi iſtud hactenus detulimus. Sic placatus, etiam gaviſus eſt Alexander. Periilus Alexandro familiaris, cum dotem filiabus ſuis petiiſſet, quinquaginta eum talenta accipere Rex juſſit. Cum vero is diceret, decem ſufficere; Tibi quidem, inquit Rex, accipere, ſed non mihi iſthæc dare. Quædam, ait Seneca, minora ſunt, quam ut exire à magnis viris debeant. Danda non minus

eſt

eſt opera, ut munus, quoad fieri poterit, ſolidum ſit, & duraturi uſus. Maximilianus I. Imperator, Legatis Venetorum permulta artificioſi laboris vaſa vitrea offerentibus, grates quidem egit ingentes; priuſquam tamen diſcederent, abacum cui impoſita erant, clam, ſed velut caſu, everti mandavit, ut ſcirent dona non eſſe quæ tam facile frangerentur. Quamvis non ſolum doni vilitas, ſed & myſtica ſignificatio ſagaciſſimo Imperatori ſuaſiſſe intelligatur, cum Venetos, tamquam per hieroglyphica ſigna, vitreæ & inconſtanti ſuæ fortunæ illudere, quam in bello, cum iiſdem fortiſſime geſto, expertus erat, haud obſcure animadverteret.

Munera quæ hoſtes mittunt, quandoque ſunt cuiuſpiam erroris aut infortunii exprobrantia, quandoque etiam ſunt inimicitiæ veneno illita & obtecta. utut mittantur,

——— *timeo Danaos & dona ferentes.*

Talis aureis ab Rege Perſarum miſſis ad Demetrium, exprobrata eſt ſeni puerilis levitas, & canities aleæ intenta. Alexandro aurea fiſtula pariter miſſa, nimium muſices ſtudium militi objecit & inſinuavit. Dum, pro gentis ſuæ genio, Rex Angliæ Henricus, muſicæ adeo addictus eſſet, ut mittens munera ad Galliæ Regem Ludovicum XI. plurimos phonaſcos & choragos Legato ſuo comites faceret; quæſivit Gallus à præfecto ſuæ Aulæ,

Aulæ, Ecquid apti muneris rependere poſſet? Suaſit iſte: Offer ipſos muſicos tuos omnes, qui magno impendio, exiguo autem obſequio vel oblectamento tibi ſunt, qui virilia militiæ organa atque inſtrumenta, tubas, tympana, ſclopos libentius audis. Quandoque tamen hoſtium munera teſtimonia virtutis ſunt hinc aut inde editæ. Ut Hector Aiacem remuneratus eſt enſe, Aiax Hectorem baltheo. Sed uti hæc munera plerumque ſunt infauſta; Hector eo baltheo infeliciter protractus eſt, Aiax eo gladio ſe tranſfixit. Sed an omnia, quæ dono mittuntur ab hoſtibus, accipienda ſunt? Neutiquam, quoties vituperio quopiam afficeretur accipiens, vel cum malitia muneribus integitur. Cæſar voto & victoria potitus, caute apud Lucanum rejicit caput Pompeii, quod muneri adferebatur:

Aufer ab aſpectu noſtro funeſta ſatelles
Regis dona tui: pejus de Cæſare veſtrum,
Quam de Pompejo, meruit ſcelus. ———

Caute, inquam, & ſapienter, ut clementiam ſævitiæ obtenderet, æquitatem uſurpatæ jamque peractæ violentiæ. Sic nec mittendum eſt munus, quod, ut ait Seneca, maledictum verius videatur quam munus; atque adeo tale quo urgeatur pudor, arguaturve quædam culpa aut imperfectio accipientis. Mittendum quod ipſa ſui ſpecie adlubeſcat: quod à ſolo

ſolo affectu promanare, hujus velut arrha ac mnemoſynon dici poſſit.

Muneribus remuneratio debetur, & quidem ſplendida; ne ſi contractior fuerit, indicium ſit ingenii ſordidi, arrogantis, aliena faſtidientis. Nec vero eadem libertate remuneramur qua donamus: cum alterum gratuitum ſit, alterum ſine ingratitudinis nota omittere non poſſimus. Nulla tamen ratio commendandæ Legationis expeditior vel acceptior eſt, quam quæ grati animi gratiam comitem habet, & humanitate certat.

Munera autem, quæ Principibus obſequii vel remunerationis ergo mittuntur, haudquaquam per alterius Principis Legatum forte diſcedentem, ſed propria Legatione mitti debent: creſcit ſiquidem doni dignitas dignitate ejus cujus miniſterio perfertur.

Offeruntur munera Principi expoſita Legatione: & ſi multa ea ſunt vel magnæ molis, ſcripto dumtaxat catalogus offertur; ipſa autem traduntur Aulæ præfecto vel œconomo.

DISSERT. XXIX.

Principatus acquiſitus, Firmatus.

HAud vulgaris virtutis eſt, Imperium ſive Principatum acquirere; ſublimioris eſt, regere atque tueri. Ita

facilius aſſurgit fortuna, quam conſiſtit. Ut aſſurgat vero atque conſiſtat, omnis Legati induſtria atque opera inſumitur. Si oculos circumferimus, ubique hæc alea & varietas ludit in hoc ſublunarium rerum gyro ſive æſtu. Non diu mediocritatis intra limites humana conſiſtere poſſunt, ſed à medio exorbitantes in alterutrum extremum, imbecillitatis ſuæ pulſæ fato, prolabuntur. Singula prout coaluere & crevere, pedetentim decreſcunt, diſſoluuntur. Hæc illa catena eſt, ex qua creatorum compages pendet; & Creatoris dextera nutuque movetur. Sic rebus nimium altis præcipitia vicina ſunt: non raro, cum nulla ab hoſte violentia eſt, ſuo ſe onere maxima Imperia premunt. Teſtis Roma, Imperii & Orbis caput; quæ cum ſupra humanum prope faſtigium extuliſſet potentiam, derepente ſic collapſa eſt, ut tamquam extincta, quæreretur, vix inveniretur in ſuo ſolo. Quamquam certæ quoque Regnorum ſunt periodi; ut prudentiæ, fortunæ gradus ſunt: unde, ut Reges Regibus, ſic Regnis Regna cedunt ſucceduntque. Cum vero Imperii alicujus felicitas, non tam magnitudine, quam firmitate æſtimanda ſit; illud primum poſtremumque conandum eſt Principi, ut quam nactus fuerit Imperii ſortem, ſtabiliat. Eaque in re Legatorum, ut dixi, induſtria cerni debet, occupari & in-

incitari debet. Imprudentes ſane, qui de obtinendo magis, quam de retinendo ſunt ſolliciti: ſimiles aleatoribus, qui ſpe futuri lucri, ne iis quidem quæ vicerunt contenti, in ea quæ colluſoribus ſuperſunt, perpetuo inhiant, donec & ea quæ propria & tranquille poſſidebant, profundant. quæ quidem non ſimplex, nec uno cachinno explodenda dementia eſt. Nimirum Principum plerumque cupiditas novis velut auctubus & facibus accenditur, expleri nequit: non ſi quem Regia aut Imperatoria beaveris corona, eamque è triplici feceris centuplicem. Detur Roma Cæſari, Orbem quæret: detur Orbis Alexandro, plures cupiet. Omnino quidquid potentiam, ſimul deſiderium auget: & tamquam noſtrum eſſe deſinat, quidquid acquiſitum eſt; ad futurorum ſpem ſemper arrecti; in acquirendis occupamur: majora cupere ab his diſcimus; ne forte theſaurizemus ſuper terram, ſed meliorem noſtri partem erigamus ad cæleſtia, in quibus demum firma ſecuritas & ſalus. Equidem Auguſtum Principem nuncupavero, non tam qui alios ad anguſtias redegerit, quam eum qui ſua meliora reddiderit & firmiora.

Porro modi ditionis adipiſcendæ varii ſunt. Alius eſt per Emptionem: quam promovet Legatus. Et pulcherrimum Principis commercium eſt, quo ſuum facit, quod

nullo ſatis pretio licitari queat. Ita prudenti ſane negotiatione Comitatum Avenionenſem Clemens VI. Pontifex à Ioanna Neapolis Regina emit: niſi forte permutaſſe cum annvis penſitationibus videri poſſit, quæ Eccleſiæ quotannis pendebantur. Ita quoque Philippus Valeſius ab Humberto Principe Delphinatum accepit: Florenſque Florentinorum Reſpublica promptæ pecuniæ permutatione mirifice omnino aucta eſt. Huic modo affinis eſt Oppigneratio, qua pro ſubſidio nummario dominii poſſeſſio traditur creditori. Quia enim ſic credita pecunia perraro redditur; fit ut Principes hujuſmodi hypothecas propriorum bonorum loco habeant atque uſurpent. Electores Imperii olim Carolo IV. Imperatori ſuffragia ſua, quibus Wenceſlaum filium ejus in Romanorum Regem eligerent, centenis aureorum millibus ſinguli vendiderant. Cum vero is tantam pecuniæ vim in promptu non haberet, ſedecim Imperii urbes pignori eis ceſſit: quas tam illi quam ſucceſſores pro ſuis poſſederunt. Cognationis atque affinitatis beneficio Imperium quoque acquiri vel augeri, Nuptiæ docent. Harum quoddam ſimulacrum eſt Adoptio: qua Ioanna Regina Neapolis, ad frangendam Ducum Andegavenſium potentiam, uſa eſt: unde ad Aragoniæ Reges jus illius opulentiſſimi Regni fuit devo-

devolutum. Per Fœdera etiam, quæ præſtitis ſuppetiis inimus, ditionem imperiumque inſimul ampliandi campum patere, alibi diſſerimus: ſic & per Advocationem, Contractum, Palinodiam, &c.

Sed ſingulis rurſum modis, queis ambitio humana alienum Imperium nanciſci contendit, diſtincta quoque ars ac methodus quadrat. Aliter vivendum & vigilandum eſt, ubi Virtus Regem, aliter ubi Uterus hæredem fecit: aliter ubi hoc agitur, ut concuſſione atque vi turbentur omnia; aliter ubi quies ſtationem firmam nacta, eo ſolum occupatur & molitur, ne quid turbetur. Principis Poloni notavi nuper carmen:

In toto mundo Lex, Ars, Mars, cuncta gubernant:
Bello lex mihi Mars, ſed Pace Ars lex, mihi ſunto.

Ulterior modus, certe occaſio, ditionis & Regiæ ſtationis ampliandæ atque ſolidandæ, nonnumquam elucet, quando provinciales alterius factioſe inter ſe diſſident & colliduntur. Quia enim ordo à rebus exulat, languent vires, & velut morbo obſeſſæ deficiunt. Arma hic admodum opportuna ſunt, opportune tamen adhibita. Etenim non ſatis eſt quid in partes diſſolutum eſſe, ſi adhuc ſanæ ſint: in periculo periculum eſt, ne in corpus bona rurſus fide coaleſcant. Conſul-

tius igitur exſpectare & attendere, donec læſæ adeo attritæque ſint, ut nec jungi facile, nec quamquam juncta poſſint reſiſtere aut nocere. Exemplum ſtatuit Lipſius in canibus, tauris, aliiſque brutis animantibus; quæ ſubinde diſſentiunt inter ſe pugnantque: aſt ſi communis interveniat hoſtis, ſepoſito mox aut ſequeſtrato quaſi odio diſſidioque, rurſus conveniunt, juvant invicem ſe ac defendunt. Sub Carolo V. Imperatore (cujus abſentia deſiderium ſemper populis, periculum rebus plerumque attulit) cum Hiſpaniæ incolæ, non levi excitato motu, Calabriæ Duci pæne per vim Coronam offerrent, ac velut obtruderent; diſſenſioni intervenit Franciſcus I. Gallorum Rex, Navarræ Regnum ſuis armis vindicaturus. At derepente omni ſepoſita ſopitaque contentione, uno conſenſu Gallos expulerunt; quaſi jam diſſenſionem omnem atque offenſionem obliti, nefas putarent diffidere amplius, quando à communi hoſte oppugnabantur. In ipſa Gallia ſub annum 1562. quanta animorum omnium commotio fuit? quam atroces impotentis furoris turbines? Ceſſaverunt tamen ac ſedati ſunt, quamquam implacabiles viderentur, cum in Galliam, regnante tum Carolo, Angli manu armata irruperunt. Exempla plura ſunt, ſed notiora quam ut recenſeri debeant. plures quoque evertendi

Prin-

Principatus verſutiæ ſunt, non huc producendæ. Sed Prudentiam ſæculi in his interrogas? Dictat; Omnia retinendæ atque etiam apiſcendæ dominationis ergo honeſta eſſe. Specioſi prætextus quod alienum eſt ambiendi, ſpoliandi, numquam hominibus deerunt, quamdiu ipſi erunt homines: ſemper cauſam inveniunt vel faciunt. Legato ſuggeruntur prætextus aliqui, ſciendi, non omnes probandi. Nihil ignorare ille poteſt, quod Principatum faciat aut fulciat. Erit tamen, ubi etiam horum uſus; ubi publica ſalus ita ſuaſerit, quæ ſemper cum Principis ſalute conjuncta. Eam Legatus inprimis promovet. Iuſtone ſemper colore? Ego neſcio: Legatus etiam non diſcutiat. Iuſtitiam ille (alubi expreſſi) metietur à Principis arbitrio: Princeps à ratione. Sed an ab illa etiam quæ Status? Ita prorſus; modo tamen recta illa, & quæ iterum non abeat à ratione. Quam numquam non videntur ſequi, qui Dei ubique cauſam agunt, non prætextu ſolum, ſed cultu, & ſincero affectu. Viderint qua mente ab hac mente diſcedant, qui ſuum protinus faciunt quidquid rebus ſuis quovis modo proficit vel officit: qui faces flammaſque proximorum agris inferunt, non alia honeſtate aut cauſa, non alia lege, quam quia commodum & opportunum: ſic alios opprimunt,

 depo-

depopulantur, depaſcuntur, quia imbecilliores. Interim ille per quem Reges regnant, edicit: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Balthaſſares multi, qui quod minus inveniantur habere pietatis, minus fidei, minus religionis; dantur Regna eorum, genti facienti voluntatem illius, cujus eſt Regna dare & auferre. I nunc, & humanis Imperium ſtabilire ſpera vaframentis, quiſquis non advertis, quod Deus, Deus igneo ſuo Spiritu omnes humanæ prudentiæ argutias difflat, ut aquilo pulverem atque feſtucas.

Ut autem Diſſertationi iſti ſit modus; generales quaſdam ſuggeram rationes, queis Princeps ſubditis Populis commodius præeſſe & placere, ſic Principatum adeptum firmare poſſit; ſed ut numero magis illæ, quam ordine aut delectu, è calamo profluxerint. Ordinem & delectum è numero Legatus faciet; & prout hæc Novo Principi tempeſtiva aut opportuna Conſiliarius Status judicabit, indicabit.

Inprimis Pius ſit Princeps Numinique addictus. nam populi videtur refugere obſequium, qui Dei negligit cultum. Audiamus, pulchra ſententiæ emphaſi, in libris Regum, loquentem Deum: *Quicumque honoraverit me, glorificabo eum; qui autem me contem-*

temnunt, erunt ignobiles. Quod ſi Principum facta, Imperiorum initia & incrementa intueamur; floruiſſe reperiemus, quamdiu Dei cultus ſtetit. Aſt ubi laxata Pietas cervices immodeſtiæ flexit, & Magni Numinis veneratio elanguit; emarcuit color optimus, omnis felicitatis deliquium ſucceſſit: pari nimirum gradu ſurgentibus atque intereuntibus cum Pietate Regnis. Numini quoque adſtringendi ſunt populi, ut Principi obediant. Sciat ille, nihil Religionis vinculo potentius eſſe; cohærere omnia ac durare, ubi Pietas, ars artium Regni, nexus eſt. Hujus rei teſtem Hiſpaniam produco; quæ vel idcirco bellis inteſtinis, tumultibus domeſticis caret, quia Religionem, & unam illam, in pretio habet. Illius enim glutine tot ejus toto orbe diffuſa Regna, quaſi unum ſunt. Ubi ſubditi Religionem excuſſere, ne Regem quidem agnoſcunt. Illa vero quid aliud eſt, quam humanæ inter ſe ſocietatis, & mentis cum Deo, copula, vexillum baſiſque Imperii? Occultum quoddam & arcanum eſt, quod ſingulorum mentes, omnium animos afficit. Auſim dicere, & verum eſt, quod libentius audaciuſque Religionis ſuæ concionatoribus, quam Magiſtratuum aut militiæ ductoribus multitudo paret, credit, obſequitur.

In Regno itaque conſervando, utpote pri-

dem ſtabilito, permagni omnino intereſt; avitæ Religionis terminos immotos eſſe: & earum rerum nihil mutari, quibus veterum ſalus & dignitas ſtetit, & quibus ipſa antiquitas auctoritatem conciliavit. In acquirendo autem Regno, & ubi introducenda eſt Religio, fiat id magis, dum fieri poſſit, monitis quam minis. Ducantur animi, qui natura ſuæ ſpontis ſunt, & cogi pernegant. Si qui in eam aut cærimonias delinquunt, non illico ſtringendi, ſecandi, urendi ſunt. Purpureus hic imber monſtroſos interdum fetus producit. Plerumque non aliud ægrius quam ſanguinis macula eluitur. Unde errare mihi graviſſime videntur, qui ubi homines aliquos ſuæ ditioni ſubegerunt, illico in aſſenſum, in mentem impetum faciunt: quaſi tam facile animi, quam corpora ſubjugentur; & quaſi non vinciantur illi melius cautelis quam catenis. Civibus autem ad jugum & tranquillitatem redactis, indendus paulatim optimus Dei cultus eſt, quippe Dei. omnem curam præcedat hæc cura. Antiochi Syriæ Regis exemplum extollitur. Is cum Ieroſolymam obſideret, & Scenopegiæ ſeu Tabernaculorum feſtum, quod ſuperſtitioſiſſime colebant Judæi, intercurreret; gens Ieroſolymitana Legatos ad Antiochum mittit, dierum ſeptem inducias petituros, quibus Numini vacare, & ſacris operari liceret.

ret. Annuit Rex: imo amplius quam petebatur, conceſſit. Nam boves auratis cornibus, thuriſque & odorum quod ſatis erat deduci ad portas, ſacerdotibus tradi, ut immolarent, juſſit. Factum miror: ſive victoriæ interpellatæ patientiam conſiderem, ſive ſacra non ſolum permiſſa, ſed inſtructa, quæ contra ſe ſuſcipi & celebrari Rex ſciebat. Prudens vero ille fuit: regionis non Religionis cauſa pugnare ſe oſtendit; ſic regionis potiri potuit. Etenim Iudæi inopinata moti benignitate, ſe & ſua Antiocho permiſere.

Porro cum Reipub. firmiſſimum fulcrum ſit concordia civium; vera ea eſſe nequit, niſi Religionis unius vinculo eorumdem mentes uniantur. Sectæ ceu ſchiſmate ſciſſæ à ſe invicem ſecedent gentes, quotquot in præcipuo ſalutis opere diſcordes diſſidebunt. Unus in mundo ſol; unus in Regno Rex; una in regione Religio; ne ubi non una, ubi multa, nulla fiat. Ideoque ſi quæſieris, quæ Principatus corroborationi ac tranquillitati potiſſimum conducat Religio: non ullam aſſignabo hominum errore, ſcelere aut ambitione, vel præſtigiis dæmonum introductam; ſed, quam ſaniores tuentur, Catholicam: quam tot Gentium & Ætatum conſenſus affirmavit.

Præterea ubi primum ad Regnum ingreſſus vel adſcitus eſt Princeps: ſuadebit

Legatus, eam de ſe opinionem foveat, ut omnes ea commoda ipſo regnante ſperent, quorum fruitione ducti, vincere illi cupierant. ſic omnes hoſtilitatem exuent diffidendentiam ponent; & ipſus Princeps ſic vincet, alioqui victuros:

——— mitiſſima ſors eſt
Regnorum ſub Rege novo. ———

Tanta vis beneficientiæ eſt, ut cum Antiqui nondum apti aut digni eſſent ad Creatorem creaturarum mentis oculos attollere; ſolem, lunam, monetam, animalia, nonullas etiam plantas, unde commoda promanabant, impoſturæ oppreſſioneſve non metuerentur, pro Diis coluerint. Ideoque affectu ſuorum nihil prius aut par ducet, qui & Novus eſt Princeps, & Pater eſt univerſorum. Singuliſque ita addictus videbitur, ut vere gloriari poſſit:

Tros Tyriuſque mihi nullo diſcrimine agetur.

Dein non tam præeſſe ſtudebit quam prodeſſe; & quaſi privatos neſciret motus, omnia ſalute publica æſtimabit atque condonabit. Sic fiet, ut cives tam pro ſe quam ſub ſe habeat; qui haud metu coacti, ſervili, ut liberi parentem, imo velut humanum quemdam Deum venerabuntur. Et audiet Princeps, quod Artabanus apud Plutarchum Themiſtocli ad Perſarum Regem accedenti; *Leges*, inquit, *ô hoſpes, aliæ ſunt apud alias.*

alios. Vos Græci, præ omnibus Libertatem amatis: apud nos autem ea Lex præſtantiſſima eſt, quæ Venerari Regem tamquam Dei Effigiem jubet. Ita haud inviti, ſed volentes ſubditi onera ſubibunt: aſſumentur verius illa quam imponentur: ſemperque levia videbuntur, quæcumque alias dederunt & dabunt. Neque ſtringantur, non cogantur, qui comitate venuſtiſſima gratiſſimaque virtutum, quo cupis pergunt, ſua [illegible] ebent. Plerique hominum, ad officium duci volunt, trahi nolunt. invitos citius franges quam flectes. Imo tam potens animis humanitas eſt, ut præſtet quædam Petere, quam Iubere, etiam cum poſſis. Occurrit præterea quod Carolus V. Imperator præceptum reliquit filio; Ut cum Princeps propter Provinciarum multitudinem atque diſtantiam, adeſſe ſingulis non poſſet, curet, ut auctoritate juſtitiaque nuſquam videatur abeſſe: Vicarios atque Præſides conſtituat viros cordatos ac probos, quorum integritas & virtus vicem unius, atque adeo præſtantiam ubique ſuppleat; prorſus tamquam in miniſtris ipſe adſit vel regat.

Exteri autem ab patriæ functionibus eliminentur, neque ad ſurgentis primum Reipublicæ clavum ſedeant. Incolæ enim odio aut neglectui ſe haberi exiſtimabunt: dum diverſarum nationum ingenia non melius

conveniant, quam diverſi coloris aves; & à peregrinorum turba turbo nonnumquam incolis.

Antiqui Rerumpub. atque Orbis moderatores, credulitatem atque ſuperſtitionem vulgi egregie foventes, familiarem ſibi uſum communicationemque conſiliorum cum Diis ſimulabant: nimirum ut nihil inſano aut præcipiti motu vel affectu facere aut ſancire viderentur; ita major ſuis decretis conſtaret auctoritas & veneratio. Hoc ingenio Numa, populus Romanus ut ſacris afficeretur, Ægeriæ Deæ conſilio ea inſtitui vulgavit. Zaleucus, prætexta Minervæ auctoritate, Locrenſibus; Solum Athenienſibus, monitu ſuadentis Apollinis, leges ſuas ſtabiliverunt. Minos nono quoque anno in ſpecus quoddam ipſo ſitu venerabile, & ſeceſſui, ſic ſacris aptum, deſcendere, atque inde poſt intervallum egreſſus, Cretenſes ſuos politicis legibus, tamquam inſtinctu nutuque Iovis conceptis, obſtringere ſolitus eſt. Et unam eſſe regnantium normam fidele conſilium, ſciri voluit Magnus Iupiter, qui ipſus numquam dubitavit advocare ad conſultandum cetera Numina. Nimirum.

Vis conſilii expers mole ruit ſua.

Policrates ſcribit, fieri non poſſe, ut ſalubriter Principatum adminiſtret, qui conſilio ſapientum non utatur. Legimus quoque in

In Lampridio, Severum Imperatorem numquam rem magni momenti definiviſſe, niſi conſultis primum juris & æqui arbitris. Theodoſius & Valentinianus religioſiſſimi Imperatores reſcripſerunt: Cognoſcimus, quod veſtro conſilio P. C. fuerit ordinatum, ad beatitudinem Imperii noſtri, veſtramque gloriam, redundare. Prædicit, ac velut pollicetur ipſa Cæleſtis Sapientia, quod erit *ſalus ubi multa conſilia.*

Principes autem ut conſilia amplecti poſſint rebus accommoda, caveant quidquam impie, aut injuſte, aut inclementer agere: verum (inculco) Naturæ, Rationis, & in his Dei exiſtant reveritores. Alioqui licet potentia opibuſque ceu propugnaculis muniti, omnem vim & caſum facile videantur ſpreturi & ſuperaturi; Deus tamen, in cujus manibus Cor Regum eſt, conſulta improborum nonnumquam retroagit, conſilia nube obvoluit, tempeſtate evertit.

Quod ſi autem Legatus energiam mandatorum, tuto arcanorum involucro, ſubinde ignorat; magnum Reipublicæ firmandæ præſidium dixero, ſi ſecretas gubernandi rationes, quid magis ſperet metuatve Reſpublica, populus ignoret. Æqui Nomothetæ, Imperatores belli, providique Magiſtratus, pœnam & præmium publicant ſuorum edictorum (quæ & ipſa magis ad terrorem & rubo-

conveniant, quam diverſi coloris aves; & à peregrinorum turba turbo nonnumquam incolis.

Antiqui Rerumpub. atque Orbis moderatores, credulitatem atque ſuperſtitionem vulgi egregie foventes, familiarem ſibi uſum communicationemque conſiliorum cum Diis ſimulabant: nimirum ut nihil inſano aut præcipiti motu vel affectu facere aut ſancire viderentur; ita major ſuis decretis conſtaret auctoritas & veneratio. Hoc ingenio Numa, populus Romanus ut ſacris afficeretur, Ægeriæ Deæ conſilio ea inſtitui vulgavit. Zaleucus, prætexta Minervæ auctoritate, Locrenſibus; Solum Athenienſibus, monitu ſuadentis Apollinis, leges ſuas ſtabiliverunt. Minos nono quoque anno in ſpecus quoddam ipſo ſitu venerabile, & ſeceſſui, ſic ſacris aptum, deſcendere, atque inde poſt intervallum egreſſus, Cretenſes ſuos politicis legibus, tamquam inſtinctu nutuque Iovis conceptis, obſtringere ſolitus eſt. Et unam eſſe regnantium normam fidele conſilium, ſciri voluit Magnus Iupiter, qui ipſus numquam dubitavit advocare ad conſultandum cetera Numina. Nimirum.

Vis conſilii expers mole ruit ſua.

Policrates ſcribit, fieri non poſſe, ut ſalubriter Principatum adminiſtret, qui conſilio ſapientum non utatur. Legimus quoque

in

In Lampridio, Severum Imperatorem numquam rem magni momenti definiviſſe, niſi conſultis primum juris & æqui arbitris. Theodoſius & Valentinianus religioſiſſimi Imperatores reſcripſerunt: Cognoſcimus, quod veſtro conſilio P. C. fuerit ordinatum, ad beatitudinem Imperii noſtri, veſtramque gloriam, redundare. Prædicit, ac velut pollicetur ipſa Cæleſtis Sapientia, quod erit *ſalus ubi multa conſilia.*

Principes autem ut conſilia amplecti poſſint rebus accommoda, caveant quidquam impie, aut injuſte, aut inclementer agere: verum (inculco) Naturæ, Rationis, & in his Dei exiſtant reveritores. Alioqui licet potentia opibuſque ceu propugnaculis muniti, omnem vim & caſum facile videantur ſpreturi & ſuperaturi; Deus tamen, in cujus manibus Cor Regum eſt, conſulta improborum nonnumquam retroagit, conſilia nube obvoluit, tempeſtate evertit.

Quod ſi autem Legatus energiam mandatorum, tuto arcanorum involucro, ſubinde ignorat; magnum Reipublicæ firmandæ præſidium dixero, ſi ſecretas gubernandi rationes, quid magis ſperet metuatve Reſpublica, populus ignoret. Æqui Nomothetæ, Imperatores belli, providique Magiſtratus, pœnam & præmium publicant ſuorum edictorum (quæ & ipſa magis ad terrorem & rubo-

ruborem quam ad cruorem concipiuntur) non vero ſemper divulgant, quæ eos potiſſimum cauſa commoverit legis ſanciendæ; ne opinione (ut ſæpe) faſcinati cives, ratiocinentur ſibique perſuadeant, vel præmio minus eſſe periculum, vel commodum pœna majus: ſic in pejus gliſcat improbitas & audacia, minuatur ardor ſtudiumque honeſtatis. Pari modo, cum nocenti ſupplicium infligitur, non ſemper pronuntiantur omnia flagitia, quod non expediat paſſim ſciri, ea eſſe aut reperiri improbitate homines, qui naturæ communis & legis obliti, ejuſmodi damnata, immania, non nominanda audeant. Et Solon cum apud Athenienſes profiteretur, ſe cuique delicto pœnam ſtatuiſſe; interrogatus, quæ eſſet in omiſſos parricidas, nil mutavit: reſpondit autem, credere ſe, non repertum iri qui tam enorme ſcelus perpetrarent. Magna innocentiæ pars eſt, neſcire peccatum. Nec raro minus eſt incommodum, tolerare quædam vitia quam tollere; quæ cum quis detegit, docet; cum prohibet, provocat; cum punit, non emendat. Inſulſe itaque, modos queis Princeps imperitat, imperita plebs intelligat; cui ſola obſequii gloria detur, non anſa provectioris aut ſublimioris ſapientiæ. Cum vero facile ſit imperium in bonos, & quieſcere omnino plebs non poſſit; honeſto virtutum utiliumve artium aut innocuæ volupta-

luptatis exercitio, vitæ tempus & tædium fallat,& fallatur. Sic qui ſubibunt calamitatem,non ſentient. Multa quoque fabuloſam vetuſtatem occupabant religioſa commenta: quæ ſi quid & quale quodque erat, vulgo innotuiſſet;næ,nulla tam excors anus extitiſſet, quæ talia ſperaſſet vel metuiſſet.

Quamvis forte privilegiis incolumitatem ſuam, in poteſtatem ſubactus aut ſuſceptus populus,metietur; & dura,etiam adverſantia hæc videbuntur ei, cujus utique fuerit, legem dare, non accipere; nihilominus ob eadem Princeps Novus neutiquam virtutis ſuæ ſucceſſibus diffidet, ſed quibuſcumque potius conditionibus Regnum ſibi adſciſcet. Ferdinandus Rex Catholicus, tantorum totque Regnorum Princeps, nonne prudenter? Cum à familiari diceretur; Parum decens videri juramentum Luſitanorum, quo Inaugurationum admittere ſolebant: *Nos tam boni quàm Tu.* At ego, reſpondit Rex, ejuſmodi quocumque Regnum, pari prorſus conditione ac juramento lubens ſuſciperem. Et veriſimile eſt, nihil contra mentem reſpondiſſe. Etenim regnare primum eſt: mox minora & mitiora omnia legibus atque temporibus cedunt.

Neque protinus lictor evadat, qui victor extitit: ſed cogitationes circumferat plenas magnanimitatis atque clementiæ: memor ſen-

ſententiæ qua optimi atque immor
moriæ Principes orbem terræ non n
xere, ſed quodammodo erexere;
mille nocentes abſoluere, quam inn
opprimere vel unum. Et vero ſeve
cuique Iuſtitiæ miniſtro injungitu
mentia unius eſt Principis: quaſi i
tium cæleſtis virtutis ſoli ſibi reſe
exemerit.

Regia, crede mihi, res eſt, Succurre
Non alia major quæritur Arte f

Nonnumquam cum populus ab o
flexerit, ignorantiæ aut incogitanti
quam inobidientiæ commiſſum ap
Vindictam, quæ inferiorum aut me
eſt, meditari Principem nemo ar
Tiberius, cum Panegyrico laudaret
populum cultui Deorum legumqu
vantiæ ſine motu adſtrinxiſſet; H
eſt, inquit: non ego bonos feci, ſ
ni. Et certe immoderatus rigor d
quos corripit, non corrigit. Itaq
gnitatem & manſuetudinem Dei i
cujus Legatus eſt Princeps. At ille
que ita ſauciat ut ſanet, ita dejicit u
dexteramque minacem per fulgura
na, tonitrua, cometas, oſtendit ver
infert, etiam *Iratus, miſericordiæ r*
Unde AEternæ Sapientiæ proverbi
verum? *Miſericordia & Veritas cuſto*

gem, & roboratur Clementia thronus ejus. O nimis verum; & ô divino melle, non ſepia ſcriptum proverbium!

Præterea, diſſimulatione non modo evitatur perſæpe periculum quod ex re detecta aut culpata imminet, ſed ſi diverſa accedat interpretatio, ſæpe ſæpius optimo dolo improbæ technæ cedunt. Eumenes cum ſparſas totis caſtris deprehendiſſet ſchedas, quibus pretium capitis ſui definitum eſſet, ſi quis ad Antigonum id detuliſſet; convocatos milites laudibus & gratibus demulſit, quod nemo cruenti ſpe præmii fidei ſacramentum violaſſet. Addidit dein; fuiſſe confictos à ſe libellos hoſce ſeu ſchedas, ad animos ſuorum experiundos: ceterum in poteſtate ſe militum militem eſſe. Sed nec Antigonum, nec quemquam Ducum ſic velle vincere, ut in exemplum verti opprobrium poſſet. Hoc facto & labantium animos in præſenti deterruit, & in futurum providit, ut ſi quid ſimile ſpargeretur, non ſe ab hoſte corrumpi, ſed tentari à Duce quiſque arbitraretur. Principes quidem moderatione quadam tutos eſſe, & ab iiſdem monendo certius quam minando, cedendo quam cædendo, ſcelera interdum coërceri, luculenter oſtendit Aug. Cæſar. Is enim cum certo accepiſſet, L. Cinnam patricium Romanum, ac Cnei Pompeii nepotem,

ex hoſte in gratiam receptum, p
vitæque inſidias moliri; prudenti
mentia uſus eſt. Quippe intellig
qui ante ſævitia atque formidine
ſtabilire adniſi fuerant, uno hyc
ſubmoto, plura perſenſiſſe; Cin
mali fautori & auctori ad ſe accer
duellionis impium ſcelus objectavi
ſus tibi, ô Cinna, inquit, ſalute
lumitatem largior; ante quidem h
etiam inſidiatori ac parricidæ. I
diernus dies non ſimulatæ amplius
amicitiæ exordium ſit; videamuſq
meliori fide tu tibi vitam debeas,
derim. Hinc integritatem affec
comprobans (ut magnus ad concor
dus eſt, ex animo concordiam vell
mo anno Cinnam Conſulem creavi
mium, & ſupra viros virum! qui
vit modo capitalem injuriam, ſed
vit quidem, imo nobili ac novo
genere, beneficiis officiiſque cun
proſecutus. Cinna autem præter ſpe
ritum ſibi reſtitutus, non fucata
ac veneratione Auguſtum deincep
& cum è vita diſcederet, univerſ
rum facultatum, quibus opulentiſſ
que invidere poterat, noncupavit
Ea vero tam inauditæ clementiæ
extitit, ut civis, juxta exteros, ſ

laudem Cæſaris raperet, certatimque eidem omnes obſequi niterentur: ut qui conſpirationem & improbitatem, quæ nec arte nec imperio leniri poſſe videbatur, tam prope cohibuiſſet. Atque ita præſidium Cæſar optimum tutiſſimumque adeptus eſt, præſidio non egere, vereque Auguſtus, tot Regulorum ſuorum Rex permanſit. O ſuaves nexus, queis animi obſequiis, ceu compedibus, illigantur, & tamquam beneficiorum cumulis inſepeliuntur! Omnia vicit qui animum expugnavit. Magnus Alexander rogatus, quis eſſet Principum præſtantiſſimus; reſpondit, qui amicos donis retinet, & inimicos beneficiis amicos facit: nimirum qui alterius ingratitudinem atque inſipientiam benignitate quadam lenire, ſic velut excutere aut obruere peritus eſt. Vere Magnus Alexander, à quo ſic humile prius Macedonum nomen ad ſpem Imperii totius mundi ſurrexit; ſperata non ſolum tum auctior Reſpublica, ſed quemadmodum à Diis immortalibus ſalus quoque Orbis terræ.

Non pauci etiam Principes, à Legatis, ſive inſulſo dicto, ſive imprudenti facto irritati, iram tamen decoxerunt vel abſconderunt: ſic infra faſtigium ſuum iram habuerunt. Rhodii Romanorum viribus ecquanto inferiores? Auſi tamen ejuſmodi Legatione iiſdem velut inſultare; Niſi bello contra

Per-

Perſeum Romani abſtinerent, qui
verſum Romanos faciendum fuerit
raturos eſſe Rhodios. Petulantiſſ
cem ne nunc quidem ſine indigna
vel audiri poſſe, certum habeo, a
Romanorum tamen ea conniventi
mulatio ad tempus fuit, ut licet
exaſperati, lautia tamen ferocienti
rint. Demochares Athenienſium
cum à Philippo Macedone impet
agenda erant, interrogatus, human
ſa, numquid præterea vellet; Ut
das, inquit. Atrocis convitii odiiq
riem ne refutavit quidem Philippus
verſus ad Legationis collegas, Vo
interrogate populum Athenienſe
præſtantior videatur, is qui petul
dicit, an qui patienter audit? Et
Regis manſuetudo, magnis eo ævo
celebrata eſt: ſed noſtro, non ſat ſci
impune quis inſaniret. Verum
frictæ homo frontis inveniri non de
quod nefas cogitatu eſt, proloqui a

Attamen qui clementia & c
compeſci nequibunt populi, legi
ceantur. Concipi vero edicta ejuſ
ſunt, in quæ incurrere atque impi
ceſſe ſit, & quorum rigore non vi
ſingulorum in examen mulctam
ant, verum etiam quidquid omn

non eſt. Cujuſmodi ſanctiones Sacra Pagina vocat *Leges Iræ.* Ideoque qui adeo barbari fuerint, ut humanitatis officiis compeſci non poſſint, durioribus imperiis premendi ſunt, præſidiario milite continendi, caſtellis ceu frenis vel compedibus ſtringendi ſunt. Turcarum Dominatus violentia fere conſtat, tyrannide viget; quaſi etiam hominem exuere Princeps debeat, cui non homines regendi ſunt. Non ſemper reconditus Principis gladius eſſe debet: educatur interdum vel marmori ſecando. Fruſtra ſperet apud omnes crudeli impunitate vel prodiga libertate rem facere. Quibuſdam perſuaſum ſit oportet, non ſolum ipſa ſcelera, verum quoque ſceleris ſuſpicionem pœnam ſubire, puniri poſſe, etiam in innocente nec confitente. Inauſpicatus certe Princeps eſt, ſub quo nemini quod lubet, licet: ne Princeps quidem, ſub quo omnia omnibus. Divi Gregorii Magni verba ſunt: *Eâ qui præeſt circa ſubditos menſurâ ſe moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari.* Sic qui neque libertatem neque ſervitutem totam ferre queunt, pulcherrima copula atque mixtura admittent. Agendum ſemper, ut qui amant, timere ſimul poſſint; timere quam non amari malint. Sæpe eo ingenio homines ſunt, ut niſi frenum ſentiant, extra imperium ſe putent collocatos:

ſæpe

ſæpe ubi rigor eſt, vigor eſt. Ipſ
Princeps diligi quam metui ſemper
haud enim terribilis perſiſtat & ſecu
diuturni magiſter officii metus eſt; c
ſim prævaleret, ipſorum dæmonu
Dei potior aut par conditio exiſtere

Affectui autem potens philtrum
fundamentum per virtutes locabit I
illæ etenim alte ſplendent, & pro
num ſibi poſtulant in Regno:

——— *Componitur or*
Regis ad exemplum; nec ſic inflect
Humanos edicta valent, quam vi
tum.

Qui recte vivit; non docet tant
modo vivendum ſit, ſed oſtendit.
demus, verbis præceptiſque moner
omnes, ſed moribus moveri & exe
quanto facta dictis præclariora ſun
factis prælucere ac præire ſatius eſt
dictis. Fruſtra præcipias quæ ipſ
reas. Ideoque genus obſequii puta
ſorum Principum mores ſtudiaque
ſive ſalutaria ea fuerint, ſive prava
que exemplo nocere dicuntur quam
cujus atrocitas creſcit cum dignitat

Omne animi vitium tanto damno
Crimen habet, quanto major qui pe
tur.

Deinde pro Regni robore ac

adnitatur Princeps, ut luxus omnis civibus maxime ſit odio. Et qui forte, ut Romani, Imperio creſcere & firmari volet, diutius quoque quam illi perennare; imitetur ea quæ hos Regno velut deſtinatos dignoſque fecere, fugiat quæ eos vitia everterunt. De quibus Livius: *Aut me amor negotii ſuſcepti fallit, aut nulla umquam Reſpublica nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſero avaritia luxuriaque immigravit: nec ubi tantus ac tamdiu paupertati atque parſimoniæ honos fuit: adeo quanto minus rerum, tanto minus cupiditatis erat.* Nempe ubicumque nigræ illæ ſorores avaritia & luxus irrepunt, pulſa in exilium & infra pedes virtus labitur, verus rerum cadit uſus & honos. Munificentia affectui promerendo, promovendis conatibus, ſtabiliendis rebus eximia eſt.

Si quid corrigendum fuerit; remedia paulatim ſine ſtrepitu & concuſſione introducantur. Nam valida adultaque vitia repente evelli nequeunt. Modo & tempore opus eſt, ut quæ ſunt ardua miteſcant. Vides ut adamas, chalybs, marmora, molli citius fricatione, quam forti ictu atterantur & aptentur? Magnus naturæ univerſæ parens, cum flectere & cogere omnia ad obſequium ſolo nutu poſſit, diſponere ſingula ac moderari ratione mavult. Nihil ſubito molitur aut

violenter. Recte à Xenophonte in Reg
ripædia dictum eſt: Mutatio quæ fit pa
efficit, ut omnis natura mutationes fera
terea quæ longo lapſa aut luxata ſun
vallo, reſtitui, reſtaurari per interval
que debent. Nec nova moliri decet,
bus nondum firmatis: quippe pede n
bene fixo facilis eſt caſus. Conſules R
tranſuecto è Sicilia in Africam exerci
intercepta Carthagine, urbe illa quę R
potius florentiſſimum videri poterat,
civitas, primo Magiſtratum ad ſe ven
ſerunt, frumentum exegerunt; deind
mes, tum machinas bellicas, ac po
quidquid in urbe armorum erat. Hæc
dita erant, dirui tandem urbem manc
populoque conceſſum fuit, aliam æc
ſed quæ nullo cingeretur muro, abeſſ
mari ſtadiis octoginta. Scilicet pu
erat, bello confecto ſupereſſe Carth
quæ non amplius timeretur, & cujus
exemplo ceteræ coloniæ & civitat
poſſent non timere. Simili prope
calamitatis ingenio Zenobius Mit
præfectus afflixit Chios. Et triumviri i
mani, cum ferales proſcriptionis tabu
nimio cruentare vellent, gradatim
tiam venerunt. Primo enim non amp
temdecim proſcripſerunt, mox cen
triginta, dein centum & quinquagint

dem ad millia progreſſi, ſuſtulere è medio quoſcumque ſuſpectos habere poterant. Si numerum inire placet; trecenti Senatores, Equites bis mille proſcripti ſunt.

Poſtremum moneo, ut in ſtabiliendo Principatu, tum etiam acquirendo vel augendo (cujus quidem commoda non indies ſeſe offert occaſio, aurea ea dum occurrit) quæcumque æterna ſunt, imperium, juriſdictio, auctoritas potiſſimum ſpectentur. Et cum rerum aut terrarum futura reſtitutio, commutatio aut diviſio eſt; dabit operam Legatus, tamquam practicus Regnorum geometer, ut Principatui maxime certa atque duratura nanciſcatur. Ea vero quę vanam oſtentationem aut vindictam potius concernunt quam ſalutem; quæ perturbari aut corruere externa induſtria caſuve aut tempore poſſunt; nonnumquam cedat, nec invitus permutet, permittat iis qui præſentibus dumtaxat afficiuntur & abducuntur.

Sed quid ego, poſt complures, qui integris voluminibus inſtitutionem, munus, ſortemque Principum delineavere? Finiam cum Lirico poëta:

——— *Rex eris* ———

Si recte facies. ———

& grandiore Divini Flaminis ſcito: *Si delectamini ſedibus & ſceptris, ô Reges populi; diligite Sapientiam, ut in perpetuum regnetis.*

Hæc & pluſcula, argumenti quod
vortio, & extra orbitam (fateor) n
liś quoque nonnihil obſeſſus, diſt
ſic tamen

——— *ſtans pede in*

in gratiam N. ··· Principis Iuventut
texui.

DISSERT. XXX

Hodierna Principum
in Ditionum Iuriumque mon
Simultas
Legato dignoſcenda.

* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

DISSERT. XXXI

Legati admiſſio ad Principe

NOn ſatis eſt, excipi Legatur
mitti debet: & petere ille ſc
audiatur. Qua ratione, dar
cilium Princeps dicitur; quod rar
convocato Concilio, admittat, a
Duplex vero Admiſſio eſt: Officioſa
Publicam; & Negotioſa, quam P
appellamus. Publice admitti Legati

ſalutationis dumtaxat cauſa, idque vel ſubito & ex ipſa via, vel mox ubi pulverem lutumque excuſſerit, laſſitudinem exuerit: aliquando etiam, non niſi poſtero aliquo die. Tempus admiſſionis à præcipuo aliquo Aulicorum, atque adeo in ipſo occurſu, indicatur. Sed dum primum publice ex hoſpitio ſibi aſſignato ad Aulam vocatur magni & amici Principis Legatus; ſolemni pompa introductio celebratur. Magnates aliquot ſunt qui accerſunt: magno accedunt numero Aulici, Nobileſque: præmittuntur huc rhedæ, quarum præcipua Legatum excipit, eodemque is poſtmodum honore reducitur. De privata deinde admiſſione agitur, ad ſecretiora explicanda: in qua Comitatem omnes laudant, ſi graviter; & Gravitatem, ſi decore, non ſuperbe uſurpetur. Veteres Mercurium noſtrum in medio Gratiarum collocarunt; ſed ut indicarent, ſermonem hominum, præſertim Oratorum, omni genere humanitatis condiri oportere. Moroſitatis vitio tot cauſis quot nominibus odioſo, laboravit & notatus fuit Lygdamus tyrannus. Is Lacedæmoniorum Oratores varia procraſtinatione ducens, ut neceſſaria magis cauſa, alloquii facultatem negaret; valetudinem non ſatis firmam mentitus eſt. Legati igitur ſe Spartanos eſſe oſtenderunt; &, ſcita verbi alluſione, Non venimus, inquiunt, cum Lyg-

damo luctaturi, ſed locutu
publico ludibrio mores eju
runt; ut ſi quis difficilis adit
mone, gravis faſtu exiſterei
ceretur. Sane ſe ipſe fallit
publicarum functionum Reg
tatem ſuam alieno tædio au
ctum iri exiſtimat. Dio S
mum fortunæ ludibrium paſ
dorum Principem Megarer
venire vellet, diuque ante fo
admitteretur; comiti ſuo,
nondum ſatis afflixerat, neq
dignanti, Feramus, ait: fe
in culmine dignitatis noſtra
tale fecimus; turpemque hu
gium invenit. Admiſſioni
tas, cum omnibus gravis,
Legato eſt: contemni enin
negligi videtur. Octavia
Antonii animum inde ſub
cœpit, quod foribus ejus d
Athenienſium Legati, toto
metrii Regis veſtigia ſecuti
men & quaſi mereri aures
runt: & ut ſcirent tandem
niſſe, abire juſſi ſunt. Sed
gationem prohibere, contra
ita ſine cauſa Legatum non a
arceri aliquando ac prorſus r

lent: cum ab iis miſſi, qui omnino compeſci cum poſſint, gratiæ immemores, fidem proſtituerunt. Mimirum oſtendit Princeps, Legationem, Legationem non eſſe, quæ modo & jure caret. Ita Iuſtinianus Imperator Legatum Totilæ ad ſe venire aut mandata exponere noluit, cujus vel vires jam deſpiceret, vel perfidiam timeret. Romani quoque eadem ſeveritate & ſimul ſecuritate videntur à moribus ſuis abiiſſe, cum Legatos Carthaginienſium, quorum exercitus adhuc in Italia erat, admitti à Senatu non poſſe, decreverunt. Eliſabetha Angliæ Regina, prætextu quæſito (quia nimirum Pariſiis graſſabatur peſtis) Legatos Galliæ non admiſit, donec Sancta illa Scotiæ Regina capite truncata jaceret: quod Galli impedire moliebantur. Paulus V. Pont. Max. ne Venetorum Orator, admitti cupiens, liberius quam deceret, ſuper iis quæ Divini juris eſſent, loqueretur, & ſuper commonitione ſeu interdicto nuper denuntiato, juridice proteſtaretur; per cærimoniarum deſignatorem ſemel & iterum indicavit, ad congreſſum aditum patere, dummodo ut privatus accederet. Ad hoc conſtanter Venetus; Neſcire ſe, quomodo perſonam quæ Principem ſuum referret, cujus mandata deferret, exuere aut recuſare poſſet, agens cum eo quocum Reipublicæ præcipuum negotium.

Ceterum Legatus ut difficulta
ſionis expugnet, ſolertia atque p
ficiet; modeſtia & comitate mere
ſertim ſi cum potentiore negoti
ciſcus Marcheſius, à Genuenſibu
tium Mediolanenſium Ducem p
patriæ Orator miſſus, alloquiun
trans, vas plenum Baſilicæ her
cem, muneris loco, miſit. I
nime otioſum nec ineptum eſſe ho
verat; ſtatim ad ſe accivit, ut
herbæ cauſas intelligeret. Marc
Genuenſium Orator adſum; &
urbe natus atque educatus, civiu
ingenia explorata habeam, volu
lut in imagine repræſentare: ut
muto & abſente, quæ habebam
telligeres. Etenim Genuenſium
ſilicæ herbæ perſimilis eſt: quæ
tacta, ſuavem odorem fundit;
trita, ſcorpiones procreat. Ut au
Dux fuit, & Genuenſes libertate
agebant, frui paſſus eſt. Tantun
potuit unius, ſed comitate mixta.
do & importunitas quædam adjun
ut modo per miniſtros, modo p
los admiſſio flagitetur. quæ ſi &
trahi pergat; pari libertate diſce
pro uſu Legatus indicabit: nihil
cum publico bono diſcedere. for

per locuturos, qui aures ſic occluſas ſemel inveniſſent: obſurdeſcere quoque poſſe, qui cum pro publica loqui cauſa vellent, auditi non ſunt.

Legatus vero priuſquam à Principe admiſſus ſit, neminem prorſus adeat viſatque, nemini honoris cauſa obnoxius: quem, niſi à Principe ordiatur, derivare in alios non debet. Id enim profecto eſſet, dignitatem Legationis contaminare. Niſi igitur vel morbus, vel abſentia obſtet; mandata protinus Princeps excipiat, & quidem (quod inprimis inculcandum eſt) ipſe. Alias aut contemni ille qui mittit, aut qui mittitur, aut ipſa cauſa videbitur aut certe accuſari ſive arrogantia, ſive ſocordia, ſive ſtoliditas & ineptitudo ejus qui recuſat audire. Omnino oſtendat Princeps, ſe non audire tantum, ſed & loqui poſſe. Propriis quam alienis auribus uti malit; ſuis quam alienis fidere. Quapropter Matthæum Langium, Epiſcopum Gurcenſem, Maximiliani I. Imperatoris Oratorem, accepimus, cum ad Pontificem Iulium, ejus nominis ſecundum, miſſus eſſet; noluiſſe tribus illis Cardinalibus, quibus Pontifex negotium tractandum commiſerat, quid in mandatis haberet, aperire. Quid vero? Cum illi indignati, miniſtros tres, ut rem peragerent, ad Legatum miſiſſent; ipſe totidem è ſuis ad eos remiſit.

Hinc etiam Legationis mandat
ſæpe, ne alteri quam ipſi Princ
mantur. Etſi vero arcanorum par
contingat eos, qui à ſecretis, à
cancellis ſunt; tamen infra dign
ſtrioris Legationis eſſe videtur,
quam cum ipſo Principe ad quer
arcana primum communicare. A
quemadmodum Imperio aſſeritu
muneris, ita ad ſplendorem Ma
primis pertinere, audiendis exte
gationibus Principem ipſum vaca
vero poteſtate teneri videtur, q
excipiendæ Legationis momenta
Quod Pipinis antiquiſſimis Fra
bus (tamquam Hugonis Capeti
eveniſſe accepimus. Qui dum d
liteſcentes, decepti, vix ſemel i
ſubditorum, nulli exterorum
ciendos, veteri Aſſyriorum rit
rent; univerſo jure per injurian
exitium dati ſunt. Attamen vel
morbum aliave impedimenta Pri
terdum non admittitur Legatio:
non eſt, admiſſam Legationer
examinandam aliis delegari, qu
dein ſingulorum commonefaciar
Romanorum Legati, capta per
Sagunto, Carthaginem miſſi eſ
que Patrum expoſuiſſent; depu

Senatu Carthaginienſi Hanno, qui jus patrium deſceptaret. Conſtat quoque, ſub Cæſare Auguſto tribus Senatoribus reſpondendi Legationibus munus delegatum fuiſſe. Et mos interdum gentis, nec adeo ſemper Principis dedignatio, aut faſtus, aut calliditas, admiſſioni moram facit. Refert Ariſtæas hiſtoria L X X I I. Interpretum, quod ubi Alexandriam ab Eleazaro, Principe Sacerdotum Iudæ, Legatus adveniſſet; ſe protinus tum quidem mandata exponere potuiſſe: alioqui tunc Ægyptiacæ genti morem fuiſſe, ut vix trigeſima die in atrium Regis reciperentur.

De Facilitate Admiſſionum, ſatis ſic multa. Gravitas autem quæ inibidem obſervanda, non tantum Modo, ſed etiam Loco metienda eſt. Modus itaque ſplendidus ſit, Legatione dignus. Publicæ quidem admiſſioni, atrium aliquod maxime decorum deſtinari ſolet: ſecretæ, conclave interius, & Principi inprimis honorificum. Si quis ergo Heliogabalus in lupanari, ſi quis Vitellius in popina, ſi quis hujus notæ etiam in latrinis Legatum audire velit; ſordibus fœdare ſermones excuſet ille, ſi recuſare nequeat: ut ſpurcities atque illuvies exprobrari potius, quam approbari videatur. Quemadmodum tamen indignitas admittenda non eſt; indignatio ſimul evitetur. Neſcio quis

Indorum Regulus tam abjectis moribus erat, ut conſtrina ſæpius pro throno ac tribunali uteretur; ac tum inprimis audiret Legatos, cum comam pecteret, vel alvum ſublevaret. Sed poſſis hunc etiam cum Heliogabalo, cum Vitellio, cum peſſimo quoque collocare. Ad Modum venio, qui ſua quadam pompa definitur.

Univerſe formam admiſſionum congreſſionumque, fortuna Imperiorum videtur complecti; ut pro modo amicitiæ, & potiſſimum potentiæ, honor & hoſpitalitas ſubſequantur. Quippe alia eſt conſideratio Legationis à validiori miſſæ Imperio, alia à pari, alia à minori vel inferiori. Pro viribus quiſque ſuis agit: cedit majori & concedit pluſculum, qui ſe novit minorem eſſe. Ac ſane, ſi res dicenda eſt, potentiorum Legati, magis cum inferioribus Principibus videntur congredi, quam ab iiſdem admitti. Ceterum pompa etiam terrori proxima, uſurpari ſolet, ſi quando ab hoſte & potente Legatus veniat. Sic qui adibant Alexandrum, priuſquam penetrarent ad ſolium Regis, conſpiciebant quingentos Perſas clavatores: poſt hos, mille ſagittarios armatos; quibus antiſtabant quingenti Macedones, veſtitu patrio ſcutiſque argenteis: procul conſpiciebatur, in orbem diſpoſitum, ſtratorum agmen elephantorum. Interius penetrale habebat aliquot

quot Purpuratos, quibus vel Regis favor vel ortus dignitas id præeminentiæ tribuebat. In meditullio poſita erat aurea ſella, qua ſedens Rex Legationes audire ſolitus erat. Iuxta thronum lucebat ignis, virtutum ſcilicet fax, Divinitatis non obſcurum indicium: tam illuſtribus undique magnificentiæ ſignis, ut reliquorum Regum ſplendori umbram facere videretur Alexander. Cum Romani Conſules Legationem Carthaginienſium Uticæ admitterent; uterque Conſul conſedit ſub conopeo, loco funibus circumdato & ceteris eminentiore, aſtantibus utrimque ducibus tribuniſque, & agminibus legionum, fulgentibus aquilis, fixiſque ubique ſignis; ut inde ordo numeruſque copiarum cognoſceretur. Nutu igitur Conſulum, per ſignum tubæ, ſilentium indictum. & Præco: Accedant Legati Carthaginienſium. Illi per ordines armatorum tranſeuntes, ubi pervenerunt ad Conſules; jubebantur exponere, quid petituri veniſſent. Sed in ipſa Urbe ſolemne fuit, Legatos honoris cauſa in Senatum ducere: atque id officii Prætori incumbebat. Sic C. Lælius prætor, Maſaniſſæ; L. Arunculejus prætor, Placentinorum & Cremonenſium; C. Scribonius prætor, Græciæ Aſiæque Legatos, ne de omnibus dicam, in Senatum comitati ſunt. Intellexit Princeps ille Populus, quid Provinciis, Regi-

buſque tribuendum eſſet. Deducuntur itaque primum etiam hodie, per Magnates atque Aulicos, in concilium & conſpectum Principum Legati, dum admittendi ſunt. Nolunt enim Principes actionibus ſuis improviſo interuentum: amantque adiri cum timida quadam reverentia; ut qui miſſus, aliquo modo ſubmiſſus ſit. Numquid etiam honeſtatis ratio privatis Nobilibus præcipere videtur, aut ſuadere ſolet, ne invicem domi occupent accedantve, niſi præierit qui exploret, num vacet? Evenit cuidam, quamvis non ingratæ Legationis miniſtro, ut dum ad externum Regem, peregere venationi intentum, de improviſo veniret, nec munus hominis indicaretur, niſi dum in conſpectu è rheda deſcenderet, atque inde Regi ſalutationis officium magnifico ac moroſo tractu exhibere aggrederetur; Sciam modo, inquit Rex: atque interim villicam pertranſeuntem, quæ ad forum leguminibus onuſta tendebat, compellans, Quanti, inquit, vendis olus tuum? Seſquiaſſe, reſpondit illa. Tum Rex: Nimium exigis. Deinde advenam intuitus, Quid rerum? ait. Sic didicit Legatus cum liberrimo Rege, libere quidem, ſed debito tamen reſpectu agere; honorem exhibere, quem reciperet.

Legato autem jam admiſſo ſalutationis honos ab ipſo Principe rependitur; nunc major,

major, nunc minor, prout à potentibus, amicis vel inimicis, miſſo. Nonnumquam advenienti ipſe Princeps aliquantulum obviam procedit, nonnumquam aſſurgit, ſedile præbet, operiri caput jubet, litteras oblatas exoſculatur. Et mirum, quam leve aliquando obſequii ſignum, gravioris odii ſive ſcintillas ſive flammas comprimat, imo extinguat: quam vero neglecta humanitas paſſim odioſa ſit ac offendat. Stephanus Poloniæ Rex, cum in Aulam Legatos Moſcovitarum admiſiſſet, ſed longiore ſilentio cunctantes, per cubiculi Præfectum quæri cauſam juſſit. Cui illi: Oportet Regem à Rege miſſis gratulari & aſſurgere. A quo mittamur, ignotum non eſt. ante omnia de ſalute ejus ac ſtatu ſciſcitandum erat. Polonus legem ſibi quodammodo præſcribi indignatus, in gratiam barbari hoſtis nihil quidem remittere de Majeſtate ſua voluit. Legati igitur, ut oſtenderent, non loqui & non veniſſe idem eſſe, ſuppreſſa Legatione regreſſi ſunt. Exhibita acceſſus reverentia, dum ſermonem orditur Legatus, capite detecto manet, nec cooperit niſi juſſus. Sic dum ſuum vel adeundum Principem deinceps alloquendo nominat, venerationis aliquod obſequium rurſus exhibet. Certe dum illuſtrior Legatus ad Regem nuper introductus eſſet, & præſtita ſalutatione caput,

caput, licet injuſſus, protinus contexiſſet, ita fari aggreſſurus; Per parentheſim, ait Rex, Numquid tu Regni tui Magnas es? Sum, inquit, ſed detecto tum capite, Legatus. Tum Rex: Bene apparet; caput contege, & proſequere.

DISSERT. XXXII.

Loci & congreſſus ratio.

IMpetrato Concilio, ſedendi locus Legatis datur. eſt enim hic honorificentius ſedere, quam ſtare. Iam vero & in ſedendo, honorum quidam gradus ſunt, & quaſi prærogativæ. Generali quidem lege vel potius conſuetudine receptum eſt, ut idem omnino honor Legatis exhibeatur, qui iis à quibus miſſi ſunt, ſi præſentes eſſent, deberetur: idem, inquam, ordine. Quapropter contentione forſan de loco nata, aſſerere animoſe debet Legatus prærogativum ſui Principis, & fugere potius congreſſum, quam ſiniſtre vel inferius ſedere aut ſubſcribere: ni faciat; plurimum Principi ſuo detracturus, ipſe velut homo nihili habendus. Quod ſi abſentia commode excuſari non poſſit; velum ægritudo dabit, cui nemo jure ſuccenſeat. Ad ſummam; ubi Legatus non ſit quod eſſe debet, non eſt cur velit eſſe. Legati Cæſaris, item Regum Hiſpa-

niæ

niæ & Galliæ, nec non Bavariæ Ducis, ſubducunt ſe potius invidioſis congreſſibus, quam invicem concedant quod deinceps in ſequelam trahi poſſit. Pluris enim apud Principem dignitatis poſſeſſio fit, quam ceterarum rerum quæ dignitati ancillantur. Ideo Arſaces Parthorum Rex Orobazum Legatum ſuum capite plecti curavit, quia Syllæ ſedendo ceſſiſſet. Demagoras Athenis punitus fuit, quia Perſarum Regi, more non patrio, cultum exhibuiſſet. Et nuperus quidam Legatus voti compos ubi rediiſſet, graviter tamen à Republica ſua redargutus fuit, quia externum Principem ſublimioribus titulis ſupra meritum compellaſſet. Turcarum Imperium, regente Amurate, plures ab omnibus pæne orbis Regibus ac Rebuſpublicis excipiebat Legatos. Imperator Turca ſolemni feſtivitate Circumciſionem Primogeniti ſui eo tempore celebravit: & Legatum quidem Perſiæ ad primum, Hiſpaniæ ad proximum pulvinar invitari juſſit, reliquos deinceps: quod illius forte Principem, utpote viciniorem, magis formidaret, hujus potentiam majorem reliquis exiſtimaret. Quo animadverſo, Legatus Galliæ ſolemnibus intereſſe noluit, ne ceſſiſſe videretur. Hiſpaniæ vero à nonnemine ſtilo pungitur, quia vel uni locum dedit. In Concilio Baſilienſi acrem controverſiam extitiſſe

acce-

accepimus de ſellis & ſedilibus Legatorum. Et quam Principes in iſto Legatorum ordine ſerii eſſe debeant, exprimit Conſtitutio Caroli IV. quæ Aurea Bulla nuncupatur, ubi de Electorum ſeſſione ſermo eſt.

Ceterum Legatus, ut ſtrenuus ſit dignitatis Principi ſuo debitæ aſſertor, non videatur tamen in minutis quibuſque ſtolidus exactor. Dein fortunæ contentionis ſe neutiquam committat, ne ludibrium potius ex quæſito ambitioſe loco quam gloriam laudemve reportet, in pejus gliſcente factione. Nimio ſane plures extitere quos ſpecies Legationis velut nube adeo circumſepſit, ut vix quidquam ſano oculo intuere potuerint; icti haud dubie eo ſplendore, qui non hominis, ſed muneris fuit: non aliter cenſendi, quam animal illud auriculatum, cujus in fabulis mentio ſit celebris dum ſacra Iſidis geſtaret.

Aliquando robuſtius etiam quam ſermocinatione, ſuper iſta honoris eminentia contenderunt Legati. Ad Concilium Conſtantienſe à Ioanne Rege Caſtellæ Legati miſſi erant, Didacus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Didacus Ferdinandus de Cordoua: miſſus & ab Angliæ Rege neſcio quis eadem dignitate. Contentio orta eſt in æde ſacra, illi an hic præcederet. Anglus in digniorem ſedem primus involavit, atque inde

velut

velut è tribunali de jure Regi ſuo debito, ſententioſe ſcilicet, quaſi vivæ vocis oraculo ſtatuebat. Archiepiſcopus loco excluſus, non verbis ſed viribus agendum ratus, quibus prævalebat, agere cauſam quam dicere maluit; & jus quod jam pedibus adverſarius præverterat & occuparat, brachiis vindicare. Accedens igitur (ſic geſta res fuit) hominemque comprehendens, è ſede ſublimem ſuſtulit, fruſtra renitentem, & progreſſus ad latus templi (ubi forte fortuna ſepulchri tumba patebat) depoſuit. Tum ad ſuos reverſus, locumque ingreſſus, Fit via vi, inquit. Vivus ille, ſepultus eſt: non jam ſedere, jacere poterit: ego boni Cleri & Legati officio functus ſum. Armis quoque Gentilitiis Archiepiſcopi addita fuerunt ea Inſignia, quæ cenotaphio iſti inſculpta extabant, ut eo velut inſigni deſignati facinoris charactere nobilitas & memoria perennaret. eademque hæc Inſignia conſpicere eſt in veſtibulo Collegii, quod digniſſimus Præſul Salamanticæ publico Religionis bono extruxit. Simile in Ioanne de Sylva, primo Comite Fontano, Ioannis ſecundi Regis Caſtellæ Legato. Dum à loco, quem Legatus Angliæ præoccupaverat, arceri ſe videret, luculenta oratione jus ſibi debitum diſputavit. Sed quid? quoniam fruſtra ſe verbis contendere ſenſit, litigio robur adjunxit;

&

& extracto è ſede antagoniſta, loci dignitatem ſibi aſſeruit. Commota concione, cum de violentia plures conquererentur; tranquillus ipſe, Quando, inquit, Supremæ Auctoritatis jus & ratio vim patitur, nec manibus animus deeſſe poteſt, nec animo manus. In conſeſſu Synodi Tridentinæ, dum Galliæ & Hiſpaniæ Reges veteri diſceptatione, cui potior locus deberetur, ferventer contenderent, & Gallorum Legatus, Toparcha de Lanſacq, in proximum Pontifici locum, velut in poſſeſſionem irrueret; non inſano ſtratagemate Mendoza Hiſpanus non abſceſſit, (ne juri diffidens aut humilior id facere videretur) nec ceſſit tamen, ſed exadverſum Pontifici in medio Conſiſtorii grata ſolertia & quadam Majeſtate conſedit. Quid enim? ſi quis Rex adfuiſſet, hic locus ei proprius videbatur; ab ipſis nimirum Legatis ſecretus & diſtinctus. Rurſum inter Hiſpaniæ & Galliæ Legatos gravis anno 1564. Romæ mota eſt quæſtio; Uter, dum comitarentur ſupplicationem Pentecoſtes, præcederet? quis fimbriam Pontificiæ togæ ſublevaret? (ſic enim ſolet fieri, & honoris & commodioris inceſſus cauſa) quis prior, quis item à dextris, Pacis oſculum exciperet? incenſa ſeu thus præberet? Pontifex prærogativam Gallo pollicitus dicebatur. Fr. Ludovicus Granatenſis ſuggerebat, ut

duo

duo thuribula, duo item Concordiæ ſigna deferrentur. Inter Cardinales, Borromæus à parte Hiſpanorum, Ferrarienſis à parte Gallorum ſtabat: utrimque æmulis & fautoribus non levibus. Legatorum quiſque coram Pontifice, ſui Regis potentiam, titulos, auctoritatem, ditionum copiam, fidei conſtantiam & protectionem, Regni antiquitatem magnifice extollebat. nec non proteſta implacabilis offenſæ & portentoſæ injuſtitiæ & ingratitudinis ſolemniter celebrata fuere, ſi quid Pontifex Regiæ dignitati detractum iret: additæ præterea minæ, in manus rumpendæ. Inde ſcripſit Cardinalis Vitellius, & Eccleſiæ & utriuſque Regum bono factum eſſe, ut quæſtio tum manſerit indeterminata. Memorabile è veteri hiſtoria de Friſiorum Legatis exemplum eſt, neque à genio Belgico alienum. Hi cum Romam ad Neronem miſſi eſſent, jamque Pompeii theatrum ingreſſi prohiberentur ſedilia Senatorum conſcendere, & tamen obſervaſſent quoſdam externo cultu indutos inter Senatores in Orcheſtra ſedere; percunctati ſunt, quinam illi eſſent. utque reſponſum; Id honoris exhiberi earum gentium Legatis, quæ virtute & amicitia Populi Romani præcellerent: Nullos mortalium aut armis aut fide ante Germanos eſſe, alta voce teſtati ſunt; digreſſique, inter Patres conſedere;

ſedere. Quo facto delectatus Nero, quaſi virtutem atque indolem totius gentis in Legatus admiratus & amans, ambos civitate donavit. Obſervatum eſt antiquitus, ut imperio, opibus, & viribus minor, majori concederet. T. Quintius Conſul Romanus, quia pacis leges Philippo Regi Macedoniæ dabat, ut ventum eſt ad colloquium, rogatu Regis dicere cœpit: quo liquet, ipſum Regem haud pari auctoritatis gradu conſtitiſſe cum Conſule Imperatore exercitus Romani; ſed ſuam Majeſtatem, hujus Amplitudini ſubmiſiſſe. Ita & Perſeus ejuſdem Philippi filius, congreſſus cum Legatis Populi Principis, iiſdem nonnihil tribuit. Nam, poſtquam in conſpectu (hæc verba Livii) dirimente amne, pauliſper internuntiando cunctatio fuit, utri tranſgrederentur; aliquid illi Regiæ Majeſtate, aliquid hi Populi Romani nomini, cum præſertim Perſeus petiiſſet colloquium, exiſtimabant deberi. Ioco tandem Martius cunctantes movit; Minor, inquit, ad majorem, filius ad patrem tranſeat. Quo quidem laconiſmo facile perſuaſum eſt Regi. Aliud deinde ambigebatur, cum quam multis tranſiret. Rex cum omni equitatu tranſire æquum cenſebat. Legati dumtaxat cum tribus venire jubebant: vel ſi tantum agmen traduceret, obſides daret, nihil fraudis fore in alloquio.

Hip-

Hippiam & Pantaucum, Principes amicorum, obſides dedit. nec tam in pignus fidei vel ſecuritatis deſiderati obſides erant, quam ut appareret Sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi Regem cum Legatis. Hæc Livius. atque ibidem notare eſt, joco non longe accerſito, ſed è re nato, comiter aſſertam, imo ſublimatam eſſe majeſtatem Imperii. Legati itaque potentiorum Principum, videntur ex æquo & tamquam pares cum imbecilioribus congredi ad quos miſſi ſunt. adeo quidem, ut quoties in eadem Aula Principes inferioris fortunæ ſive potentiæ ſunt, aliunde advenæ, cum iis fere de loco oriatur contentio. Et certe quicumque Principes validiorum opera magnopere indigent, in hanc ſubmiſſionis atque modeſtiæ partem, quam in illam confidentiæ atque arrogantiæ, inclinare nonnumquam malunt; ne dum ob inanem honorum florem litigant, fructum tranquillitatis & incolumitatis publicæ emarceſcere patiantur. Quid tamen? verendum ſemper, ne projectus Principis aut Legati animus, contumeliæ ſit opportunus. Magnum alioqui diſcrimen collocandum eſt inter rem ipſam, ejuſque ſimulacrum; inter Principem ipſum, & eum qui Majeſtatem limitato in negotio ad tempus repræſentat. Unde quemadmodum Legatus ſe & conditionem ſuam, ita

Ita Princeps ſe & ſuam expendet. Ille, ut ſciat ſe cum Principe agere: hic, ut cum Legato. ille ne nimium ſe attollat: hic ne nimium ſe deprimat. Legatus ſi ſe Principi parem putat, immodeſtus fit: Princeps ſi ſe Legato, vilitatem admittit. Quæſtionem vero illam, quis potentiſſimorum Regum Principumve vel eorumdem Legatorum in publicis congreſſibus conciliiſve potiori honore haberi debeat, indeciſam relinquemus: quippe cujus determinatio non à cujuſquam judicio aut conjectura, ſed à cuſpide gladii, à præſenti inquam potentia, tum à gratia ejus qui Legationem admittit, multum dependeat.

Quod ad contentionum hanc ambitionem attinet; neſcio qui ad normam aut regulam deduci queat. Poloni, legis remedio uſi ſunt; qua ſtatutum eſt, Ut priorem locum ubique locorum obtinerent, qui tempore priores in Regnum appuliſſent. Quod videtur eadem juris ratione niti, qua ſeniores dignitate junioribus præferuntur, in ferendis ſuffragiis, in ſtatuendo, ſubſcribendo, ſedendo, incedendo. Verum enimvero quis commodus legi locus ſit, niſi pares ordine & conditione qui obnoxii? Inique enim Legatus minoris Imperii, quantumvis diutius à patria abfuit, præferetur illi qui à Cæſare aut Rege poſtmodum advenit. Præterea ſi conſi-

conſidere debeant Legati; nonnumquam rixæ vitandæ cauſa, ingenioſe hoc agitur, ut imago ordinis pereat, orbiſque ſeſſionem faciat, quem ritum quædam hodie imitantur menſæ. Interdum & ſorti hæc res commiſſa fuit, ne contentioni vel indignationi locus relinqueretur. Ad hunc modum Triumviri & Pompeius inito fœdere ſortiti ſunt, quis primo loco, quis proximo, quis deinceps ſederet. *Interdum* cuique Legato diſtinctus dies datur, *liber* ab admiſſione aliorum: aut alternis diebus, hic aut ille, vicibus præcedit & cedit. Sed quamvis fere ejus, apud quem plures Legati ſunt, arbitrio, per Deſignatorem unicuique locus cedat; quia tamen honoris hoc negotium eſt, non alterius mage judicio ſtabit Legatus, quam ſuo merito, aut mandato Principis. Et ſi indecentior quam par eſt locus aſſignetur, nil minus faciet, quam eo uti. Maximilianus ejus nominis primus, cum Daniæ Regis Legatus ſedendi indebitum aut inſolitum jus poſtularet, ipſe ſolio aſſurgens eum audivit. Idque & alii plerique imitati fuere, & inprimis nobiliſſimæ quædam Princeps prudentiæ, quæ non niſi ipſos Principes ſedens audiebat, ſtans Legatos. Fuerunt alii, qui hæc concertationum fomenta non ſopire aut placare, ſed ſuccendere adniſi ſunt, ut ſerpentis odii flamma comprehenderet atque adureret ipſos Legatorum Dominos.

Aliquid vero interdum neceſſitati Legatus tribuet, ut ſi recto non poſſit tramite, obliquo ſibi conſulat, & tamquam ſchemate honorem tueatur. Iſmeniæ Thebani factum non incallidum, & prorſus Græcum, circumfertur. Legatione fungebatur is pro patria apud Perſarum Regem. Eo ubi pervenit, apud Thrauſten militum Tribunum, ſimul & admiſſionum magiſtrum, enixius operam dedit, uti audiretur. Cui ille; Nobis, inquit, ô hoſpes, patria lex eſt, ut quicumque ad Regis congreſſum admittitur, cultum ei adorationis venerabundus exhibeat. Id ſi placet, patet aditus: ſin minus, vicaria opera mea utare; & quidquid negotii credideris, ad Regem deferam. Iſmenias, cum neque rerum pondus conſcium ullum, neque feſtinatio dilationem admitteret; ad id, quod minime decebat, adductus magis quam inductus, Quinimo, inquit, mihi ipſi conveniendi Regem copia fiat. Et intromiſſus ita egit, ut cum morem gerere alienæ ſuperbiæ videretur; tamen in gentis ſuæ inſtituta, quæ homini ſupra hominem præſtitum decus, dedecus arbitrabatur, nihil peccarit. Quippe, ut è digito annulus ingredienti ſibi decideret, effecit: quem ut humo ſuſtulit, poplitem flectere viſus eſt, Regemque adoravit, nec adoravit. Sic una hoſtia pluribus Diis litavit. etenim negotio ſuo, & gratiæ

Re-

Regis, ſimul patriis & Perſicis moribus obſecutus eſt Iſmenias: conſiliique dexteritate, omnium quæ petierat compos factus eſt, & inuſitatis auctus donis diſceſſit. Non minus etiam feſtive quam honorifice Orator Caroli V. cum Mahometicus Dominus antiquum ſedendi jus Cæſareæ Legationi adimere moliretur, ideoque pulvinaria, quibus Legatus inſideret, auferri, vel potius non poni, mandaſſet; ipſe ad enuntiationem admiſſus, dum aliquandiu ſtans, Turca ſedente, fruſtra pulvinar exſpectaret; propriæ chlamydi in pulvinaris modum complicatæ ſuperinſedit, Legationemque expoſuit. quam ipſam dum ſic humi reliquiſſet, atque ut tolleret moneretur; Non ſolet, inquit, Imperator meus ſedile ſuum aſportare.

Jam vero ſi binæ, atque invicem velut infeſtæ Legationes ſunt; multum referre puto, priori loco audiri, ut præoccupatis Principum auribus, minus fidei atque auctoritatis habeat qui ſuccedit. Sæpe enim qui narrat, docuit, & vicit qui prævenit. Notare hic lubet, quod etiamſi Romanorum Legationes, omnium aliarum gentium, Regum, populorum atque civitatum Legationibus præferrentur: tamen in Concilio Ætolorum, ubi Romani, Macedones, Athenienſes & Philippus Rex audiendi erant; Macedonibus jam auditis, etſi dignitas

Magnitudinis Romanæ exigebat, ut Romanus Legatus ante Athenienſes loqueretur, Romani nihilominus & conceſſerunt & voluerunt, ut ſecundum Macedones etiam Athenienſes audirentur, ultimoque loco ipſi dicerent. Sic quidem in nonnullis Conciliis qui præſident, libertatem auctoritatemque habent, vel ſententiam ſuam primo edicere, vel ultimo quidem, ut aliorum rationibus facilius obviam ire, quid expediat certius decernere poſſint. Imo ſic ipſi Principes in Conciliis, vel primo promunt ſententiam, cum ceteris quod ſequantur, aut cui aſſentiantur, præmonſtrare ac velut neceſſitatem imponere volunt; vel noviſſime quidem, ut exquirant prius, quid quiſque ſentiat ſuadeatque; ac tum demum diſpiciant, anne expediat rem definire & ſtatuere, an vero differre.

Inter Legatos quoque ejuſdem Principis nonnumquam quæſtio atque ambitio ex hac dignitate pullulat. Volunt aliqui, potiorem videri ordine & loco, qui tempore præierit: alii, honorificentius eſſe, ſubſequi, & quaſi recentiorem à mente & gratia Principis venire: qua interpretatione conſuetudo hodierna nititur. alii ordinem loci obſervari foris volunt juxta conditionem atque præeminentiam, quam quiſque domi & in Aula ſui Principis habet. Sane ordinarius cum extraordinario interdum ſic altercati ſunt, ut

tam-

tamquam ignoti, quinimo inimici fuiſſent, invicem declinarent, nec uſquam convenirent. Ideoque Princeps hunc ordinem rectius Legatis ſuis vel ſemel, vel quacumque nata occaſione præfiniet.

Si huc rurſum non modo ex Legationum fontibus, ſed è rivis quædam derivare voluerimus; obſervabit Legatus, ut quem dignitate haud multo inferiorem, rheda aut domo vel menſa ſua excipit, eumdem honoratiore atque commodiore loco collocet. ſic enim civilitatis & quædam hoſpitalitatis ratio patitur & præſcribit. Alioqui dignior eminentiorque minori honorem interdum exhibet, non ea tamen lege aut mente, ut invitatus præcedat, verum ut ſic eluceſcat amplitudo ejus, cui etiam invitanti locumque deferenti, ceditur. Quid autem ſi oblato leviter honore frui vilior audeat, & præcedere præſumat? Contigit, offerentem eo acrius quod detulerat ſibi vindicaſſe ac velut retraxiſſe, quo contentioſiore humanitate profuſus viſus fuerat. Exempla non proferam, nimium lepida leviaque. At vero ſi Legatus alteri Legato aut Magnati obviam fit, quocum loqui neceſſe habet, atque is alter pedes inceſſerit; rheda aut equo ſi vehatur, deſcendet, ne illum deſpicere aut parvi facere videatur. Moriſque item eſt, ut ſi utrimque hinc deſcenſum eſt, prior abſcedat ille qui di-

dignior. Si quis etiam dignitate illuſtrior Legatum viſerit; minime (quamdiu ille ibi ſubſtiterit) indicabitur, alium quempiam forte advenire qui dignitate ſit inferior. Quod ſi autem major vel par extiterit, clara id voce, non vero in aurem ſignificandum eſt.

De Legatorum uxoribus nil ſeorſum dixero. Umbræ & ſua luce dignæ & conſpicuæ ſunt: maritorum conditionem in publicis congreſſibus æmulantur & repræſentant.

Dissert. XXXIII.

Enuntiatio mandatorum.

IMpetrata admiſſione, ultra ſibi elabi tempus Legatus non ſinet: quippe occaſioni injicienda manus eſt; ne, ſi negligatur, quæri rurſum debeat. Negligere mandata videtur Principis ſui, qui ſupine differt. Præſtat velle cum poſſis, quam non poſſe cum velis. Sed mandatorum enuntiatio, excipientium indoli ingenioque attemperanda eſt: poteritque Legatus honeſta animi quadam elatione uti, ſi magnanimi fuerint apud quos verba facturus. Amant ſuperbi potentioreſque ab iis potiſſimum honorari, qui genio ac virtute validiores aut pares ſunt: degeneres ſubmiſſiones, humilia obſequia, minus æſtimant. Sane ut quiſque fiducia aut faſtu ſurgit; ita alacre reſponſum, argu-

Digitized by Google

argutum, animoſum amat, certe patitur. Iſque magnanimos juvat honor, qui non à ſervili ac frigido pectore, aſt ab animo magno & excelſo proficiſcitur, & quidem (ut ait apud Tacitum Tiridates) rebus magis proſperis, quam adverſis. Hinc Plinius in Panegyrico Trajani ſublime cenſet, non quod omnibus major eſſet, ſed quod maximi exiſterent quibus major eſſet. Timide loqui, vilium eſt, cauſæ vel auctoritati Principis ſui diffidentium: tumide, vanorum & imprudentum. Modeſtia, ſed decora, plerumque ſecurior eſt.

Aberit autem à Legati verbis omne calumniandi & conviciandi ſtudium. Neque enim illam licentiam ulla libertas aut dignitas permittit. Aberit omnis atrocitas & immodeſtia verborum, quæ calumniæ proxima eſt. Calliſthenes apud Alexandrum ea dicebat quæ debebat, ſed non ut debebat. Stulte Legatus, dum intrepidus videri volet, temerariis auſis ſe ſibi ac Reipublicæ perditum eat. Neque enim viri fortis eſt, nihil prorſus timere, ſed contemnere non timenda. & Maximus ille Fabius, cunctando potius, quam pugnando victor fuit. Legati ab Artaxerxe Perſarum Rege, apud Alexandrum Severum Romanorum Imperatorem, quadringenti, & barbaro horridoque cultu paratragœdiantes, adeo ſuperbe locuti

 ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ut imperia, non mandata, edere viderentur: Magnus Artaxerxes jubet Romanos abſtinere univerſa Syria, Aſia, eoque tractu qui eſt uſque ad Ioniam, Cariamque: denique, quidquid gentium mari dirimitur, Perſis concedere. Ad hæc Alexander oſtendit, ſe Romanum, & quidem Severum eſſe. Neque extra territorium terribiles eſſe Legatos diutius paſſus, comprehendi protinus juſſit; & in animi refrigerium ablegavit ad Phryges, ut inibi ex Oratoribus fierent aratores. Cum Præcopis Tartarorum Principis filius, qui & unicus & chariſſimus patri erat, à Stephano præfecto Valachiæ bello captus carceri manciparetur, centum Legati ad redimendum miſſi ſunt, qui in graviſſimas minas eruperunt; Niſi filius Præcopi mox reſtitueretur, brevi totam regionem truculento ferro incendioque vaſtandam. Tam acerba & tumultuoſa voce in iram juſtiſſimam incenſus Præfectus (quippe qui nihil adhuc negaverat, ac ne inclementi quidem verbo uſus fuerat) actutum omnes interimi, præter unum, mandavit; quem egregie conſpurcatum, mutilatum, ſeminecem expulit, ut quid contumelia poſſet, quid mereretur, ſuperſtes nuntius deferret. Crudeliter quidem, & barbare: præſtaretque acceptarum à Legatis injuriarum talionem à Principibus ipſis repoſcere, quam in ſtupi-

dos

Digitized by Google

dos forte vel coactos impotenter ſævire. Caroli Burgundiæ Ducis exemplo, qui vibratum à Legato Gallico ſcomma ita excepit armiſque interpretatus eſt, ut Regem alieni dicti protinus pœniteret, ac Burgundicis flammis Lilium nobiliſſimum prope deflagrarit. Cum Legatus Cæſaris Octaviani Antonio denuntiaret, uti ſeſe dederet; quod homo eſſet nihili, mulieroſus, dignitate indignus, & cui nihil virile, quam nomen Imperii; ab Antonio, præcipiti impatientia furibundo, trucidatus fuit. Ajunt, Draculam, Moſcovitarum Regem, haud mitius in Turcarum Legatos animadvertiſſe. Nam his injuſſis capita tegentibus, pileaque Phrygia ex patriæ inſtituto deponere tergiverſantibus; ut gentilitium morem confirmaret, jus æterni pilei addidit, & clavo tempora transfixit; ut quod deponere recuſarant, firmius hæreret.

Princeps vero ſi præſcierit, acerba ſibi nuntianda, Legatum aut omnino non admittit ad expoſitionem mandatorum, aut quæſito impedimento id negotii mandat aliis, ne vel conniventia vel ultione maledicti, Imperio aut ſibi noceat. Valentinianus, contumelioſa Legatione audita, ſic iracundia efferbuit, ut primum in furorem dilapſus, mox cumulato in fauces ſanguine ſuffocatus ſit. Cautior Antiochus Legatos Se-

Digitized by Google

natus increpare volens, non admiſit: ſed Minio, principi amicorum, imperavit, id ageret. Cumque is ea objeciſſet & rejeciſſet, quæ vix Antiochus auſus fuiſſet; Sulpicius Orator, Verecunde, inquit, Antiochus: qui ſi non alia pro hac cauſa dicenda habebat, quemlibet iſta, quam ſe, dicere maluit. Sic præcipitis iræ interdum anſæ præſcindendæ, vel abſcondendæ ſunt. Oratoriæ auctoritatis decus haud parum concernit, cavilloſas alioque divertentes interfectionum voces diruere; ſed quæ ſunt juſſi enuntiare, rigide proferre. Sic Romanus Legatus Carthaginienſes aggreſſus, ſinu ex toga facto, Hic, inquit, vobis bellum pacemque adfero: utrum placet, ſumite. Cumque reſponſum eſſet, daret utrum vellet; ſinum horridum effundens, bellum ſe dare pronuntiavit. Nam non niſi ſemel percunctari optionemque dare, ſemel item reſpondere, bellumque denuntiare, magis ex dignitate Populi Romani viſum eſt, quam de fœderum aut armorum jure verboſe diſceptare. Romani ſcilicet aſpere ac rigide interdum conveniebant eos, quibus ſe potentia ſuperiores ſciebant; ut qui renueret vel obverſaretur, non minus cogi quam contemni poſſet.

Imo quia contingat, pondus eorum quæ hoſtium Legati promittunt vel interminantur,

tur, circumfuſam multitudinem plus æquo quatere; non ſuaſerim eos admitti publice, ut vel ſpectentur à pluribus, vel audiantur. Seorſim & extra populi arbitrium excepta mandata vim capient; ab unius alteriuſve prudentia pendebunt: nunc leniri & mitigari, nunc eludi poterunt. Obſidebat Jeroſolymorum urbem Rex Aſſyriorum: &, ut faciliorem victoriam faceret, Legatum miſit Rabſacen, qui Ezechiæ Regi, populo univerſo audiente, minitaretur. Conſiliarii igitur Regis petierunt, ut Syriace, non Hebraice loqueretur: nimirum intelligi à plebe nolebant quæ dicebantur. Verum ille altius eo intendit vocem, & intonat: *Audite verba Regis magni, Regis Aſſyriorum. Hæc dicit Rex: Non vos ſeducat Ezechias; non enim poterit eruere vos de manu mea.* Sic conſtat, per verba quædam plateatim ſparſa, mirifice multitudinem, ſubinde totum excercitum, in varios affectus fuiſſe concitatum. Reprehenſus fuit Maxentius, quia ſpectante & audiente milite, orationem Legati à Conſtante miſſi, excepit, quæ univerſis pæne exitio extitit. Nam deliberare poſtmodum, an læſo gentium jure, detineri Legatus poſſit, fruſtra erat: quippe oratio aures audientium animoſque occupaverat: hoc potius agendum erat, ne occuparet.

Ne mandata enuntiaturus Legatus, ignotæ

Majeſtatis ſplendore, ſibi excidat; frontem paratam gerat ad quamlibet occurrentis comœdiæ & actus partem. Credatque inprimis ſibi negotium eſſe cum homine, & quidem bono, juſti & æqui amante: Tum ea quæ prolaturus eſt, ſic ratione & honeſtate niti, ut diſplicere, imo non adlubeſcere omnino nequeant: Principem quoque majorem rerum quam verborum rationem habiturum: Se denique jam parem Regis ſui perſonam, dignitatem, auctoritatem referre. Quinimo ſi Princeps truculentiorem præ ſe ferre videatur vultum animumque, aliquid triviali proverbio Legatus tribuat; Dæmonem non eſſe adeo deformem uti pingitur: colorem & corticem ab interiore medulla ſæpe differre. Contingit profecto, quoſdam aſpectu terribiles, alios quaſi arcere vel parum allicere; cum revera ſint maxime tractabiles, moribus comes & benigni. Alioqui ſummi quandoque viri in conſpectu Principum obmutuerunt: ut magno Oratori Demoſtheni apud Philippum accidit. Superiore etiam ætate Zoſimus Iuriſconſultus, ad Alexandrum Pontificem pro Senenſibus mandata enuntiaturus, principio ita obticuit, ut nullum inde verbum potuerit pronuntiare. Id fieri opinor, vel dum vehementior quæpiam meditatio, animo aliorſum velificante, dictionis filum intercidit,

atque

Digitized by Google

atque inde dicentem confundit, quaſi ſibi præſens ſuive arbitrii non exiſteret; vel dum vitioſa verecundia, inſueto obtutu, velut radio, dicentis oculi animuſque titubant atque perſtringuntur. Quo ſane eventu Princeps magis hortari atque erigere Legatum, vel blando aliquo obſequio interfari ſolet, ut coram benevole audiente dicere pergat, vel alias animoſior revertatur. Eo exemplo, cum Legatus Turcicus apud Sigiſmundum I. Poloniæ Regem, Majeſtate plenum, obtumeſceret; jubebat eum ſequenti die bene ientatum redire. Fit quoque nonnumquam, & maxime in diſceptationibus, ut Legati, vel propter ætatem, vel modicum rerum uſum, vel perturbatione moti, ea quæ objiciuntur, aut quæ adverſus ea dicenda ſunt, haud facile complecti aut proponere poſſint. Tunc Inſtructiones à Legatis exiguntur, ut ſaltem non minus, quam permiſſum ſit, obligetur. Idem fieri ſubinde ſolet, quoties Legati fides non ſatis integra aut perſpecta eſt. Quemadmodum Patres Africani Concilii, non omnino credentes mandatorum expoſitioni Fauſtini, Philippi & Aſelli, Romanæ Sedis Oratorum, flagitarunt; ut ſi quod in ſcriptis ferrent commonitorium, proferrent. Simili conſilio, cum Legati Tranſmarini ſuper illatis Gentibus injuriis conquererentur; & Demetrius filius Phi-

 lippi,

lippi, juvenis admodum, neque capere omnia quæ dicebantur, nec quæ oportebat ad ea reſpondere poſſet; Senatus ab eo commentarium patris popoſcit, & ut inde legeret, monuit. Præterea exiguntur interdum ſcripto quæ pronuntiata ſunt, ut major dictis fides auctoritaſque tribui poſſit, atque etiam plus temporis haberi ad conſultandum & reſpondendum.

Caveant autem, ne ſeſe contemplentur Legati per perſpicilla ejuſmodi, quæ ſingula repræſentent quidem, ſed majora quam ſint; ſcilicet per dignitatem ſibi ſuperimpoſitam, & ſic oculis non ſuis, ſed inanis vanitatis. Caveant, ne umbra ejus Majeſtatis, cujus vicarii ablegati ſunt, nimis ſplendide abuſi, Principes in poſterum vias pacis neſcire, graves curas enutrire compellant. Quapropter ſunt, qui iratorum Principum dicta nonnihil edulcari volunt, nec ſpumantibus aut ſeſquipedalibus verbis, quemadmodum prolata ſunt, enuntiari omnia. Nimirum, videantur Legati magis internuntii atque Angeli Pacis, quam faces aut flabra diſſenſionum: tum ſi quæ amicitiæ ſpes, foveatur ac creſcat: ſi quæ acerbior ſimultas, melle prudentis eloquii leniatur. Quod ſi ea enuntianda vel agenda fuerint, quæ externi Principis voto aut commodo videbuntur repugnatura; fingent Legati, hæc ipſa

ſibi

Digitized by Google

ſibi ut auctoribus non eſſe attribuenda, ſed velut ab invitis proferri: utpote qui nihil æque optent, quam ſtabilire pacem, & conciliare animos eorum, quos inter Legatio commeat. Eoque & meliorum & gratiorum ſpem indere poterunt; ut cœptæ comœdiæ placidus ſemper locus maneat aut fiat. Ni tamen pro circumſtantiis conſultius fuerit, graviore auctoritate atque acerbitate interminatrice uti.

Sed ne libertas Legatis eripiatur, non omnia quæ ingrata erunt, ad contumeliam referenda ſunt: præſertim ſi quæ in mandatis acceperunt, juxta ſui Principis imperium, non ſtolide nec arroganter proponant; ſed tamquam alienæ voluntatis, ad amuſſim enuntiandæ, perlatores. Ideoque ſi vera fuerint, quæ adferuntur, diſſimulet Princeps; ſi falſa, contemnat. Degeneris atque imbecilli ſignum ſit animi, veritatem vindictat, verba verberibus illico perſequi.

DISSERT. XXXIV.

Qua lingua.

LEgatio, Legantis lingua edenda eſt. Romani, ſignum Imperii etiam idioma habuerunt: & ad dignitatem ſuam pertinere inprimis exiſtimabant, vernaculo tantum ſermone Legationes tum excipere, tum proferre. Et annotare libet, quod ſcribit Vale-

Valerius, inviolabiliter eos obſervaſſe, ne umquam Græce, Græciſmi tamen peritiſſimi, reſponſa darent; nec magis idioma ſuæ gentis, quam jus ipſum & potentiæ inſignia, barbarie pollui paſſos fuiſſe. Ideoque Præſidibus atque Iudicibus ſuis præceperunt, ne alio quam Victoris Populi ſermone decreta ſententiaſque conciperent ac pronuntiarent. Hinc etiam factum eſt, ut in cunctis fere Provinciis omnes contractus, omnia pacta & ſtatuta Latino ſermone fuerint inita & publicata: eodem omnes enuntiatæ & auditæ Legationes. Cujus rei nonnulla in Galliis extabant veſtigia, cum Ludovici X I. ſanctione inhibitum fuit, Senatuſconſulta in poſterum Latinis verbis præſcribi. Et apud Belgas, ſtylus Graphiariorum & Scribarum, ante ducentos annos, paſſim adhuc Latinus erat. Romani igitur inter Imperii arcana linguam rati, loqui & dominari pari ritu cenſuerunt: & ut totis Populorum & Rerumpublicarum corporibus jura dabant, ita & linguis. Catonem accepimus, cum ſe litteris Græcis admodum oblectaret, ne Athenis quidem Attice, ſed Latine loqui voluiſſe. Æmilius Paulus, cum Perſeum viciſſet, convocatis Aſiæ Ordinibus non niſi Latine locutus eſt. Reprehenſus quoque plus ſemel Cicero fuit, quod cum ad Græcos miſſus eſſet, Græce prolocutus, Majeſtati Romanæ detraxiſſet.

Unde

Unde inter diverſas Nationes, non minor exoritur æmulatio atque contentio ſuper vernaculo idiotiſmo, quam ſuper gentilitia indole: tamquam qui è ſermonis certamine victor extiterit, huic ipſi quoque de virtute conceſſum ſit. Neque ullum evidentius Majeſtatis argumentum videtur, quam poſſe ſubditos cogere, ut imperantis lingua & ſermone utantur. Sed & neceſſitas, unius linguæ propagationi, Imperium adſtringit. Etenim, ut recte Auguſtinus, facilius diverſi generis animantes & diſcolores aves conveniant, quam diverſæ linguæ homines in ſocietatem civilis vitæ. De Latino quidem ſermone diſſerere lubet; quod Romæ proprius quodammodo eſſe deſiit, ut nuſquam peregrinus cenſeretur, nexus & velut interpres Gentium omnium: quæ non ſatis ſpoliare Italiam, evertere Romam viſæ ſunt, niſi & linguam eriperent. Eripuerunt tamen, quaſi ut rurſus omnibus darent. Propagata Religio eſt, & Romani, ut ſic dicam, eſſe cœperunt, quotquot ubique Chriſtiani erant. Romani lingua, Chriſtiani ritu: quemadmodum in celebratione Divini Officii, lectione piarum precum, exaratione Apoſtolicarum litterarum, adhuc Latinitas ſacra eſt. & ſic Romæ & Pontificiis velut debet, quod exiſtat, & cum reliquis linguis, excultiſſimis illis quidem & pulcherri-

cherrimis, necdum interierit. Eo intuitu, in ſcholis diſcitur adhuc hodie, in foro, curia, aula, ac inprimis Legatione utilis; quoties peragi ſermo alio idiomate nequit, aut minus commodè.

Itaque Legatus ſpectabit Principem populumque à quo miſſus eſt: non inveniet linguam, ſed adferet: & ſolemniter verba facturus, vernaculum ſuum idioma, non exoticum proferet. Aſt quando deinceps ſeorſim res agitur ſine pompa ac fumo; poni interdum utrimque perſona poterit, & peregrinæ linguæ miniſterio ſecretum expectorari. Ita enim & Legatus Principi mandata exactius pandet, altiuſque, ut ſic dicam, præcordia excutiet & ſcrutabitur, tum benevolentiam efficacius conciliabit. Princeps autem ſingula momenta Legationis penitius pleniuſque percipiet, ſuaque viciſſim fidelius promet.

DISSERT. XXXV.

An per Interpretem?

SEd ut rari omnino Mithridates ſunt; ſatis habent plerique Reges, una & ſua lingua loqui. Unde cum idioma Legati non callebit qui excipiet, neceſſario malo adhiberi Interpres ſolet. Exemplo ſunt Legationes Galerii, Maximini, Trajani, Valentiniani, Theodoſii, Tiberii, Leonis,

Juſti-

Juſtiniani, Juſtini, Zenonis, ad Perſas, Scythas, Vandalos, Parthos, Saracenos, Gothos, Hunnos, Sclavos, Abaros, Alanos: quemadmodum vernaculæ illorum temporum hiſtoriæ narrant. Sunt qui miniſterio Interpretis uti ſuadent; quaſi id decere dignitatem putent Principis, & creſcente pompa veneratio augeatur. Defectus in delicias verti ſolet; alieno ore loqui, aliena aure audire, aliena etiam manu agere. Imo geminum ab hoc defectu commodum manare ſolet; ne reſpondeatur ad non intellecta, & ne quid præcipitant[illegible]s excidat, dum

——— *neſcit vox miſſa reverti.*

Tradit Curtius, Magnum Alexandrum, non ſolum Legatis, ſed & hominibus ſuæ linguæ per Interpretem præbuiſſe aures, ac reſpondiſſe. Et ſolent Academiarum alumni, dum ingenii ſpecimen ventilant, quæ à diſputante proponuntur argumenta repetere atque iterare; ut interim & judicio mora adſit, & qui ſingula ſolvenda ſint, deliberando occurrat. Sed neque tam grata, neque tam efficacia eſſe poſſunt, quæ ignotus aut ignarus forſan alienæ ſententiæ enucleator profert. Contra quævis lingua verborum veneres & energias habet, & genuinum aliquid, quod alia quacumque vix longis ambagibus, ac ne vix quidem, explicando commentaberis. Numquid à genio

ſcripti

ſcripti toto cælo aberravit Facundus ille, qui **Κηρύκειον**, *ſive Legationum Inſigne*, Gallice nuper vertere aut interpretari typiſque committere aggreſſus eſt? Utque ea hallucinatio abſit; certum eſt tamen, facultate viciſſim loquendi promtiorem fieri animum, intimoſque affectus apte & ſignate magis ſeſe prodere. Cui commodo frequens obſtat interventus interpretationis, qua impetus orationis, incitator & expugnator voluntatum, frangitur. Quippe loquentis interim calorem flacceſcere, acumen retundi, intentionem evaneſcere neceſſum eſt. Hinc etiam ambigue vel indefinite dicta, in ſequiorem non ſemel ſenſum veniunt, vel dubia & tenebricoſa videri incipiunt, quæ plana inprimis & maxime ſignificativa eſſe expediat. Nimirum, gratia illa & verborum vis Legato propria, in Vicario hebetatur. Omitto opportunitates interfandi, quibus ipſis cum interpretamenta viduentur, non parum & leporis & efficaciæ amittunt. Poſtremo nonne Principis ſui Interpres eſt Legatus? Sed ſi Legato, ut ſic dicam, Legatus acceſſerit; nihil non commenti verendum à tantis commentatoribus.

Nolim autem linguæ interpretandæ neſcium eſſe Legatum: ne ſi forte ſtolidum aut infidum interpretem nactus fuerit, allia pro aleis obtrudantur, Legatio perperam ſuccedat.

Digitized by Google

dat. Audiamus, quid mebodi, Perſarum Legato, apud Iuſtinum Imperatorem evenerit. Cum incivilius, qui conductitiam navabat operam, intonaret; Legatum Iuſtinus interpellavit: &, Non ſentis, inquit, ſermonem tuum ad Romanorum Imperatorem dirigi? Conſternatus Mebodes verecundo pavore, pronus in terram ſe proſtravit, negavitque à ſe hæc verba eſſe. Qua excuſatione cum uteretur, viſus eſt Iuſtinus adduci, ut fidem haberet; ſubjecitque: Videtur igitur Interpres ſua & aliena nobis ſuggeſſiſſe. Ad quam non excuſationem, Interpretis una ſtupiditas vel impoſtura, Legatum ipſumque Imperatorem deſcendere adegit, cum neuter offendiſſet? Sed neque ſupplicio ſuo caruit ille: ne periculo quidem carebit omnis Interpres, qui exteris adhibitus, iniquiora poſtulata idiomate ſuo exponit. Themiſtocles, miſſis ad ſe Legatis, terræ & maris Imperium flagitantibus, Interpretem per quem hæc dixerant, interimi juſſit, quod vel Græca lingua barbare loqueretur, vel ad barbarorum nutum abuteretur. Ne quid hic igitur abſurdi committatur, aſſumi vir ſpectatæ ſolet fidei, nec vilis vitæ aut ſtirpis. L. Æmilio Paulo Conſuli in Græcia Interpres fuit Cn. Octavius Prætor. Sic Gellius, ubi de Legatione Athenienſium agit, Cæcilium Senatorem interpretis mu-

nus

nus impleviſſe refert. Exquiſitis inde honoribus interpretes etiam affecti ſunt ſæpe; atque adeo poſt Legatum haud magno intervallo. Bradunas Iſdigimnæ interpres à Iuſtiniano etiam menſæ adhibitus eſt. Cumque Sp. Poſtumius Albus, A. Manlius, & S. Sulpicius Camerinus, veluti legum condendarum triumviri, à Romanis miſſi eſſent, ut ab Athenienſibus & Lacedæmoniis diſcerent Solonis & Lycurgi leges, nec non à Thuris Locriſque recentiores peterent leges Charondæ atque Zaleuci; venerabili huic Legationi datus fuit interpres Hermodorus Epheſius, qui pulſus quidem ſua Epheſo, ſed cauſa virtutis. ea enim neutiquam tum Orbe pulſa, teſtem obſequii ſtatuam promeruit Romæ.

Olim vero laudabilis hic mos erat, ut qui mitteret Legatum, interpretem quoque una deſignaret. Sic quidem facilus erat, interpretationem mandatis aptare: Legato etiam cum homine ſibi perſpecto commodius erat agere, ſi adduxiſſet domeſticum, quam ſi inveniret alienum. Hodie interpretandi muneri plerumque adhibentur familiares eorum, qui Legatione adeuntur; præſertim ſi non dignitate pari congreditur Legatus cum Principe. Attamen ſi Princeps loqui vult interpretem Legati, cujus alioqui ſermonem non intelligat; aliquem è Primoribus

Digitized by Google

bus ſuis, peritum & fidum adſtare jubet, qui auſcultet, ac velut cenſor ſit, num ſingula genuine explicentur. Interpreti itaque ſtudendum, ut prorſus eadem cum Legato dicat, & quantum poterit eodem modo. Cato Cenſorius ad Athenienſes Legatus, cum per interpretem mandata exponeret, atque ea quæ à Catone pauciſſimis verbis expreſſa erant, vix longis ambagibus, interpres expediret; Athenienſes, orationis diſſimilitudinem admirati, dixerunt, Romanis ſermonem in pectore, Athenienſibus in ore naſci.

Sua autem & Princeps lingua, & ſua Legatus utitur: & dum invicem intelligunt, interprete carere malunt. Aliquid hic etiam diſſerendum eſt de facto Henrici IV. Galliæ Regno aucti: apud quem cum Italico idiomate Legatus Venetus oraſſet, & pronuntiatæ orationis exemplar Gallice tranſlatũ, Regi obtuliſſet; idem illud Rex, patulis januis, legi curavit. Tanti aliquando refert publice excipi, ſi quæ Legatus læta nuntia attulerit.

DISSERT. XXXVI.

Character dictionis.

Dictionis character virilis & ſententioſus ſit, ſine affectatione concinnus, non ſuperſtitioſe coactus aut ſtrictim circumtonſus, ſed quaſi ab animo pro-

Digitized by Google

profectus, ipſa rerum & veritatis energia ſecurus. Qui vanis pigmentis illitus ſermo eſt, jam fidem in periculum mittit. Enucleatus quoque & dilucidus ſit Legati ſermo, requiritur. Gothico proverbio, monſtroſa oratio monſtroſæ mentis indicium dicitur; & ſic fallere vel falli, qui obſcure dicit. Profecto quemadmodum in muſica ſi quid abſonum & hiulcum obſtrepit, aures offendit; ſic iſte nuntius atque interpres mentis, ſermo, ſive auditus ſive lectus, lædit quodammodo percipientis animum, non minus vocabulis incompoſitis, quam rebus. E contra ut alicujus animo inculcentur memoriæque illabantur quæ ſive dicta ſive ſcripta ſunt, & quæ non dicta neque ſcripta ſunt inſinuentur, aptiſſimus index ſtimulusque ſtilus eſt; dum pungentibus ſententiarum aculeis, aſſertionis verba aſſenſui velut vincula ſunt.

Cum publice fatur Princeps, judicium ſubit univerſorum; cum Legatus, Principis. Apud Principes quidem, numquam non ſatis occupatos aut occupandos, omnis dictio in compendium contrahenda eſt, ne ſuperfluis divagationibus aut nugamentis aures eorum onerentur.

———In publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora Cæſar.

Non multa dicere, ſed paucis multa, laudem facundiæ habet. Atque uti ſapientia

ſententiæ ſal eſt,ſic brevitas decus. & magna oratio, magno ſæpe tædio conſtat. Imaginem non magnitudo, ſed ſymmetria commendat. Interdum & brevi ſigillo exprimitur Coloſſi magnitudo. Ipſa oracula & leges brevi ſententia venerationem ſui conciliant; velut emiſſa, ait Seneca, divinitus vox, quæ jubeat, non diſputet. Quid? quod optimum, idem maximum non invenies. uni ſoli Deo tributum, ut Optimus Maximus indigetetur. Sæpe quibus multum loquentiæ, ſapientiæ parum eſt: & vacua vaſa magis tinniunt. Sæpe qui verbis abundant, rebus & factis carent: haud ſecus quam arbores, quæ ſi frondibus nimium luxuriant, fruge deſtituuntur. Et ſæpenumero qua flumen leni placidoque murmure dilabitur, altior profunditas latet. Apud ſagittarios non ille potiſſimum laudatur qui quam plurimum emittit jaculorum, ſed qui vel unico ictu ſcopum ferit. Qui modum igitur verborum non ſervant, reſponſum vereantur, quo Lacedæmonii loquaces Samiorum Legatos eluſere. Etenim poſt longum orationis tædium, ſic os recluſere; Excidiſſe prima, quia remota; & ſine attentione effluxiſſe media, quia nimia; ultimis annuere ſe non poſſe, ceteris non perceptis. Pulchre Abderitarum Rex, qui à verboſiſſimo Oratore preſſus, ut quid renuntiari poſſet, reſpon-

ſponſo exponeret; Tuis, ait, indica, te mihi tacenti ſic obſtrepuiſſe, ut meam quoque orationis partem executus ſis. Garrulo reſpondere, ait Sidonius, convitium eſt. A Platone diſcimus, ſermonis menſuram & modum eſſe in audiente magis, quam in loquente. Hinc Ariſtoteles, flagitanti veniam, quod aures ejus prolixo nimium ſermone obruiſſet; Falleris, inquit, nam te loquente alio intentus fui. Cum duo Legati Peruſinorum Pontificem Urbanum V. lectulo vi ægritudinis detentum acceſſiſſent; eorum alter adeo prolixa oratione moleſtus fuit, ut ex oculis audientis, facile eſſet colligere tædium indignationemque allatam eſſe. Id igitur quo emendaret, novamque gratiam conciliaret Legatus collega, tamquam ſeorſim quædam nuntianda haberet; Sanctiſſime Pater, inquit, Mandatum nobis præterea eſt, ut niſi brevi votis potiamur ac dimittamur, non breviorem & ego orationem depromam. Sic riſu excitato, amplius iocus quam Legatio potuit, & indultum protinus quod petebatur. Cavebit itaque copioſius dicendo divagari Orator, ne multa interlabantur, elabantur item multa, quæ intentionem confundant, petitionem retardent. Sane qui prima admiſſione moleſtus eſt, difficilem ſecundam facit, & exiſtimationem affectumque ſui imminuit: quod ſemper verendum.

 Mode-

Digitized by Google

Moderata tamen dicendi brevitas ſit,ne ea quæ neceſſaria porlatu ſunt, ſilentio prætereantur.

Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis.

Quinimo moderata ſit, ne cum pauca dixerimus, in ipſis tamen paucis multa ſuperſint. Nonnumquam qui brevis eſſe ſtudet, vel jejunus, vel obſcurus eſt.

Coram Principe Orator non loquetur niſi præmeditatus, ne lingua menti præcurrendo adverſetur. Difficillimum quoque arbitror, in profuſo ſermone ſibi conſtare: multum loqui, & non multum errare. Recte illud à Philoſopho: *Loquendi magiſtros habemus homines; Tacendi, Deos.* Et prudentum linguam dicebant veteres, non vagari liberam, ſed vinculis ab imo pectore moveri. Nam qui ſunt faciles & futiles ſermocinatores, eorum orationem bene exſtimatum eſt in ore naſci,non in pectore. Cum objiceretur Demoſthéni, quod ad dicendum non niſi præponderato ſermone prodiret,imo verba velut ſcripta loqueretur: Omnino, inquit: non enim ſcripta ſolum,ſed ſculpta,ſi poſſim,dixero. Auream illam Catonis ſententiam, *Sat cito ſi ſat bene*, Auguſtus Cæſar opere comprobans, numquam ad Senatum, ad populum aut milites, verba fecit, niſi præmeditatus; ne præceps, vel copia ſuperfluus, vel brevitate obſcurus vide-

videretur. Certe uti inceſſus, ſic oratio moderatior virum gravem ac ſapientem decet : ac neſcio quod non veracis animi ſpecimen præ ſe ferat ſedata illa, & quaſi ſecura, non affectata, non ſollicita elocutio. Et vero ſi quid ſilentio peccatum eſt, emendari loquendo poteſt : aſt pœnitentiam pœnamque producit, non medelam, intempeſtiva loquacitas. Numquid potiſſima pars moleſtiarum atque ſimultatum hominibus ex linguæ intemperantia oritur ? Non inani Politicæ ſymbolo Eccleſiaſticus : *In ore fatuorum cor illorum; & in corde ſapientum os illorum.* Contingat quoque, in eam loci perſonarumve vel negotii conditionem incidere Legatum, ut geſtu & ſilentio magis agendum ſit, quam dictione. Verboſi quidem nihil præterea habere putantur quod dicant. Dicendi porro artem ſæpe ſuſpectam eſſe atque occultari debere, vero verius eſt. De Helvetiorum Legatis refert Tacitus, haud facile dictu fuiſſe, minus placabilem Imperatorem, an militem invenerint. Civitatis excidium milites poſcunt; tela ac manus in ora Legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat : cum Clodius Coſſus, unus ex Legatis, notæ facundiæ, ſed dicendi artem apta trepidatione occultans, atque eo validior, militum animos mitigavit ; ut eſt mos vulgo nutabili ſubitis, & tam pro-

Digitized by Google

prono ad miſericordiam, quam immodicum ſævitia fuerat. Effuſis lacrymis & meliora conſtantius poſtulando, impunitatem ſalutemque civitati Legati impetravere.

Artis quoque eſt, abrumpere ſermonem ſuum ubi maxime placet. Præſtat enim audientem adhuc avidum & hiantem detinere, & ſic dimittere, quam nauſeantem: ſcilicet, ut majus quippiam quam exprimitur, ſupprimi & reſervari videatur. Iſque inter Oratorum ſchemata, non contemnendæ venuſtatis, nec artis minimæ floſculus eſt, ut multa & mira reticere ſe dicant; quæ ſi quis velit proferri, dicenda non habeant.

Sciendum tamen eſt, quod ſicut de incognitis, & periculo magis quam utilitati conjunctis, conſultum eſt tacere; ita inprimis laudabile eſt, laxare frena effreni huic membro, quoties argumentum haud peregrinum verba invenient. Dicebat Solon, fidem & loquelam ſigillandam eſſe ſilentio, ſilentium occaſione. Nec abs re Socrates, cujus oculi in auribus, aures in oculis ſedem fixerant, taciturno adoleſcenti, Loquere, inquit, ut te videam. Sicque Plautinum illud invertere licebit: Pluris eſt auritus teſtis unus quam oculati decem. Theophraſtus ad quemdam in convivio plane conticeſcentem; Si indoctus es, prudenter facis, ait; ſi doctus, imprudenter. Certe ut immodica

Digitized by Google

loquacitas faſtidium parit, ſic nimia hæſitantia aut taciturnitas ingrata eſt, odioſa eſt. Et quia loqui eſt audienti animum aperire; ex adverſo, qui tacet, videtur velle aliis eſſe ignotus, velut obſervans & explorator. Reperire eſt nonnullos Saturnios ſic ſomnolenter taciturnos, ut in Pythagoræ prætorio, vel cælibum clauſtro, videantur non tam uſum quam neceſſitatem ſilentii profeſſi; imo vero ubiubi ſunt, extra ſe poſiti & abrepti. Nempe ut ſtatuæ elingues vivum cadaver circumferunt.

Illud quoque recenſebo; Quot gentes, imo quot homines, tot pæne formas dicendi exiſtere, quaſi ad naturam & genium cujuſque. Sunt qui rem ſimpliciter & nude pro ferri volunt: ſunt qui limata verborum pompa ſententiam malunt circumduci: ſunt qui exemplorum auctoritati plurimum tribuunt: ſunt alii qui apologis fabuliſve à moroſitate velut deduci cupiunt, & cerebrum omne vel in lingua, vel in auribus gerunt. Sunt alii quos benigniores experieris, faciliuſque flexeris in quamcumque partem, ſi quæ iis diſplicitura animadvertis, tum maxime urgentia, primum propoſueris; mox gratiora addideris. Alii blande & à ſuavioribus incipi malunt. Eapropter ſolerti judicio ſeſe præditum eſſe Legatus optet, qui protinus reſcire poſſit, quod auditori ſuo rei, quod dictio-

Digitized by Google

dictionis genus mage ſit accommodum. E Græcia Romam miſſi erant Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, & Critolanus Peripateticus Legati: & ſinguli diverſo dicendi genere uſi ſunt. primus quidem violento atque acuto, ſecundus gravi, tertius modeſto. Prudenter: ut enim numeroſus erat Senatus Romanus, diſtinctiſque hominum ingeniis, hac ratione omnibus fiebat ſatis. Sed non minor fuit Cæcilii Senatoris dexteritas & promptitudo, qui unicuique trium ea dictionis elocutione reſpondebat, qua ſinguli uſi fuerant dum orarent. Videre eſt, nonnullos in congreſſibus ingenioſiſſime ſermocinari, & quidem (ea eſt prolocutionis & geſtuum gratia) cum applauſu, qui tamen ne minimam periodum ſcripto ſignarent. Nonnulli eruditiſſima edunt volumina, quæ paſſim leguntur, prælegunter; qui tamen in hominum conſortio nihil proferrent, ni elingues, ni infantes, ac parum ſibi conſtare videantur. Celebris habebatur quondam Regio in Oratorio oratio, videbaturque apprime dictionibus ſelectis, ſententiis gravibus, argumento rariſſimo expedite prolata. Hanc Auctor dum typis edidiſſet, atque nonnemo geſtiret domi iterum legere, quod prius ſic avide audierat; non minor admiratio cepit omnes, dum vix legi digna nec eadem viderentur: quidam præterea detrahebant ſcrip-

Digitized by Google

ſcripto, cum vivæ eloquentiæ nihil omnino negari poſſe prius judicarant. Adeo dicentis fervor & agilitas nihil non poteſt in omnem partem & affectum. Nimirum aliqui dum dicendo incaleſcunt, oſſa & nervos eloquio ſuo indere videntur: ſtilo vix cutem aut colorem appingere ſufficiunt. Et hos quidem Legationibus obeundis idoneos eſſe contingat, quamvis ſcriptitandis hiſtoriis aut commentariis forent inutiles.

Cavebit Legatus ſemper, ne memoriæ magis quam animo mandaſſe conſpiciatur quæ dicturus eſt, quaſi cujuſpiam Rhetoris compoſitam orationem, nec certis periodorum Phraſiumve nexibus ſeſe aſtringat. nam illa expers gratiæ dictio, moleſta, velut mortua erit: & potiſſima laus calamo & linguæ deberi videbitur, non facundiæ aut pectori. Res ipſæ commodiſſime movent & ducunt dicentem ſimul & audientem; & ubi animum implevere, verba ſuggerunt. Vt autem omnis Legati dictio plus ſoni quam ſenſus, quinimo plus gratiæ habeat; proderit inprimis, ſi ſuis ille diſcurſibus attentum animum ſervet, rebus ſimul verbiſque præſentem, quaſi directorem ac monitorem ſui.

Digitized by Google

DISSERT. XXXVII.

Fandi momentum.

DIctionis characteri & modo ut jam momentum accedat; non ea ſolum quæ prorſus ſciri nefas eſt, verum ea omnia quæ nulla utilitate aut voluptate evulgari poſſint, ſupprimat ſibique habeat Legatus. Ita quoque ſi à quopiam ipſe conveniatur; cavere debet, ne ad audiendum ſit tardior quam ad loquendum. Vbi vero quid velit quiſque veneritque, probe fuerit expiſcatus; loco & tempori, prout conduxerit, judicium ſuum aptare incipiet, & ſermonis obſequio explicare. Eveniet alioqui, & ſæpe, ut incautus in laqueos incidat; & conſcium certumque, propalando, reddat alium ejuſce rei, cujus ne per ſomnium quidem ſuſpicio ei in mentem veniſſet. Hoc ſane genus hominum invenitur, qui ut fallant, de Principis jure, dignitate aut moribus, ſermonem ultro inducunt, quin & convitio quaſi acuunt, ſive offenſi, ut ſimulant, ſive neglecti: interim ſtudioſe id unum agunt, ut quid in imo pectore conditum Legatus ſervet, inveſtigent ac penetrent.

Præcipuum Fandi Momentum dixero, Ut Principem conventurus obſervet Legatus, ſi quos molles aditus molliaque tem-

pora norit. eaque non ab aſtris colliget aut ephemeride; ſed à venatione, peregrinatione, à vino, ab epulis, atque, ut fieri poterit, dum hilarior eſt Princeps, atque alicujus compos voluptatis otiique. Ut animum invenies, talem fere petitio eventum ſortietur. Omnia apud turbidum turbida ſunt; ut etiam facillima difficillima reddantur. Qui navigant, cælum & auram obſervant, turbines, ventos, ſævamque Neptuni iram fugiunt. Nos cogitemus, omne negotium imaginem maris habere: conſilium, navem eſſe; per malaciam tutiſſime dirigi, in tempeſtate mergi. Ariſtoteles Calliſthenem dimittens ad Alexandrum, monuit, ut cum Rege aut numquam, aut jucunda loqueretur: quo ſcilicet apud regias aures vel ſilentio tutior foret, vel gratior ſermone. Cujus præcepti primo memor Calliſthenes, & ipſe jucunde, & magnus inter magnates vixit: deinde immemor, exitium ſibi comparavit.

Quod ſi Princeps vel Legati oratione offenſus, vel alia fortaſſis cauſa parum ſibi conſtans, excanduerit; ſpatium dolori atque ſtomacho ſatis amplum Legatus dabit: ut quidquid ille eo in motu conqueſtus aut interminatus fuerit, articulatim obſervet ac perpendat. Fit enim, ut iræ æſtus ejiciat, quæ alioqui ſedato ac tranquillo pectore altum recondita non fuerit divinare. Etquamvis non

vis non tuto animi ſententia apud commotos profertur; imo proverbium moneat, Spumantem urſi naſum non tentare; non conſulam tamen Legato, ut ſi is quem acceſſit & affatus eſt, efferbuerit, protinus abſcedat: ſed modeſtiæ quodam ſcuto, furoris ejus impetum excipiat & ſiſtat, ſic certe perdiſcat, quo potiſſimum ulcere iratus tumeſcat aut crucietur. Etenim quæ nimio triſtes vel irati profundunt, ea fere ſunt quæ maxime amant aut oderunt dum affectu vacui. Legato quidem vices & momenta fandi facile recurrent: occaſio audiendi non ſemper ſeſe offeret: facile præterlabi ac velut retundi contingat ea, quæ Princeps dicturiebat, ſed ſemel.

Sed non apud Principem tantum; ubique alubi momenta hæc Legatus expendet. Nec inter epulas de inferorum lacrymis, vel commiſſorum expiatione; nec in templo de cauſidicorum aut medicorum ſive nequitia, ſive imperitia, diſſerendum eſt; nec in congreſſu militum glorioſorum inſtituenda vituperatio Thraſonis; nec apud virgines de partu aut puerperiis agendum; nec apud lapſæ pudicitiæ aut novi thalami matronas, caſtimonia Lucretiæ aut Ioſephi mirifice extollenda eſt; nec coram gibboſo, leproſo, lippo, Therſitæ ridenda venit deformitas; nec coram atheo, aleatore, anxie diſcu-

diſcutiendæ ſunt cærimoniæ hominum religioſorum. Geſtit quiſque diſſerere ſuper rebus ſibi per experientiam aut doctrinam perſpectis: imo gaudet manifeſtare ea, in quibus maxime excellit. Orator paulatim ſic exteros in colloquium deducet. inde, quæ patriam aut politicum eorum ſtatum ſpectant, ſenſim indagabit. Ea ratione inſtructior evadet ipſe, minime vero reddet alios. Etenim non tanti intereſt Principis, Legatum ſcrutari ac ſcire quid alii faciant, quam neſcire alios quid occulat atque agitet ipſe. Rurſus ne tacendo moleſtus aut ſuſpectus fiat Legatus; ſubinde lepidam narratiunculam, parœmiam, apophthegma, aut interrogatiunculam interiaculabitur, ut ſermocinator dicendo incaleſcat, ſecretum ſuum judiciumque pandat. Super rebus ethicis, phyſicis, œconomicis, hiſtoriciſve, non reprehendatur, ſi faceta gravique amœnitate, ex occaſione diſſerens, oratorem ſe exhibeat, aureſque audientium promereatur.

DISSERT. XXXVIII.

Dicentis habitus.

NE ſatis exiſtimemus loqui, multum etiam in univerſo corporis habitu Suadæ relucet, ſi apto ac decenti motu nutuque utaris. Valet profecto gratia

tia indenaſcens, & animis hominum illabens vi quadam occulta benevolentiam excitat & promovet. Iam placere cœpit, qui priuſquam dicit, lubentiam adfert; qui priuſquam aures mulceat, oculos oblectavit. Videri primum eſt; & qui audit, obtutu tamen dicentis orationem æſtimat. Quanti momenti ſit eleganti actione & geſtu proſequi & ornare verba, teſtis Hortenſius eſt, quem non minus in vividi corporis decora agitatione, quam in ipſa eloquentia plurimum ſtudii impendiſſe legimus: Ut neſcires (ait Valeriis) utrum cupidius ad audiendum eum, anne ad ſpectandum, concurreretur. Ita homines ſunt, ut per oculos animum paſcant. Ac ſane geſtuum venuſtas, ſive moderata in Legatis chironomia, perneceſſaria eſt adeo, ut hac ſine, fruſtra illi Oratorum partes ſuſcipiant. Hæc parat & oſtendit verbis locum, & exiſtimationem ſimul orantis tuetur. Hinc quoties decorum iſtud habitus adeſt,

——— *movet præſentia Turni:*

quoties abeſt,

——— *minuit præſentia famam.*

Quinimo ſolus ille modus, quo alia atque alia voce vultuque res enuntiatur, mutare & invertere ipſam ſolet. Tetricus aut agreſtis es, frontemque in deformes rugarum ſulcos contrahis? quæ dicis, inamæna quoque videbuntur. Blandus es, & ſerenitate velut

recreas? quæ promes, ſuo pariter lepore adlubeſcent, quamvis alioqui etiam offenderent. Ecce riſus ipſe quando ingenuus eſt, quando ſuavis; candoris & affectus indicium apparet: quando mordax vel Sardonicus, injuriam præ ſe fert & infert, jurgiorum ſator, incenſor eſt. Idem in dictione & ſententia, dum aliter atque aliter profertur, pronuntiatur: ludit, lædit; placet, diſplicet. Quid multis? Decorum iſtud agendi ſimul & dicendi, ſuopte ab uſu & genio melius habebit Legatus, quam alieno præſcripto.

DISSERT. XXXIX.

Reſponſa Principum.

HAud ſuffecerit enuntiaſſe Legationem, mandata expoſuiſſe, quemadmodum tabellario finis eſt conſignaſſe litteras; aſt reſponſum quoque referri oportet: alioqui quadam ignominia injuriaque afficitur Princeps qui miſit, & qui miſſus eſt Legatus. Pulchre apud Livium refert Ariſthenus Achæorum prætor, auditis Romanorum, Attali & Philippi Regum, Rhodiorumque Legationibus: Mitius videri, non dari Legatis concilium, quam inde ſine reſponſo dimittere.

Reſponſorum autem non una eſt differentia. Quædam enim acumen aut ænigma, quæ-

quædam ironiam aut leporem præ ſe ferre, alia ab magnanimitate, fiducia, aut elato vel offenſo animo, proficiſci videntur. Singula conditioni poſtulatorum aptanda ſunt. Monuit ipſe Sapiens : *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* & ait dictum vetus : Qui male proponit, male diſponit. & vetus verſificator :

Non male reſpondet, male enim prior ille rogarat.

Nonnulli Principum communi aliqua formula reſpondent, quæ cuilibet fere argumento ac ſermoni accommodari & ſatiſfacere poſſit. Sunt qui malunt reſponſa ambigua, minus obvia emittere, quæ vulgus ſcrutetur magis ac divinet, quam intelligat. Et vero magna interdum ſententiæ utilitas eſt, dum oraculi inſtar involvitur, aut interpoſitu rerum abruptarum, quædam, ut ſic dicam, interrogationum ambages aut tenebræ inducuntur : quibus quidem occulta ac velut ſacra ignorantiæ auctoritate ſuſpendatur percellaturque animus audientis, non porro inſtruatur aut juvetur. Legatis Bocchi Regis, facinore Jugurthæ in culpam prolapſi, amicitia & fœdere jungi expetentibus, ſic ex dignitate reſponſum eſt : Senatus P.Q.R. cujuſcumque officii & offenſæ memor eſſe ſolet; ceterum Boccho, quia pœnitet, parcit. Fœdus & amicitia dabuntur, ſed promerito.

Ita-

Itaque volebant Bocchum non modo recte ſentire & loqui, ſed facere. Dum ad Ludovicum XI. Galliæ Regem, Legati Græcorum, petituri militem opemque adverſus Turcam, veniſſent, pollicitantes viciſſim auxilia ſubſidiaque ad recuperanda ea loca quæ iniquus Dominus occupabat; Rex haud ita pridem Græcam fidem expertus, verſiculum veteris Grammatici pro omni reſponſo pronuntiavit:

Barbara Græca genus retinent quod habere ſolebant.

Cum Athenienſes, pacis conditiones à Gelone Siciliæ tyranno delatas rejicerent, multaque de gentis ſuæ antiquitate ac præſtantia jactarent, hoc reſponſi Legatus accepit: Hoſpes Athenienſis, apud vos qui præſint, habetis; qui ſubſint, non habetis. Tu abi, & renuntia Græciæ, Ver illi ex anno exaruiſſe. Nec minus Legato ſollicite inſtanti, ut Rex quippiam aſſereret vel negaret, brevi pungentique obſcuritate reſponſum fuit: Totidem litteras continet *Ita*, quot *Non.* Singulorum acumen vix hodierna curioſitas commentata eſt.

Reſponſa autem ænigmatica dubiaque à planis, ironica à ſeriis ſecernere noverit Legatus. Incautus ſane neſcio quis Orator Gallicanus fuit, qui verborum colore deceptus, præcipiti nuntio Regem quoque ſuum in er-

Digitized by Google

in errorem impulit; an deluſit? Etenim poſt mortem Franciſci Sfortiæ, miſſus ad Carolum V. ut Ducatum Mediolanenſem Regis ſui nomine poſceret, ejuſmodi reſponſum ab Auguſto Imperatore tulit: Et prorſus idem mihi placet, quod Fratri meo Regi Galliarum. Legatus autem ſibi votiſque ſuis blandiens, credidit hoc dicto Carolum petitioni aſſentiri: idque ad Regem ſuum præpropere perſcripſit. At Cæſar Ducatum Mediolanenſem ſibi non minus quam Gallo arridere, ideoque à ſe non minore contentione retinendum, quam ab Rege expeteretur, ſenſit & oſtendit. Legato præterea obſcure interdum reſpondetur, dum rebus creperis, vacillantibus, aut nondum paratis temporarium præſidium effugiumve quæritur à verbis contortis ſive implexis. Quod ſi vero alia reſponſa impetrari non poſſint; petendum eſt, ut ſcripto comprehendantur. Ita enim obſcuritatis calliditas in auctorem recidet: nec integrum Principi erit deſugere auctoritatem ſuam, culpamve conjicere in pectus Legati. Cui cautioni locus præcipue erit, quandocumque infauſta domum referenda ſunt, ne ore Legati primum ea innoteſcant.

Quoties interrogationi interrogationem, velut ex ipſa re natam, ſubſtituimus aut reponimus; non ſolum jam reſpondiſſe videmur,

Digitized by Google

mur, ſed interrogantis argumentum velut enervamus. Et nova quidem interrogatione ab ſimilitudine forſan ſumpta, non tam inſtruitur interrogans, quam perſtringitur, & divertitur, dirigiturve. Rex Angliæ conditiones fœderis manifeſte violarat, quas cum Galliæ Rege inierat. Inde cum Gallus Anglo minitaretur; miſit hic Legationem, petitum, Quo exercitus iſte Gallicus ſpectaret? anne rurſum armis agendum eſſet, quæ denvo abdicaſſent & abjuraſſent? Reſpondit ille: Bonus id frater meus ſi ſciverit, cur inquirit? quod ſi neſciverit, numquid à me debet diſcere? An potuit magis ſerio porpoſitum inverti, quam ſic nugando? ſcilicet ad geminatam interrogationem obmutuit Legatus; & adhuc hodie meditandum foret reſponſum. Huc redeo, ut dicam reſponſum neceſſàrium eſſe, ſed eximia ſilentii auctoritate ſive energia id promi poſſe. Sic igitur vehementius quandoque loquitur qui tacet, quia ſive inepte ſive indigne interpellatus. In Auguſto exemplum eſt, qui Legatis Antonii poſt Attiacam victoriam ad ſe iterato miſſis, impulſu juſtæ indignationis mutus fuit. Pari ſilentii ſeveritate Vitellius Legatos Othonis dimiſit. Conſtantius Legatos Magnentii, Epiſcopos, nullo reſponſo dignatus eſt, quippe miſſos à victo, & merito victo, cui æque pacis conditiones prius

erant

Digitized by Google

erant repudiatæ. Non abſimili conſilio, quamvis diſpari negotio, Romæ olim duodecim coloniarum mentionem in decreto fieri, Patres prohibuerunt, quæ, dum Hannibal floreret, imperium detrectaverant; cum reliquas, quæ Romanis fideliter adhæſerant, honoratiſſime extuliſſent: neque illarum Legatos dimitti, nec retineri, nec conveniri à Conſulibus voluerunt. Ea caſtigatio (verba noto Livii) maxime ex dignitate Populi Romani viſa eſt. Attamen ne reſpondendi quidem tempus ſemper attenditur, ſed intercidi ſermo nonnumquam ſolet, partim rei, partim perſonæ vilitate infra legitimum reſponſum collocata. quemadmodum quoties ab amicis & benemerentibus Legatus advenit, grato obſequio ac ſermoni Principem interfari aut præloqui, ad ſingularis refertur favoris ac benevolentiæ genus. Cyrus Gadatam eunuchum (ut nimia gratiarum actione laudibuſque oſtenderet verecundiam ſuam urgeri) non allocutus, ſed amplexus eſt, geſtu non oratione blanditias compeſcens. Quia vero in reſponſis ſuis Principes decorum inprimis obſervare debent; turpitudine futilis reſponſi quidam celebris fuit, eoque non ultra nominandus: qui dum plures ab hoſte Oratores admitteret, & illi Martialem ejus vultum, rutilantes oculos, animumque, iram atque indignationem ſpiran-

ſpirantes, excordes intuerentur; orationem quam ſeorſim quiſque ad unguem callebat, ne vel effari unus potuit; ſed modo hic, modo iſte & ille, hujuſmodi initio uſus eſt, More Majorum: modo alter, More Majorum: Coyoni (quam projecta vocis illuvie!) Coyonorum, reſpondit. Et quamvis, quæ adferrentur, Populo ſuo placitura, Patriæ & Principatui profutura præſciret; non tamen protinus audire ſuſtinuit: ſed ut quæ edicerent ediſcerent, viginti & uno diebus detinuit. Ita quæ illi petebant, & ipſe expetebat, diu audire diſtulit, ut ea magis ab adverſarii imbecillitate atque indigentia proficiſci conſtaret, quam ab voto aut metu ſuo. Solent nimirum ad tempus negari aut vilipendi quæ maxime amantur & æſtimantur. Dum apud Galliæ Regem Henricum IV. Pariſiis abiturientem, Legatus è Magnificis Bononiæ, compoſitam orationem proferre vellet, nec poſſet; hæc verba aliquoties reiteravit: Hannibal diſcedens Carthagine: Hannibal, &c. Rex, ut erat feſtivus, & tum quoque feſtinus; Scriba ſcribæ, ait, & credo Hannibalem tum etiam calcaria ocreaſque dum diſcederet induiſſe. Eoque reſponſo, hallucinantis dictionem ſuffocavit verius quam abrupit; injungens Secretario ſuo, ut Doctori Oratori (qui filius ſcribæ erat, & ipſe præcellens ſcriba) ſuggereret, ut quæ ſermone nequiverat,

Digitized by Google

verat, ſcripto complecteretur Fridericus Imperator cumulo ac ſimul pondere negotiorum non parum obrutus, cum è Comitiis admodum ſero rediret, ſiſtitur importune â neſcio quibus Legatis; qui pro re præſenti comparationem ab antiquitate orſi, oratorie ſcilicet inquirebant: Quid poſt meridiem Heliogabalus? Reſpondit Imperator: Si nondum biberat; ientaverat opinor. & porro greſſum promovens, addidit: Neutrum ego. Hinc profecto rurſum diſce, opportuna fandi tempora captanda eſſe. Nam qui vel nimio feſtinos, vel alio intentos, vel præſentium negotiorum copia obrutos adit & interpellat Legatus, placidum reſponſum ne exſpecter.

Subinde nec minus efficaciter, quibuſdam ſignis, vel ſignificatis velut rebus, reſponſum exponitur aut indicatur. Conſtantius Imperator Cardamo Bulgarorum Duci vectigal & tributum per Legatos exigenti, minaſque acerbas inverecunda temeritate adjungenti, ne reſpondit quidem, ſed vacuis ſtercus equinum litteris impoſuit, ut Cardamus intelligeret, quo eum loco & tributo dignum cenſeret Conſtantius. Darius in Scythiam pertingens, ibidemque commeatuum laborans inopia, eum ab incolis petiit. Hi vero reſponſum ſine reſponſo depromſerunt, ſine verbis, ſine ſcripto, & tamen facundi.

cundi. Miſerunt avem, talpam, ranam, & quinque ſagittas. Hæc omnis oratio atque ratiocinatio fuit. Darius ſibi & fortunæ ſuæ blandiens, Pro talpa tellurem, inquit, pro rana aquam, pro ave equos, pro ſagittis, incolarum & civium obſequium interpretor & amplector. Qui à Scythis miſſi erant hactenus infantes, non deeſſe ſibi linguam, non animum oſtenderunt: alia omnino hiſce ſignis & ſymbolis myſteria ſyllogiſmi ac ſignificationis contineri. Quæ obſecro? ut niſi Perſæ, ductore Dario, inſtar avium actutum avolarent, aut velut talpæ ſubirent terram, aut veluti ranæ in paludes inſilirent; ſagittis confixum omnes & confectum iri. Numquid ille pariter, qui detruncabat eminentiora capita papaverum, docuit nec dixit tamen, Primates capite plectendos, è medio tollendos? Alii, ſententia quapiam in pariete vel codice caſu conſiliove viſa & monſtrata, quid ſentiant, aut quid futurum ſit velut augurantur, & inſpectantes commonefaciunt. Ita Dux Albanus, iis quibuſcum verboſe contendere ſupervacuum arbitrabatur, oſtendit hemiſtichium:

——— *Arma tenenti*
Omnia dat qui juſta negat. ———

Henricus Imperator à Scarbico Regis Poloniæ Legato de armis pace ponendis interpellatus, magno fiduciæ geſtu reſponſum acce-

accepit : etenim ingentem auri acervum oſtentans Imperator, Hoc, inquit, domitore Polonos ſubjugabo. Aſt Legatus intrepido ac prorſus heroico animo, detractum, quem digito geſtabat, annulum theſauro injecit, teſtatus, ſe quoque ſine voce loqui poſſe. Quid enim dixit, cum nihil dixit? Iungatur aurum auro: non percellimur. Ineſt omnino rebus auctoritas quædam apto ſigno expreſſis, qua permoveatur atque incitetur is cui reſpondendum vel audiendum eſt. Exemplo res claudenda eſt, ſed ſingulari. Lamorabachius Tartarorum Rex, Hungariam infeſtaturus, ad Comitem Lazaracum Legatos miſit, exercitui tranſitum petituros. Cumque mandata exponerent, ſtolida jactantia, ſaccum frumenti, quem hoc fine ſecum vexerant, media area effuderunt. addidere & minas; Ni poſtulatis annueretur, Lamorabachium non minore militum numero, quam grana effuſa eſſent, adfuturum, extorturumque quod peteretur. Lazaracus totius rei prius certior, ingentem famelicarum gallinarum copiam in grana immitti juſſit, quæ ſparſum frumenti acervum illico abſumebant. Retaliationem ingenii, loco ampli reſponſi, habere poterant Legati: qui tamen, ubi non ſolum videre, ſed audire reſponſum vellent, audierunt ab œconomo: Comitem numquam dubitaſſe, quin multa bar-

barbarie polleret Tartariæ Rex : Milites tamen qui in bellicoſam hanc aream deſcenderint, levi negotio diſpergendos. Periculum fecit & ſubiit Rex, inanique potentia confiſus, perinde confuſus fuit. Diceres, hunc inepte milites ſuos gallinis aſſimilaſſe, niſi iſte granis ſuos comparaſſet, queis gallinæ ſaginantur. Animadvertendum hic, ut apte & expedite reſponſo occurratur. occurri poterit, ſi præſcire datur, quid dicturus, acturus venerit Legatus. Id quidem ad ſecretorum indaginem, negotiique intricatioris expeditionem, plurimum ſubinde addit momenti. Et vero fervoris in dicendo & agendo plus hinc continget amitti, quo certius & citius iſthinc reſponderi poterit.

Reſponſa quidem Principum, quæ non ſignis, ſed ſermone formantur, ſuccincta ſunt plerumque, ſententiis gravida, & Majeſtatis quodam pondere inſtructa. Acumina ſuopte quiſque ingenio vibrabit, tanto felicius, quanto natura promptior erit, quæ hic artem omnem ſuperat. Tamen & præcepta quædam ſunt, à Qnintiliano, qui unus multa docere Oratorem queat, utcumque producta. Sed nos hic exempla dumtaxat ſubjungemus, prout ea obſervata olim, nullo fere diſcrimine è memoriæ modulo ad calamum profluent. non enim ſubſiſtere ubique, aut argumento inhærere datum eſt, Cyaxa-

res

Digitized by Google

res Medorũ Rex, Legatis Indicis, ſciſcitantibus, Quid cauſæ ipſum Regemque Aſſyriorum bello collideret? Indum enim allaturum ei auxilia cui fieret injuria. Referte Regi veſtro, inquit, neque in Regem Aſſyriorum, neque in ejus Imperium quidquam iniqui profectum à me eſſe; meis quoque me armis fidere qui jure & innocentia tutus ſum. Dum Petrus Rex Aragonum numeroſa militum manu inſtructus ſtaret, nec ſciretur, ubi ea uſurus; Legati à Rege Galliæ cum hujuſmodi mandato miſſi ſunt: Regem ſuum, intellecto apparatu, inquirere, anne in communem & barbarum hoſtem belli tempeſtatem effuſurus eſſet: ita enim pro felici ſucceſſu vota ſummo ſe Numini conceptuturum. Sed, ſive inpatruum ſuum, Siciliæ Regem, ſive in cognatum, Salerni Principem; jam in anteceſſum de injuria ſe expoſtulare. Reſpondit Aragonius: Quod ago, Numinis auſpicio agere mens eſt, & Numinis ductu ad exitum proferre. Bellum iſtud ſi Dei bellum eſt; homines timendi num ſunt? Sic quoque Angliæ Rex Henricus VIII. ad Franciſcum I. Galliæ, Legatos miſit, partim penſionum quarumdam exacturos perſolutionem, partim reſtitutionem regionum; quæ veterum contractuum & cognationis jure debebantur. ſi mora aut tergiverſatio deinceps eſſet, mare ſe trajecturum, & preſſum à

 Majori-

Majoribus ſolum luſtraturum. Franciſcus, non retuſo ore, Et vos, inquit, Regi veſtro referte; Excipiendum à me, prout venerit: amice & hoſpitaliter, ſi inermis; militariter & hoſtiliter, ſi armatus. Eligat igitur ipſe, hoſpes an hoſtis adeſſe velit: cum paucis & domeſticis, an cum quinquaginta me ſibi millibus comitum occurrere: quibus indubie cauſæ noſtræ judicibus validiſque teſtibus, plus fidei & veritatis inerit, quam Regis veſtri imaginariis ac emortuis titulis exeſiſve chartis, ceu detritis inſtrumentis. Sic in poſſeſſorio judicio triumpharunt Franciſcus & heredes ejus: petitorii actio videtur jam plus quam longiſſimi temporis lapſu præſcripta, ni quis validior judex atque geometer rurſum de dividundo potentius agere & cogere poſſit. Cum Legatus quidam Regi Galliæ Henrico IV. perſuadere niteretur, Principem ſuum priſtino neceſſitudinis & benevolentiæ affectu erga eum perſeverare, cum tamen pro virili clam noceret; Quid verbis opus eſt, inquit ille: & ego tam diu amicus ero, amicum quamdiu experiar; ſed numquam impellar ad rem adeo difficilem, ut conſervem amicum nolentem. Apud Turcarum Imperatorem cum Perſa Legatus album vocaſſet album, & nigrum, nigrum; atque ille conticeſceret; ratus ſe non auditum fuiſſe, quæſivit, num intellexiſſet ea

quæ

quæ prolata eſſent. Neſcio, ait Imperator. Itaque Legatus, ſilentio obhæſitans, ſcripto ſchedulam ei tradidit, qua ſingula quæ expoſitum venerat, comprehenſa erant: & Lege, inquit, ut me intelligas. Tum Barbarus: Licet legero & intellexero, non credam. Sed anne quis intelligat quod non credit? Præfractum hoc, & generoſo Caroli V. dicto temperandum. Huic Legatus redux referebat, Principem quem adierat, liberioris oris eſſe, nec à convitiis abſtinere. Reſpondit Carolus: Exilis amor. Cumque eadem Legatus inculcaret; rurſum Imperator: Male dixerit ille, ego bene fecero. Legatus non ignoti Regis, dum ejuſmodi mandata ſuſcepiſſet, ut eorumdem enuntiationem non uſque adeo gratam audienti fore prævideret, vitioque oris aut moris, nonnihil inter loquendum balbutiret; magis quidem obhæſitavit, dum inamœnam Legationem meticuloſus aut verecundus exponeret. Itaque ubi dicendo & ſubſumendo incaluiſſet, multaque diceret, non multum; vocemque modo deprimeret, modo attolleret, modo dimidiata etiam verba ſupprimeret, aut præcipitaret verius quam promeret: tandem & Princeps reſpondendi tempus nactus, quod nullum habuerat audiendi; ipſe ſubmiſſe admodum lenteque & breviter lingua ludere ceu lingere potius ſtatuit, quam loqui. Ubi

Ubi ſic dimiſſus diſertus ille, enixe rogavit deductionum atque admiſſionum comitem, vellet ſciſcitari Regem, Ecquid reſpondiſſet? ſeſe enim nihil omnino percepiſſe præter benevolum vultum. Paruit iſte. Tum Rex: Miratur Legatus, quod me reſpondentem non intellexerit? nec ego quidquam eorum quæ ille protulit intellexi. Ageſilaus cum per Nuntios tranſitum à Rege Macedonum petiiſſet, iſque ſe deliberaturum diceret; Ergo deliberet, inquit, ſed nos interim tranſeamus. Interrogatus ab Legato Princeps, qua lege conſanguinei ſui ditionem gratis divaſtando ſumeret; Vis major, Neceſſitas, Commoditas loquantur, ait. Ejuſmodi reſponſa, tyrannica licet, nec probanda, interdum uſurpat Majeſtas potentiorum, & felicitas victorum; quorum jura quia ſunt indiſputabilia & ſupra examen, non eſt utique mirum, ſi à pleriſque non intelligantur. Regios autem ſpiritus & dignitatem uno reſponſo Legatis Darii oſtendere viſus eſt Alexander. Illi ad eum miſſi cum primo matrem & duas virgines filias peterent, & pro tribus corporibus XXX.M talentum polliciti, pro ſervata ab internecione familia gratias agerent; deinde cum filiam Darii in conjugem & quidquid terrarum inter Euphratem & Helleſpontum jaceret in dotem offerrent; nihilominus rejecti ſunt. Tum Parmenione Con-

Conſiliariorum intimo ſuggerente, Cedentibus inimicis argenteum pontem parandum eſſe; plura adhuc flumina tranſeunda eſſe, munimenta Regni Dariani; ſe quidem, ſi Alexander eſſet, propoſitam à Dario conditionem non recuſaturum: Alexander & ſibi conditionem arriſuram ait, ſi Parmenio eſſet, ſed Alexandrum Alexandro digna meditari: ſed neque fluminibus terreri qui maria tranſiiſſet. Itaque ad Legatos converſus, reſpondit; Ea quæ offerrent, non donum eſſe, ſed debitum. Se quoque neque Darii auro egere, neque partem ejuſce Provinciæ, quæ tota ſua eſſet, ſibi ſufficere. Oblatam filiam omni quidem honore digniſſimam, ſed deſtinationi ſuæ nondum convenire. Denique non aliam cum Dario amicitiam placere, quam quæ jure belli conſtitueretur. Nuntiate ergo Regi veſtro, ait, gratiarum actionem ſupervacaneam videri apud hoſtes: quorum obſequia & familiaritatem ſcitote me non quærere, ne admittere quidem; procul abeſt, ut ambiam ab eo qui adorationis cultum debet. Illud queri & admirari me; Dominium negari mihi, qui Vicedeatu in terris fungor. Me quoque, ſi quid clementer aut benigne egerim, non neceſſitati tribuiſſe, ſed naturæ meæ. Denique non adverſus adverſariorum calamitates, ſed contra proterviam contendere me. Ro-

buſtum quoque reſponſum fuit, quod Athenienſes dedere Legato Mardonii, promittentis, devaſtatam ferro ignique urbem reſtauratum iri, imo totius Græciæ principem fore; ingens quoque auri pondus ſe daturum, ſi bello adverſus Græcos abſtinerent. ita enim reſponderunt: Nullum auri pondus terra toto gremio tenet tegitve ſic magnum, quod ſaluti Græciæ anteferant Athenienſes. Ideoque quouſque ſol curſum ſuum ſervabit, cum Perſis belligerandum eſt, ut violatos Ditionum fines, violatos Deos ulciſcantur. Dum Legatus quidam I.C^tus^ mandata ſui Regis per Iuſtinianea ſcripta expoſiturus adveniſſet, quæ ſivit à ſuis Doctoribus iocularis Princeps; Quid juridice & ipſus reponere poſſet, cum non colloquiis, ſed odiis armiſque deinceps agendum eſſet? Inquiunt illi: Ubi opus eſt facto, verba non ſufficiunt. Iamque Legatus, Lege tali, & lege tali, pro jure allegato excipiens, audiebat: Non mihi verba placent. Et ſi quid iocis demus, credibile eſt, brevem Digeſtorum legem ægre leguleium Oratorem digeſſiſſe.

Numquam vero Princeps cum Legato diſputationem ineat, niſi quidem ſeipſo vilior eſſe velit, etiam ridiculus. Iuſtinianus hunc errorem commiſit, belli controverſias apiceſque prolixis cum Coſroë verbis exagitans. Sic fortaſſis præliari ſatis non erat, niſi

& lin-

& lingua pugnam cieret. Ille tamen vulnus exprobratæ plus ſemel injuſtitiæ fraudiſque, ioco ſcilicet diluens, argute magis quam decore dicteria acuit: &, Sic non manifeſte, inquit, mendax es, moleſte tamen verax. Mitius tutiuſque cenſeres, per Miniſtros altercatum fuiſſe, nec victum Imperatorem niſi in alio.

Quod ſi ad argutiones aut objectiones ex tempore aut natura rei digne reſponderi nequeat; comminiſcendum eſt protinus quippiam, quo implicita aut inſidioſa propoſitio retundatur aut pertranſeatur. Sic Epaminondas Ageſilaum, & alias Calliſtratum Legatum Athenienſium, Dercillidas Lacedæmonius Pyrrhum, multi præterea multos tempeſtiva ſolertia reſponſique vibramine ceu telo perculerunt. Sic quoque Legatum præmunitum eſſe velim, ut ſi inopinum aliquod perceperit reſponſum, non tamquam attonitus aut excordi ſimilis hæreat, ſed habeat quod cum moderata gravitate reponat. Haud ſterilis erit, ſi quid objici & reſponderi poſſit, ſedulo & in anteceſſum perpenderit. Sic quidem paratior erit ſeu verſare dolos ſeu vitare, & ad omnem fabulæ partem: vel

——— *corvos deludet hiantes.*

Huc etiam profuerit, aliorum Principum mandata, reſponſa, relationes notaſſe & examinaſſe. Frequenter enim dicuntur & fiunt

Digitized by Google

eadem per diverſa. Coram vero obſervabit curioſus Orator, quo geſtu reſponderit ſuaque expoſuerit Princeps. Et his rurſus affectuum indicibus ſic fidat, ut meminerit, non ſolum verbis inſidias ineſſe, ſed frontem facillime mentiri. Inde Ariſtoteles ait: Eorum quæ ſunt, quædam ſunt, nec tamen apparent; quædam etiam apparent, cum tamen non ſint. Ideoque non omni reſponſo adhibenda eſt fides; multo minus adferenda vel indenda eſt ſuis. Id agendum, ut quidquid acceperit Legatus reſponſi, dignum eſſe fide contendat. Credulum eſſe, levitatis ſignum eſt; alios facere, plus damni habet. Benigno Phormionis reſponſo Legati Chalcidenſes calamitate cives ſuos involuerunt, dum hi ſecuriores eſſe juſſi, remiſſa urbis cuſtodia, inexſpectatam vim ſuſtinere non potuerunt. Pariter fallaci reſponſo Iugurthæ, Legati Romani Africa exceſſerunt, copiaſque ſolverunt: ſed quid, niſi ut acrius bellum ille renovaret? Ita & Legati ab Eugenio miſſi ad Theodoſium, comitate reſponſi aliiſque velamentis ſubdolæ humanitatis decepti ſunt. Nam ut illi abſceſſerant, illuſo Eugenio luctuoſum bellum Theodoſius intulit.

Reſponſum minax ſuperbumve neutiquam ſe renuntiaturum, conſtanti animo profiteri Legatus debet. Recte igitur ille, qui à Rege

Scotiæ

Scotiæ miſſus, ut bellum Anglo nuntiaret, poſtquam Fecialem egerat, aures atrociori reſponſo clauſit, teſtatus ſe referre nolle, quod audire non ſuſtineret. Paucis verbis magnum animum promens, Mandatum, inquit, non ab alio Principe me ſuſcipere aut exequi par eſt, quam ab eo qui me miſit; meque jure ſubditum, munere clientem habet.

Solvi hic debet, multorum diſquiſitione agitata, nec ſcitu inutilis, quæſtio vetus & nova; Anne Legatus iter ad ſuos remetiens, non reſponſum modo, ſed inſuper mandata illius quem adiit perferenda licite accipiat? Ab inimicis aut injuriis non poſſe, certum eſt. Ideoque M. Tullius in Legatos ad Antonium miſſos inſurgit, quod ejus qui Senatui parere dedignatus fuiſſet, mandata ad Senatum ſuſcepiſſent. Ab amicis vero non ingrata nec infeſta mandata, ſi data fuerint, cur nequeant deferri? Hac familiaritate atque fiducia uſus eſt Latinus:

Vos contra Regi mea nunc Mandata referte:
Eſt mihi nata. &c.

Verum & mandata quæcumque ſuper communi negotio, quod fieri non minus interſit accipientis illa quam dantis, ferre referre fas ſit. Ideo Cæſar L. Cæſarem & Roſcium prætorem, idoneos nactus homines per quos ea quæ vellet ad Pompejum perferrentur, petit ab utroque, ut quoniam Pompeii man-

data ad eum detulerint, non graventur ſua quoque ad eum poſtulata deferre.

Quod ſupereſt; interdum Legato fortunæ inferioris, loco reſponſi, litteræ traduntur, indices ſententiæ noſtræ atque benevolentiæ. Illi pariter, de cujus fide, prudentia, vel memoria dubitamus, rectius ſcribimus reſponſum quam dicimus. Verum enimvero, cum validiora ſunt quæ communicant Imperia, reſque quæ communicantur majoris momenti; Legatio Legationem ſubſequi ac velut compenſare ſolet. Id enim utriuſque Principis dignitatem inprimis ſpectat; potiſſimum vero ejus, cujus Legatio Legatione cenſetur digna. Viva deinde voce exactius ſingula certiuſque pertactantur. ut ſileam, ipſas negotiorum curarumque communicationes, mittentis impenſas, honoriſque & obſervantiæ delationes, parum imo perperam æſtimari, ſi breve dumtaxat ac leve iiſdem epiſtolium reponatur. Quapropter Senatus Populuſque Romanus Porſenæ Legatos miſit, cum tamen Legatis Regis eadem reſpondiſſet. Et cum Syphax Legatione Romanam amicitiam petiiſſet; Senatus non benigne ſolum reſpondit, ſed & ipſe Legatos cum donis ad Regem miſit L. Genutium, P. Petellium, P. Popilium. Theodibaldus Rex Francorum, cum Legatis Iuſtiniani reſponſum dediſſet; affirmavit ta-

vit tamen, ſe propediem de illo ipſo negatio Legatos Conſtantinopolim miſſurum. Ptolomæus Philopator pacem per Legatos petenti Antiocho, non ſolum conceſſit, ſed & Soſibium Legatis ejus redeuntibus comitem adjunxit, per quos ſententiam mentemque ſuam edoceret. Theodahadus Petro Legato Iuſtiniani redeunti Conſtantinopolim addidit ſuum. Quid? Diſſenſione orta inter Græcos & Gallos, cum Irene Imperatrix Leonem Spartarium Legatum ad Carolum Magnum ſuper pace ſancienda miſiſſet; viciſſim in hoc ipſum ablegati ſunt ad illam Ieſſe Epiſcopus Ambianenſis & Helingaudus Comes. Tum hic ipſe Carolus, dimiſſo Arſapio Legato Nicephori Imperatoris quocum pax coierat, ejuſdem ſanciendæ gratia Legationem ſuam Conſtantinopolim deſtinavit; cujus Principes erant, Haidus Epiſcopus Baſſenſis, & Hugo Comes Ruronicus. Sed modus tandem ſit: omnia ſi adferam, ſola librum Reſponſa impleant.

DISSERT. XL.

Conſilia.

ETiam à Legato Conſilia ſunt, cum functionis ſuæ tempore munus hoc ſuſtineat deliberandi ac ſuggerendi, quæ ad ſtatum publicum ac ſummam rerum

Digitized by Google

ſpectant. Munus profecto eximium & ſanctum: quemadmodum ille eſſe debet qui munus adminiſtrat eximius & ſanctus. Fons purus ſit; & quem educes laticem, purus quoque erit: pectus fidum & ſincerum ſit; ſimile quoque conſilium prometur. Prodeſſe etiam quam placere malit Legatus; imo offendere, quam, cum poſſit, non prodeſſe. Sæpe quod ſanum eſt, palato Principis minus adlubeſcit, cum ſoli opinioni & cupiditati, non prudentiæ locus eſt. Ita ſe res habet: Quod cupiditati placet, temporaneum eſt; quod ratione ſuſcipitur, perpetuo probatur. eaque demum vera atque ſtabilis eſt conſilii gratia, quæ honeſti nititur radicibus, atque ab judicio incorrupto eſt profecta. Fallacia autem ſimulque ſuboluit, etiam in benemeritis odium parit. Porro quod ſimulatum eſt, violentum eſt: diu latere nequit: erumpat neceſſe eſt. Id ubi acciderit, evaneſcit omnis ille apparens gratiæ & gloriæ fucus & fumus. Aliud longe eſt judicium in iis quæ ratione promeruimus. In nocivis quoque ac turpibus qui obſtiterunt, plus referunt benevolentiæ, quam qui obſecundarunt. Rerum vero quæ nequiter ſuadentur exitus facit, ut diu doleamus quod ad breve tempus oblectavit, & execremur etiam eos qui turpis negotii fuere auctores. An addo? judicia animoſque gerimus uti corpora, quæ offen-

offenſionem omnem averſantur. Ceterum velut ægri pharmaca, tametſi ſalutaria, rejiciunt ſæpe, earumque rerum dulcedine capiuntur quæ ſaluti obſunt; ſic multi affectuum morbis obcæcati, veritatis acrimoniam non ſuſtinent, monitionis amarum pharmacum reſpuunt, aſſentatione autem & elaborata concinnitate mendacii ſeducuntur, ſubruuntur, ex inſanis tandem inſanabiles.

Verum enimvero, quia Principes aliis ægerrime cedunt (ne ceſſiſſe quidem videri poſſunt) conſilia & hortamenta non arroganter neque faſtuoſe obtrudet Legatus; quaſi videretur cenſuram innuere, prudentia Principem deſtitui, ſe vero abundare, aut quaſi dormitans ille vellicandus foret & excitandus pulſu tam humilis campanæ. Scripturæ Sacræ opportunum dogma eſt: *Penes Regem noli velle videri Sapiens.* Non quod res laudabilis vel expetenda ſit deſipientia, ſed quia odere Principes eos, qui ſupra ſe ſapiunt, & infra privatæ modulum prudentiæ diadematis majeſtatem collocant. Narrant de Rege quodam Caſtellæ, cum litteras ad Pontificem miſſurus eſſet, ac pietatis officium elegantia vellet commendare, cuidam Magnatum ſuorum, viro gravi & erudito, injunxiſſe, ut exemplar unum formaret, ſe alterum compoſiturum: illud vero mittendum fore quod pulchriùs foret. Paruit ille,

Digitized by Google

quamvis illibens, ſtilumque impendit. Poſtridie itaque juſſus ſcriptionis ſucceſſum proferre, ſero intellexit, non ſemper utile eſſe, pulchre ſcribere. Etenim, velut antagoniſtæ præcellentia animadverſa, conatus ſui ſpecimen oſtendere Rex renuit. Abſceſſit domum, felix dicam an infelix ſcriptor? & mox equum conſcendens, atque ad familiam converſus; Non hoc in Regno eſt quod amplius habitemus aut ſperemus Liberi, ait, ubi Rex fatetur, me ſibi ſapientia præſtare. Næ, Homerus meus fingit Ægyptium Proteum non adeo in varias formas ſe tranſmutaſſe, ut vultu aut imagine alius & alius eſſet; ſed magis, ut ſapientiam conſiliumque nunc promendum, nunc condendum eſſe, docta mythologia doceret.

Sed quod ad Principes attinet, per Legatos olim invicem dare conſilia & accipere ſoliti erant. Priuſquam Templariorum luxui & avaritiæ obviam iretur, Legationes toto orbe coiere. Michael Imperator Conſtantinopolitanus, per Legationem quæ Rhotomagi audita eſt, conſuluit Ludovicum Imperatorem Occidentis & Regem Galliæ, quid ſuper ſacris imaginibus ſe facere æquum cenſeret. Ut antiquiora repetam; Hiero Siciliæ Rex, Annibale Italiam infeſtante, per Legatos miſit conſilium, ut Prætor claſſe in Africam trajiceret, bellumque

lumque in hoſtili ſolo gerens patrios lares tutaretur. Cremato cœtu Pythagoreorum, ortiſque eam ob rem ubique cædibus atque ſeditionibus, ex omni Græcia convenerunt Legati in illam quæ Magna vocatur, ut ſalubre conſilium expediretur, quo publica compeſci ærumna poſſet. Etiam hodie creber uſus eſt, nec infrequens utilitas, per Legationes mutuo conſulendi.

Prudentiſſimum haberi ſcio, nec minus felicem eſſe, qui ex ſeſe optima ſeligere & ſequi doctus, proprio non alieno conſilio, rebus, ſufficit, perſpicaciaque recti judicii profutura juxta obfuturaque proſpicit: hæc quidem, ut tempeſtive depellat; illa, ut amplectatur. Quid tamen eſt? Homines ſumus, & quia non ubique lyncei atque perſpicaces, alieno interdum lumine indigemus. Omnino tamquam lamiæ ſumus, quæ oculos exemptiles habent, domi in pixide, foris in capite: unde ſi prodeant, cernunt omnia; cum apud ſe ſunt, nihil. Legatus etiam ubi maxime fortaſſis ſe videre putat, cæcus eſt; & ſive affectu, ſive opinione caligat. Audiat ſuos interdum, cum ſibi fidit: non ſuos, ſiquid aliunde prudenter ſolerterque ſuggeritur. Domi foriſque bonum naſci conſilium poteſt: & aliquando alieno in fundo inveniuntur herbæ, quarũ in noſtro ſterilitas eſt. Legati Bocchi nonne ab Sylla edocti ſunt, quo-

Digitized by Google

quomodo apud Marium, item apud Senatum commodius verba facerent? In modo autem petendi conſilii induſtria adhibenda eſt, ne hoc ipſo revelentur ea quæ exequenda ſunt. & in modo admittendi, ea quoque cautione opus, ne dum aliorum ſequitur Legatus judicium, ſuum fraudet. Non enim ſunt in conſilium adhibendi, præſertim re deliberata, quorum tanta eſt auctoritas, ut quidquid ſuaſerint facto opus ſit.

Malum eſt conſilium quod mutari non poteſt. Quod ſi ipſe qui aditur Princeps, conſilium ab Legato expetierit; ita obſequi ille videatur, ne Domini ſui commodis aut mandatis & Legationi obſit. Quid? eam moderationem benignitatemque adhibebit, ut nulla vel curioſitas vel calliditas appareat, ſed potius officioſi ac benevoli ſe viri affectus prodat. Viciſſim is qui tale audiet Princeps conſilium, id ſuſpectum habebit; memor, ea quæ à non ſuis proficiſcuntur, ſimulatione neutiquam carere. Ceterum quam conſilia Principi ſint neceſſaria, Diſcurſu *Principatus firmati* aſtruo.

Quomodo autem cauto fortique conſilio ſors cedat, & quiquid humanum eſt; queis ſtratagematis, ingeniique & virtutis agitatione ad ſpem erectionemque Novorum Principatuum olim validioribus animis patuerit aditus, etiamnum pateat; & quomodo

ſemel

Digitized by Google

ſemel ſtabilita Regna, non tam aſtrorum revolutione, quam hominum inertia domi militiæque in præceps nihilumque dilabantur; ſolidioribus demonſtrationibus diſcutit, melioribus etiam horis ſcriptus, Tractatus, quo CONSILIA ET CONATVS ILLVSTRIVM omni ævo produxi.

DISSERT. XLI.

Officium epiſtolare.

FEcundæ Legatorum curæ ſunt. Quædam ore & ſermone, quædam miniſterio litterarum tractari ſolent. Magnum hoc quidem ingenii munus eſt, quo ſuam quiſque mentem abſentibus aperire potis eſt; ſive quid indicandum ſive reſpondendum. Ut autem abſque tædio ſcribat Legatus, libenterque faciat quod adeo frequenter & ſerio faciendum erit; cogitet non exiguam laudem hac induſtria contineri: cogitet nihil hic calamum linguæ cedere: denique cogitet, ſe velut exulem & extorrem eſſe, certe ab amicis, propinquis, affinibus remotum: ſe ommibus, omnes ſibi quodammodo reddi & adeſſe, ſi per epiſtolam loquatur. Quid enim eſt Epiſtola? ſermo animi, fida mentis interpres, muta loquela, imago vocis, nativo orationis colore expreſſa. Modus ejus ſine vilitate facilis ſit, ſine cura accuratus; fami-

familiari colloquio proximus ; atque ita haud ſimilis Notariorum formulis, non etiam laciniofus aut luxurians, minime vero amphibologicus, aut vano verborum faſtu turgens. Nec tamen hic præcepta ſuggerenda ſunt, ubi exercitatio promptum uſum faciet. Hoc agendum in primis, ut & argumento quod ſcribitur, & ingenio ejus ad quem ſcribitur, epiſtola apta ſit. Malus cerdo eſt, qui parvo pedi magnum calceum obducit: nec minus moleſtus ille, qui magnum pedem calceo conſtringit arctiore. Viro curiali quis trivialem tunicam, ruſtico quis regiam aſſuat aut induat? Solent hic aliqui, argumenta ne intricentur aut confundantur, potiora articulatim in claſſes diſtinguere. Alii litteras ſuas non ſolum periodis dividunt, ſed ſingulorum negotiorum ſeparata faciunt epiſtolia.

Legatorum litteræ quoniam ad Principes, ad magnos & magnis variiſque negotiis implicitos deſtinantur, vana ac ſuperflua narratione extendendæ non ſunt. A Legatis ſcribuntur, & hoc ſatis eſt, ut ſuam calamus legem accipiat, & à garrulitate removeatur. Ne quis autem verboſam nimio papyrum obtrudat, ſed brevis eſſe velut cogatur, ævi noſtri conſuetudo eſt, ut una pagella abraſæ chartæ epiſtolia abſolvantur. Perperam igitur ad levia hic deſcendatur, aut

ad

Digitized by Google

ad iſtiuſmodi, quæ libris infarciendis, hominibus otioſis & curioſis oblectandis potius idonea ſunt, quam relationi Legationis. Hæc enim legentem ac inveſtigantem magis occupent, quam erudiant. Futilium quippe ignoratio ac pertranſitio, non ſolum Principi nihil damni, ſed plurimum etiam commodi adfert; illud inprimis, quod tempus ejuſmodi nugis impenſum, utilius alubi poterit collocari. Itaque ſi quod monſtrum mulier aut mare peperit, ceteris aulicis inter alia oblectamenta atque obſequia ſcribi poteſt. Ideoque nec ſuo olim nomine, nec munere bene audiit inverſus quidam Apuleius, qui ſupra ſe ornatus & oneratus Legatione, cum ſibi injunctum intelligeret rerum omnium relationem Regi perſcribere; ne incurius videretur, quæcumque vel in triviis obſervarat, ſcriptiunculis ſuis ſcrupuloſe minutimque inſerebat. Quia autem Principes negotia & conſilia ſua per Miniſtros ineunt & exequuntur; recte faciet Legatus, ſi hiſce, Secretariis item Status, ipſiſque Conciliis ſanctioribus quædam uberius explicarit: ut ille velut interpretes ſint, imo vivæ & ſecundæ velut epiſtolæ. Hac quidem ſedulitate, etiam ſingulis ſagacitas ſcribentis induſtriaque innoteſcet, atque ad majora probabitur. Neque ideo ſegnior in ſcribendo Legatus erit, quia protinus non reſpon-

Digitized by Google

reſpondebitur. forte enim tempus aut materies defuit. Evenit tamen & alteri Legato, (qui toto anno ſic deligens fuerat, ut quoquo octiduo attente & diſtincte exararet quidquid occurreret) non aliud reſpondiſſe Principem, quam, Recepi litteras tuas. Gratum eſt, te bene valere: atque ita valeas. Non omiſeris nuntiare quid rerum agatur. Sed Legatorum quiſque, hujuſmodi brevitate, litteris ſuis reſponderi vereatur, velut prolixa exprobratione ingrati atque inutilis obſequii, quinimo manifeſtatione diffidentiæ.

Cavebit Legatus, ne rumores novos, continuo obtrudi ſolitos, niſi re explorata, ſpargat. Si enim quæ ab aliis perceperit, falſa ſunt, exiſtimatio ejus periclitabitur; ſi vera, haud multum augebitur. Eapropter ut neque inani ſuſpicione vel formidine, ſic neque amplis ſponſionibus Principem implebit. Quo encomio dignum duxerimus eum, qui veriſimili commento ipſe illuſus, actutum ſuis nuntiabat, Regis Catholici militem magna ſtrage fuiſſe fuſum, provinciam Dominum excuſſiſſe: eoque hæretico Romanenſes ſcommate applaudens exagitabat; cum tamen eventus fallaci fide non ſolum minor eſſet, ſed præterea Princeps ejus diverſam expertus mox luxerit fortem. Experientia quidem conſtat, ea quæ populari indies murmure circumferuntur, plerum-

que

Digitized by Google

que aut vana, aut vero minora eſſe. Forte quia quæcumque incognita habent, majora ſibi animo fingunt homines, quam ſint: fallaciumque ſenſuum & affectuum dictamine ſæpius trahuntur, quam ſcientiæ. Nimirum ut convallium jocoſa imago Echo, voces geminat; ſic vulgus viſa & audita. Et errore veriſimilitudinis, frequenter rumor circumfertur pro re. Unde qui facile credit, & levitatis incurrit notam, & cito decipitur. Quod ſi igitur ambigua ſunt, ſtupenda, periculoſa quæ narrantur (quemadmodum nonnumquam diales adferuntur Gazettæ) fidem ad auctorem Legatus rejiciat, nominandum litteris quæ ad Principem ſcribuntur; ut aliter rebus ſuccedentibus aut deprehenſis, extra culpam ipſus ſit, qui licet mendacium dixerit, mentitus tamen non eſt.

Præterea in indice ſui obſequii malit eſſe verborum quam rerum parcus: quinimo rebus ipſis ea demonſtret ac probet, quæ tacet. ſic quæ non dicet, dicent omnes. Nec tamen difficultates quæ ſubnaſcentur, extenuabit: exaggerabit potius; ut ſi votis eventus par extiterit, gratiæ & laudis pateat plurimum: ſi ſpem fefellerit fortior caſus, veniæ locus ſit. Solent Medici etiam leviora ſymptomata in gravius extollere, quo remedia ſua commendent, ſi æger convaluerit: ſi pe-

ſi pereat, mors morbi violentiæ imputetur. In abruptis atque operoſis laus eſt ingens non labenti, nonnulla etiam labenti. ſed ſi quis in planis tutiſque ceſpitat aut vacillat, contemptui proximus, obnoxius eſt. Alioqui diligens in ſcribendis litteris ſit Legatus, ne videatur in negotio Principis ſui tepidus vel incurius obdormiſcere, neve ejuſdem animus ſuſpendatur exſpectatione notabilium ac novarum rerum. Partim ſuo, partim alieno Principi eventus notabiliores indicabit: ſuo, quos in provincia quam adiit obſervabit aut aliunde accipiet; alieno, quæ in patria geruntur ac fiunt. Etenim præveniri ab alio, utrobique turpe eſt, nec ab inertia remotum. Contingat tamen, Regem non per Legatum ſuum qui eo deſtinatus eſt, ſecreta alienæ provinciæ Regnive primum intelligere, ſed vel per alios, etiam in alio Regno conſtitutos, vel per Legatum alibi exiſtentem, ubi ejuſmodi ſecreta ut prius communicata, ita negligentius habita ſunt, præſertim ſi expediat ea publice & ubique non neſciri. Exempli gratia: Contingat, Regem Catholicum, negotiorum ac ſecretorum Britannicorum, prius per Legatum qui apud Gallos agit, quam per eum qui apud ipſos Britannos, certiorem fieri, & è converſo. Sed eo Legatus judicio præditus erit, ut cum eventuum omnium ipſe con-

ſe con-

ſe conſcius exiſtet, alieno quidem Principi non niſi proſperiores, aut certe indifferentes narret; ſed hactenus, ut neque periculo neque probro, ei à quo miſſus eſt, cedere queant. ſi quid enim domi triſte acciderit, alios, velut in ſcius, celabit. Suo autem Principi ea ipſa quæ adverſa evenerint, ſcribat protinus, ut tempeſtivam curam medelamque admittant: tum qui hoſtiles machinationes ſiſti aut turbari poſſint, indicet: nec minus, unde aliquid incommodi accipere aut incurrere queat Princeps aut Provincia ad quem & in quam miſſus eſt; ut hiſce majora ſperari ac tentari valeant.

Incumbit autem Legato, cum ceteris ſui Principis Legatis alibi reſidentibus, litterarum officio communicare; tum nequid omnino lateat aut male cohæreat, tum ne eadem nuntientur aut fiant non eodem modo: quod turpe foret, dolo aut culpæ ſatis affine. Curabit porro Legatus, ut ubique, qua dabitur, locorum, amicos habeat, qui ſedulo & accurate explorent, fideliterque ei ſuggerant, nuntient ac renuntient ſingula. Et quamvis non levem hinc ſcriptionum & obſequiorum ſarcinam ſibi impoſiturus ſit, creſcente quoque muneris ſumptu; vix aliter tamen magis decore aut majori fœnore ſedulus aut promus erit. Hinc intelligere fas erit, ſi quid majoris forte moliminis

ille

ille apud quem Legatio hæret, machinetur, vel apud illum ipſum alius aliquis Princeps, præſertim quod frequenti emiſſione curſorum & communione plurium agi debeat. Nam ægre quid magni fit, ſine motu item magno. Rex Catholicus Philippus II. mirabatur, ſe impetrare non poſſe, ut viginti quæpiam hominum millia ex una in aliam provinciam tranſferrentur, quin omnibus innoteſceret, quo perrecturi eſſent, & illi qui ducerent, & qui ducerentur.

Sed quoniam quæ ſcripta mittuntur, poteſtatem noſtram egrediuntur; alteriuſque ſub arbitrio, irrevocabilia & velut æterna manent; cura hic & attentione maxima utendum eſt, ne quid levius aut præcipitantius fiat. Scio enim; è confuſione aliqua inimicitias imo cædes natas eſſe, dum ad plures diverſis provinciis degentes, eodem temporis articulo ſcriptæ & conſignatæ epiſtolæ, errore ac feſtinatione amanuenſis, aliæ aliis quam oportuit inſcriberentur; & graves eſſent, eo etiam implacabiliore offenſa, quia tarde reſcivere qui ſic inſcii offenderant. Exemplum non profero, ne noceat. Sed refert in Monitis ſuis Vannoſſius, miſſas à Nuntio quodam Apoſtolico Romam epiſtolas duas, quarum una ad Nepotem Pontificis Innocentii IX. eleganter ſcripta, Congratulationem effuſiſſimam continebat;

altera

altera Conſolationem ad eum, quem indigne, infauſte, factioſe à promerito Sacræ Tiaræ Sanctæque Sedis honore excluſum eſſe lugebat. Sed quid? mixtione faſciculorum & inſcriptionum eveniſſe, ut quæque in contrarias manus lata ſit, & gratiam utrobique in ram commutarit.

Secretorum omnium aliquem præfectum, ſicque Imperii & conſiliorum velut arbitrum conſtituere, ut ſolemne Principibus; ita nihilominus periculoſum eſt. Non enim apud hos fatale, ut in optimum quemque cadat dignitas ſupremæ proxima, ſed ambitio errorque protrudit evehitque ſæpicule minus idoneos. Præſtabit itaque, Principem ſuiſmet oculis litteras Legati, præſertim apud inimicos degentis, primum inſpicere: ne videlicet ſecretorum præfecto integrum ſit, interpoſita parum ſana fide, negotia ipſa inter narrandum torquere, elevare, premere. Quod ſi ſiniſtri quippiam de ejuſmodi præfecti interponenda fraude Legatus reſcierit; quis medelæ, quis Regem commonendi locus, cum non niſi interventu præfecti ad Regem litteræ & nuntia deferrentur? Periculoſum quoque ſit, Legatum id aliis Magnatibus committere, Regem ut edoceant de præfecti ſcelere. ea ſiquidem criminatio non ſegnius ad præfectum, quam ad Regem perveniat: nec levis videatur accuſationis

provincia; in qua neceſſum ſit, accuſatorem perire vel reum, & ubi ne veritas quidem convitii ſatis excuſet aut tutetur. Ideoque convenerit, Legatum non minus frequenter Regi, quam ejuſmodi Aulæ præfectis ſcribere. Præterea meminerit Princeps hujuſmodi litteras protinus legere, ita optime occupatus. Dum Cæſar epiſtolium, quo ei exitialis conjuratio indicabatur, inſpicere neglexit ſive diſtulit, parricidarum prius ſenſit vulnera quam voces, qui incautum haud ſegnius trucidarunt, quam adorti ſunt.

Cum vero ſuas ad Principem litteras ſcripſit Legatus; nullius auctoritate fiat, ut Curſor retardetur. Quinimo advertendum quoque eſt, ne qui noſtro abiit juſſu & ſumptu, ab alio quopiam mercede conducatur, ſive is in Aula, ſive alubi qua iter eſt, habitarit: unde curſui remora temporis indubie injiciatur. Audio, quemdam ſummi Regis Legatum, qui in proximiore quadam Aula reſidebat, graviter in ipſum Regem peccaſſe, quia curſorem, quem Legatus remotior emiſerat, biduo, ſcriptitandis ſuis rebus, ſtiterat: quo biduo, occaſio rei bene gerendæ periit, & pondus graviſſimi negotii illico merſum fuit. Quod ſi forte eo in loco agat Legatus, ubi tabellarii ordinarii ad manum non ſunt; arripienda erit occaſio tranſeuntium, unde aliquid ſemper littera-

rum

Digitized by Google

rum in promptu ſit, nec gratum hoc officii genus umquam omittatur.

Domeſtici vel aſſeclæ Legati, ipſo inconſulto, nuntia ad Legationem proprie ſpectantia, amicis aut notis ſuis non ſcribant. Contingat alioqui pugnantia ſcribi; & quod non minus turpe, illorum epiſtoliis certiorem fieri Principem vel Aulicos, priuſquam id fiat per Legatum, negligentiæ ſic quidem arguendum. Extitit Legatus, qui famulorum epiſtolas una cum ſuis non deſtinabat, ſed in proximum reſervabat curſorem, diligentiam ſuam hac ratione conatus commendare, ſi tardius eadem ab aliis ſcriberentur. Sed neque aliorum ad Regem ſuum litteras curandas Legatus ſuſcipiet, niſi à ſe prius inſpectas, ne quid fors contineant quod offendat. Neque indignari patiar eum qui deſtinandas tradiderit; cum credere is debeat, Nihil eorum quæ Regi perſcribuntur, Legato celari oportere.

Sed in toto hoc officio epiſtolari ad rem maxime faciet, & ad laudem quoque ſcribentis, ſi hæc litterarum reſponſa, non rebus ſolum præpoſitis quadrent, ſed iiſdem fere verbis dentur, quibus eæ quæ acceptæ ſunt litteræ, conceptæ fuerant, repetitis potioribus (niſi tamen ſimulatio, aliave difficultas, ſententiæ ſyncopen induxerit) argumenti nodis. Nec deſignatio omittatur diei quo

priores litteræ receptæ fuerint, aut præſentes miſſæ. Inſcriptio etiam non ſolum conveniens ſit meritis ejus cui mittuntur litteræ, ſed præterea ejuſce loci moribus in quem mittuntur. Alicubi enim, quantumvis magni momenti atque etiam ab ignoto miſſæ, periculum incurrunt repulſæ, niſi ſat honorifice titulos omnes inſcriptio indicet. Nota fuit olim inter Darium & Alexandrum Magnum auctoritatis & gloriæ aviditas, atque contentio. nam cum ille ſic ſcripſiſſet; Rex Darius Alexandro. hic offenſus, quod in pari dignitate diſparem ille titulum ſibi adſcriberet, reſcripſit; Alexander Rex Dario. ſubjungens; Memineris dum mihi ſcripſeris, non modo me Regem, ſed tuum Regem vocites. Solent profecto nonnulli titulis mirifice intumeſcere: an eapropter majores, meliores? Coſroes dum Imperatori Iuſtiniano ſcriberet, his epithetis ſibi ipſe adulatus eſt: Coſroes divinus, bonus, Dominus tranquillitatis, ſummus Princeps, Rex Regum, pius, benefactor, gigas gigantum, formatus ad imaginem Deorum. Fertur de Marchione quodam, quod dum nomen ſuum per antonomaſiam innoteſcere vellet, ac Marchioni cuidam ſcripſiſſet, ſubſcripto dumtaxat vocabulo Marchionis: tum etiam hunc ſuis litteris ſubſcripſiſſe; Alter Marchio. Sed ejuſmodi compellationum ampullis

pullis non intumuerunt neque colliſi ſunt Romani, patres illi modeſtiæ, qui rebus ipſis quam earum nominibus præcellere & ſeſe præſtare maluerunt.

An monere & hoc debeam, neſcio, & tamen moneo, ut Epiſtolarum, ſi momenti alicujus fuerint, mittendarum exemplaria penes Legatum maneant. Non profectò inutilis hic labor, præſertim ſi vel interceptæ ſint vel amiſſæ: ſed ſcribi rurſus ac mitti poterunt, nec ulla in repetitione deprehendetur contrarietas. In commentarium ſive regeſtum ſingula referantur, diſtincta ſerie temporum atque locorum. Et hoc ceu archivum Legatus nonnumquam ſcrutetur ac percurrat, quo ſeſe negotiorum memorem reddat, ſimulque ſcriptores & amanuenſes ſedulos & accuratos. Ex hac litterarum penu, generalis poſtmodum Relatio Legationis commodiſſime conficietur. Deinde autographa ſecretarum litterarum quas ab aliis receperit Legatus, ſecretiſſimo ſcrinio, nec una tantum clave, ſed tamquam muneris arcana, cuſtodiat: promptum erit exemplar, ſi dari aliis vel mitti alio debeant: & ab ipſo prototypo veritas ſubſidium habebit, ſi vel errore confunditur, vel inficiatione aut dolo cujuſpiam oppugnatur. Exemplaria litterarum quas ab externo Principe Regi ſuo miſſas ſciet, nanciſci quoque non negligat; & cum

cum acceperit, peculiari capſa cum iis quæ neutiquam aliena manu exarari queant, recludat. Siquid vero ejuſmodi ſit, quod quamdiu ſervatur, cum periculo conjunctum eſt; cave, ſatis putes, lacerare, & projectis ſchedis miſcere. non perit quod ſic perit. Inveniuntur homines qui & chartarum fragmina ſcrutantur, qui arcana humi & inter ſordes quærunt, in menſis auro & argento ſtratis præmia inventuri. Ignis fidem nemo accuſet: flammis trade, quidquid eſſe voles tamquam non fuiſſet: Vulcano crede, ſolus inter deos fidus eſt. Ita nuper quemdam Legatum, cum apud hoſtes morti proximus laboraret, prudenter feciſſe, mihi relatum eſt. Mori arcana omnia voluit, priuſquam ipſe moreretur: litterarum rogo funus ſtruxit. Sic Bruxellæ cum palatium Legati longe Illuſtriſſimi incendio flagraret, nec thecam quidem (in qua litteræ & inſtructiones Regiæ, multarumque Legationum, reconditæ latebant) eripere poſſent famuli, flammis undique lambentibus & ſurgentibus impediti; noluit fortiſſimo pectore Heros, è conſpectu ardentis capſæ, ne periculo quidem ſeſe ſubducere, donec eam in cinerem redigi, præſentibus oculis conſpexiſſet. Cetera quæ rara admodum ac pretioſa inibi omnia peribant, tam facile neglexit, ut prorſus oſtenderet, ſe cæleſti præditum animo,

mo, nullo ea loco habuiſſe: illuſtrior ſic abſumptis & amiſſis, quam poſſeſſis. Hoc igitur erat, ex incendio omnia ſua ſecum efferre, vacuum & ſola toga tectum ire. Putares, violentiſſimum elementum, heroica ſed incredibili conſtantia, calcari, & cedere.

De Legatorum epiſtoliis ſic quidem quod ſatis eſt. Quamvis autem harum ſcriptionum ars & modus, communiter ad Secretarios quos vocant, referri ſoleat, non poterit tamen ad curam Legatorum (qui plerumque ſuorum negotiorum Secretarii eſſe debent) hæc notitia non pertinere, niſi ipſus Mercurius ab eorum munere alienus ſit. Quod igitur ad domeſticos famuloſque attinet, horum manu verius obſequii & ornamenti ergo utuntur Legati in levibus ac minutis, quam conſilii auxiliive in ſeriis, quæ non niſi unius Atlantis humeris tuto incumbant. Gravis profecto quoſdam ætatis noſtræ Principes error tenet, qui adoleſcentes è ſcholarum pulvere, & vix antea cognitos, ſcribendis aut exſcribendis epiſtolis aſſumunt. Virorum hoc munus eſt, ſed diſertorum, & qui prudentia, doctrina, uſu rerum maturuerunt. Paucis hæc recte ſcribendi laus, pectoriſque calamique felicitas obtigit. Et demus aliquem longo ſcribendi labore exercitatum eſſe: meo tamen conſilio, nullius umquam oculis manibuſve

rem magnam credet Legatus. At grave dixeris, unum hominem tot tantorumque plauſtra negotiorum ferre, propriis omnia manibus exarare. Dico, leve. nec enim grandia illa quibus publica volvitur aut ſubſiſtit incolumitas, aut nimia eſſe poſſunt aut gravia Legato; cui etiam ipſa cum moleſtia ut honoris campus aperitur, ſic & delectatio cumulatur.

DISSERT. XLII.

Occulte ſcripta.

INterdum epiſtolæ locus non eſt, niſi occulta & ingenioſa ſcribendi ratione ſermonem tegas. Etenim ſi quando ſuper negotio operoſiore, ſive conſulendus eſt Princeps, ſive monendus, ſcribet Legatus tamquam non ſcribat, & mentem ſuam quæſitis obnubilatiſque characteribus aperiet. Variæ ejuſmodi litterarum latebræ ſunt, etiam olim uſurpatæ, quibus ſignantur verius res quam ſcribuntur: quaſi lituras non litteras videas, aſt notas, litterarum ſchemate & vi diſtinctas & affectas. Id omnino agitur, ut arcana infortunio aliquo vel incuria neglecta, vel aſtu deprehenſa, arcana ſint, tutoque involucro lateant etiam in publico. Quæ res ut pulchra, ingenioſa, utilis; ita non ſine periculo interdum fuit. Senator Venetus ſeve-

Digitized by Google

ſeverum ceu ſacrilegæ curioſitatis iudicium ſubiit, poſtquam invidendas à tenui ſorte opes nanciſci quam tegere peritior, innocuæ alioquin humanitatis & caſuum nuntia ignotis ejuſmodi ſcriptiunculis peregre indicare & recipere deprehenſus fuit. Scimus etiam, clandeſtinas & minime obvias litteras à ſuſpicaci Solimanno interceptas, capitalem criminationem in Rozelum, Imperatoris Maximiliani Fecialem, concitaſſe. Sed barbarus ille ſæviendi modus non niſi à Barbaris metuendus eſt. Apud hos tamen ſcabroſo ſi Legatus mandato hæſerit; etiam occulta hac ſcribendi forma, majoris ponderis ac periculi negotia epiſtolarumque exemplaria domi annotet: ut ea quidem ipſe, & ſecretorum conſcius Princeps legere atque intelligere queat, alii nequeant; ſi quid Legato inhumanius vel humanitus eveniat, vel Legationis ſacraria forte profanata ſint, atque interceptus ſit exemplariorum codex.

Legatus itaque ſic litteris ſuis fidet, quaſi numquam ſat ſecuris. Iam periclitari incipit, quiſquis exiſtimat, ſe falli non poſſe, aut ſua non poſſe revelari. Mille nocendi artes & impoſturæ ſunt. Litteræ dexterrime & auctorem & argumentum mentitæ, ingenii flagitio ſupponi interdum ſolent, ſigno adulterato, mandato corrupto. Et tamen ut utiliter hæc fiant, in ſtratagematis & honeſti

nomen veniunt. Inventus fuit, qui dum alterius latenter ſcribendi formam calleret, jamque tabellarium pecunia corrupiſſet; characteres ſigillumve non rupit, neque litteras, quas perite reſerare rurſumque conſignare didicerat, detinuit; ſed pauculis dumtaxat punctis additis, integrum ſenſum prorſus invertens, hoſtile negotium penitus ſubvertit.

Ut autem ejuſmodi larvata falſitas ſeſe prodat, ſolent illi inter quos hæc ſigna commeant, etiam ſignorum fidem explorare; ut priuſquam quid magni agatur vel admittatur, etiam recte notata, ſuſpecta ſint, niſi miſſa ſimul cernantur, quæ præſcripto ordine & modo mitti convenerat. Ceterum claves & uncos Legatus quoque ad manum habeat queis abdita quæque & hæc pectorum ſcrinia reſeret. Eo quidem humana pertigit induſtria & diſquiſitio, ut propemodum conſtrui, legi atque intelligi poſſit, quidquid ſic ſubdole ſcriptum eſt; quamvis pro verbis nomina, pro animatis inanima, pro rectis obliqua denotentur. Ideoque Principes ne ingenioſiſſimo quidem litteraturæ artificio ſatis fidunt, ſed vel Legatos continuo mittunt, vel peregrina lingua ignotaque grammatica & imagine ſingulas & res & dictiones deſignant. Neque tot figurarum delineamenta & claſſes invenire atque

atque perdiſcere, nimis operoſum videbitur ei, qui quidem vel mediocri induſtria memoriaque prædirus fuerit, & qui apud Indos quoſdam, quadraginta millia characterum eſſe ſciverit; & rem unamquamque, communes etiam ſententias, proprio hic eoque ſimplici indice repræſentari, iiſque ſignis idem nomen eſſe quod rebus ſignatis. Ut vero hæc occultim ſcripta ad eorum manus pertingant ad quos mittuntur, nec unica interceptio vel amiſſio negotium peſſumdet; ſolent eadem per diverſas vias & perſonas tecte transferri. Ægyptiis olim celeberrimus horum ſignorum atque hieroglyphicorum uſus erat: & apud Platonem adeo floruit, ut in ejus Academiam omnino nullus admitteretur, niſi qui mentem ſuam in tabella delineare peritus eſſet. Sic tum rudimenta habebantur politioris doctrinæ, quorum intelligentiſſimus quiſque vix jam ornamenta æſtimat. Enimvero penes ſolos fere Principes & exercituum Duces modus occultim ſua exarandi & velut ænigmatibus obvoluendi, ceu ſynthematis teſſera, reſidet: reſideatque conſultius eſt. Qui tuto uſurpari modus poſſit, tamen moleſtiam quaſi nullam habeat, Cl[mi] Erycii Puteani Conſiliarii atque Hiſtorici Regii, Doctoris quondam mei, Cryptographia egregie exprimit. Quam vero harum in ſcribendo late-

 late-

Digitized by Google

latebrarum uſus illuſtribus moliminibus rerumque ſummæ pernecеſſarius ſit, exemplis confirmarem, ni ſingula referendo, Lectorem non minus quam calamum laſſarem. Nonnulla huc ſcripſit Dn. I. A. de Vera y Zuniga, vir acri judicio, Legationum intelligens, ſi quis alius.

DISSERT. XLIII.

Novacula & Spongia Calumniæ.

VIrtutis magnæ fatum eſt, calumniis, invidia, obloquiis peti. Magnæ item virtutis ars & opus eſt, id genus dæmoniorum ſuſtinendo, bene agendo ſuperare, ſic velut ejurare. *Calumnia*, ſcribit Sacer textus, *conturbat Sapientem.* & divinus Vates: *Redime me à calumniis hominum; ut cuſtodiam madata tua*, nempe, *venenum aſpidum ſub labiis eorum.* & rurſum: *Dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Nec procul ab hac voce Spartanus, qui interrogatus, ſatiſne acutus eſſet gladius; Acutior, inquit, Calumnia. Hodiernus ſane obtinuit mos, ut omnes Scriptores graſſanti huic belluæ occurrant prolixis præfationibus, veniam deprecantes priuſquam admiſerint culpam. Chriſtiani veteres inimicum hominis, monſtrum illud ab Inferis, Græca voce *Diabolum*, id eſt, *Calumniatorem*,

rem, proprie dixerunt. Enimvero per calumniam violatur demiturque homini nobilis illa gemma, quæ vita ipſa honoratiſſimo cuique jure charior eſt. Ea quippe ſemel poni omnino debet, nec diu conceditur. Fama nobis etiam intereuntibus ſupermanet; dumque calcatur ſæpius fit ſaucia, & in ſingulis quidem auditoribus novo vulnere & leto. Ipſa quoque (pro dolor!) probitas, virtus, induſtria ſiſtitur ad calumniatorium hoc tribunal Reus autem qui ſæpiſſime ignarus & abſens eſt, qui vitet quod nec videt?

Verumtamen ambigas, Meliuſne ſuperet calumniam Legatus, ſpernendo an obſiſtendo? Sunt qui conſultius fore autumant ſurda aure pertranſire levium rabularum chorum, ut

——— *ſecum petulans amentia certet.*

Nempe cum gravior ſit Legatus, quam ut tam futili cura ſtringatur; meminerit Regum eſſe, & eorum qui ſub Rege regunt, benefacere & male audire: citiuſque eum placere omnibus, qui non curat omnibus placere. Fruſtra ab omnibus ſuffragia exquires, pacemve quam mundus dare non poteſt. Quinimo ſic uſu & natura comparatum eſt, ut qui indoctis eruditi, malis boni, ſtultis ſapientes haberi volunt, eoſdem eruditis indoctos, ſtultos ſapientibus, malos bonis ut plurimum videri. Quapropter convitia con-

Digitized by Google

temptu non male refutantur. his iraſci, læſæ conſcientiæ ſignum apparet; in hæc inquirere, puſilli animi. Facit ſe adverſarium, ait Seneca, quiſquis contendit; & ut vincat, par fuit. Quin & ipſis inimicis gravius accidit, contemptu proſterni, quam contentione: ſpreviſſe, viciſſe eſt. Conſultiſſimum autem fuerit, malignæ opinioni virtute velum detrahere, velumque opponere, tum recte adminiſtrati officii conſcientia ſeſe tueri atque oblectare. Ait Orator Princeps: Ut ignis in aquam conjectus continuo extinguitur, ſic falſum crimen in caſtam vitam. Etenim ut rebus lociſque politis ægre ſordium aliquid adhæret, ſic maledicentia ſedem vix figit in innocentia ac vita puriore. quæ trita ſunt & inculta, cœnum tenaciter admittunt. Utinam tam vere quam diſerte! Quam multis enim continentiſſimæ & pæne ſupra hominem vitæ calumnia negotium faceſſit! Itaque magno Oratore cautius magni Regis aſſentator commonebat; Quidlibet in adverſarios eſſe confingendum: quia ut telo corpus, ita ſpiculis linguæ ſauciatur animus; vulneri autem nemo medeatur citra cicatricem. Suſpicio naſcitur hæretque, etiam ubi ſcelus non eſt. Nimirum veritas plerumque in occulto eſt; adeoque valide imperat, imponit Opinio hominibus, qui plerumque non

quæ-

quærunt, an ea quæ referuntur ſint vera, an vana? ſed credunt.

Alius erit, qui canis morſui ejuſdem crine & cute mederi ſatius ducet: quaſi ſi quis reum te conſtituerit, actorem experiri debeat haud ſegnem; non animos, non vires tibi deeſſe ad vindictam. Etenim projectus animus contumeliæ fit opportunus. Sic Romani, quaſi non ſolum injuria verberum, ſed etiam verborum, reprimenda eſſet; Legati eorum quia erant appellati ſuperbius, Corinthum extinctam eſſe voluerunt. Et vero qui Reipublicæ clavum tenent, ſeveritate legum & ſuppliciorum manifeſtum faciant neceſſe eſt, quam non ſint dictis factiſve contemptui aut contumelioſe habendi: ne ſcilicet anima regiminis auctoritas ſolvatur, neque aliter præſidere videantur quam truncus inter ranas. Neque credendum eſt, quod aliud olim præfigurarint veterum in terrorem epitheta, quibus ultores Di, Mavors ultor, Iupiter vindex, Diræ ultrices, Ultio divina, hominibus intonabantur, quam ſimili affectu ferri inferiora Numina, potiſſimum dum læſa. Hinc generoſiſſimos quoſque Principes, dignitatis atque exiſtimationis ſuæ aſſerendæ, atque in convitia ultionis ardor exſtimulat adeo, ut reliqua omnia arma differant aut ponant, ut hæc aggrediantur. Superiori ævo quædam

Sceptra

Sceptra ſcriptis ſubfuiſſe videntur, quorum Principes opima munera & honoraria pependerunt Aretino, non ut bene ſed ne male diceret, nec calami ejus virulentia (quo velut Harpyia ungue ſæviebat) proſcinderentur. At nuper ecquam diſpari decreto Legationes quoquoverſum mitti intelleximus, auctor ut inveſtigaretur cujuſdam futilis libelli, qualem vel ſomnio cujuſque maleferiati hominis cerebrum abortiret! exquiſitum omnium ore, plus orbe uno, quid ſcripti eſſet; quia inquiſitum. Alii Principes ſtupenda quævis typis edi ſinunt, quæ ſæpicule adeo parum veri continent, ut eapropter ne is quæ veriſſime referuntur fides haberi poſſit, & quid omnino credi debeat neſciatur. Calumnias profligandi conſilio Theodoſius, Arcadius & Honorius callidam legem tulerunt: Si quis improbo petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus temporum noſtrorum obtrectator exſtiterit; eum pœna nolumus ſubjugari. quoniam ſi id ex levitate proceſſit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrum prætermitti an exquiri debeant, cenſeamus.

Quod ſi itaque cathedrariorum vel ſcenicorum

corum operoſa maledicentia, Principis honori derogetur; curabit Legatus calumniam purgari per illos quibus id quæſtionis incumbit: ita tamen, ne malum exaggeratione geminetur. Hoc Principi officium Legatus debet, Princeps ſibi. Cujus famam unus impune lædit, ejus auctoritatem plures negligent. Quod ſi autem mucrone ſtili quiſpiam (cui craſſa forte Minerva ingenium ſine judicio, frontem ſine pudore dederit) deſævierit aut inſultet, atque in hunc honoris campum petulci penicilli aratrum duxerit; ſic virulenti animi pus evomens: capiatur qui ſic carpit; proſcribatur qui ſic ſcribit. Et quia illicitum eſt legi aut ſciri quæ ſcribi vetantur, tum ne errores paulatim gliſcanr & committantur etiam alubi quam in charta; liberi iſti libelli publica Ariſtarchorum cenſura edantur ſubinde in lucem luculentiſſimam, nempe Vulcani. quamquam his ipſis flammis(iterum aſſero) rumorem aliquando contingat ſuccendi, ſcripta illuſtrari.

Hujuſmodi impetrare facile quidem Legato erit, quandoquidem inviolabili Regalis perſonæ honori & incolumitati Principes (ita velut Fratres) invicem favere atque opitulari æquum eſt. An addendum? Norunt Principes ad privatam quoque tranquillitatem auctoritatemque ſpectare, non modo nullos in ſeſe mutuo deblaterones

nes parricidaſque exſuſcitare, ſed publicis etiam indignationis & ſeveritatis exemplis manifeſtandum eſſe, quam parum grata, imo quam punienda iis ſint clancularia in ſacra diademata nefandorum hominum molimina. Rex David eum qui Saulem hoſtem ſuum occidiſſe, falſo licet, gloriatus fuerat, item eum qui Iſboſethum Saulis filium thoro incumbentem confoderat, interfici juſſit. Significarant per litteras quidam Vitellio, occiſum à ſe Galbam Imperatorem, præmia ejuſce facinoris ſperantes, quippe quo aditum ad faſces Vitellio aperuiſſent. at ille detrudi omnes ad ſupplicia illico juſſit. Tantundem Iulianus conſtituit in Pertinacis percuſſores. Scilicet ne animis hominum deteſtanda illaberetur opinio, ſtirpem Regum divinam privato flagitio, mortali manu aut lingua fas eſſe violari. Alioquin huc vulgi reprobum judicium facile prolabitur, ut qui clandeſtinis ſuſurris muſſitant & invehuntur in facta regnantum, perhibeantur ſtudioſi plebis, communiſque libertatis & commodi amatores: qui vero laudant & colunt quæ à Regibus fiunt, adulationis aut ſimulationis accuſentur, tamquam ſpe doniſque coempti atque corrupti. Hinc publico ſcripto, cui titulus Βασιλικὸν δῶρον, Eruditus Rex affirmat, quod etiam clientibus ſuis odio eſſet, potiſſimum quia Rex eſſet.

eſſet. Profectò calumniis, impoſturis & commentis plebs ſæpe ducitur, circumducitur: & horum adminiculo Democratici quidam bella alere, alia ex aliis ſerere, populis vectigalia imperare, exterorum fœdera auxiliaque nanciſci, ſeditionibus & religionum metamorphoſi velut arietibus fundamenta Monarchiarum quatere, Principes contemptibiles & odioſos reddere periti ſunt.

Sed Princeps ſuſurronibus, delatoribus, atque hujuſmodi farinæ ardelionibus aut ſycophantis, aurium valuas non ſic aperiet, ut factiones inde miniſtrorum, remoræ miniſteriorum, univerſi ſtatus convulſio ſubſequantur. Quis innocens erit, ubi ſuffecerit accuſaſſe? Humana hæc ſunt, virtutibus vitia permixta. Conſulit Sapiens: *Remove à te os pravum, & detrahentia labia ſint procul à te.* Nec tamen indigno criminationes loco ponet Princeps, ejuſve Legatus; ſed ſcrutabitur, quid lateat veri? quid nævi? Eveniet alioqui, ut malum quod non detergitur, quod tegitur, protegiturve, vel certe negligitur, tutius repat, odiumque in Principem ſic ſurdum concitetur: dein quæ unius aut alterius pœna placari poterat multorum querela, publico gemitu vix ſopiatur.

Diſpiciat etiam peculiariter Legatus, ne domeſtici ejus ſatyricis dicteriis iociſve Regem cui aſſiſtit lacerent aut notent: unde in

in pejora contingat ſiniſtrum affectum acui. Quod ſi vero nomen alicujus ipſe Legatus ſubvertere juſta cauſa jubeatur; neutiquam ſic inviſi hominis nævos, & qua parte is potiſſimum claudicet, in triviis aut conviviis paſſim propalet (Inimico, quem ſimul & ſemel opprimere non vales, & quaſi exſtirpare ex communione & memoria hominum, cur obſtrepas aut miniteris, niſi ut ſibi proſpicere, tibi officere doceas atque compellas?) ſed cauta tutoquo magis quam elato aut clamoſo conſilio, Principi iiſque ſolis ea quæ pungant aut ungant exponat, quorum interſit rem cognoſcere & reum. Alioqui ingenioſæ ſcriptiunculæ, acuta commenta vel auguria per vulgi ora & manus tranſmiſſa, alendis conjecturis, concitandis affectibus, ſubvertendo ſtatui aut regimini nonnihil idonea nonnumquam ſunt.

DISSERT. XLIV.

Legati reditus.

PEracta Legatione, reliquum eſt, ut Legatus mandata renuntiaturus, penates repetat, auctior una jam ſyllaba; ut qui fuerit Orator, redeat Exorator. Perfidiæ par aut proxima pigritia eſt, quoties mora & labi opportunitatis & mutari res queunt. Sane cum hic potiſſimum rerum om-

omnium ſit primum, tempori veniſſe, Lentuli odi nomen, Celeris laudo. tam enim neceſſarium videtur, cito referri ad Principem quæ acta ſunt, quam feliciter acta eſſe quæ referenda ſunt. Quæ infeliciter vero, maturum quoque remedium poſcunt. Mercurius poëtarum ingenio nonne alatus fingitur? nimirum mandata Deorum, velocitatem exigunt. Deorum? & ſic Principum, qui ſuum in Legato Mercurium requirunt. Itaque non cæli, non itinerum mollis aſperitas, minus etiam curioſæ divagationes rebus gravioribus obſtaculum ponant. Prorſus acceleret quantum poteſt Legatus, ut â conſilio ad rem induſtria transferatur; & ne, poſtquam conatum præſcrire & præoccupare hoſtis potuit, domum adveniat velut medicus poſt morbum. Attamen citra expreſſam Principis ſui veniam Legatus reverti nequit, non magis quam miles è ſtativis ſibi aſſignatis injuſſu Imperatoris diſcedere. alioqui ut reus & deſertor digniſſimæ ſtationis redargui ac puniri poſſet: niſi forte ab eo, cui adſuiſſet, expulſus vel coactus eſſet, juſſuſve annuntiare bellum ſuo Principi: niſi eæ denique ſuborirentur atque creſcerent cauſæ, ob quas diutius ſubſiſtere ſine dignitatis detrimento minime liceret. Quibus tamen caſibus ad proximiorem tutioremque Provinciam ſeſe conferre debet,

debet, atque inde ſui Regis juſſa exſpectare. Non enim inopino ſtatim impetu Principem ſuum terrebit, ſed potius ſubſiſtet tantillum, donec præteriti eventus cœptique itineris certiorem eum fecerit.

Videat quoque Legatus, ne, dum pro dignitate ſui muneris, aut more Provinciæ quam tranſit, pacis habitu proficiſcitur, inſidiantium armis impetatur. Sed neque conditionem Legati ullius Regni lex impedire debet, quo minus comites & aſſeclæ armis in itinere cincti ac muniti ſint. Etenim cum ob futuros ſumptus peculium ab Legato ærariumque aliquod conferatur; fieri poſſit, factumque eſt plus ſemel, prædonum ſcelere eum omni ſupellectile & viatico ſpoliari & exui.

In itinere conveniendi ac ſalutandi ſunt ii, quos voluit aut vellet Princeps: quales ſunt confœderati & amici. Quoties vero impetrata ab hoſte tranſitus venia proficiſcetur Legatus, hoſti tamen ſe nutiquam ſiſtere ſtudeat, ſed quanto ocyus ſine ſtrepitu atque tubicine ſeſe ſubducere: ita tamen ut probabili quapiam occaſione excuſatio per tabellam mittatur, quæſito colore ab invaletudine, cæli temperie, aut equorum comitumve impedimento: ut vitata inhumanitatis culpa, quod conſilio fit, fieri neceſſitate videatur. Parvo enim conſtant ejuſmodi officia

officia & obſequia: publicam vero offenſionem exſuſcitant augentque neglecta.

Libertas recedendi, viæque ſe committendi, negari nequit, quibus accedendi facultas conceſſa fuit. Ideoque Leonem X. haud ſano conſilio, malo exemplo feciſſe Menochius ait, quod Bajonium advenire permiſerit, abire recuſarit. & ab Augerio Giſleno Buſbequio mps Turcicus, qui petentibus Legatis diſcedendi veniam ſæpe negat aut differt, reprehenſus eſt.

Peracta Legatio dicitur, cum nihil omiſſum intentatumve fuit, quin ſolertia, integritaſque & diligentia Legati eluceant. quamvis alioqui felicitas fructuſque Legationis minora fuerint aut inferiora votis Legati; cujus quidem conari munus fuit, non cogere.

Legati denique, ne inviſi exteris adhæſiſſe, aut hoſpitalitatis immemores viderentur; tum ut minus ſuſpicionis, minus querelæ poſt ſe relinquerent; ſolent, ut animadverti, abiturientes urbico & Principi Magiſtratui ſupremum Vale precari, pro acceptis obſequiis decore laudes gratiaſque dicere, uberius addicere.

Dis-

DISSERT. XLV.

Lautia.

SAtis non erat, honores Legato tribui, niſi & munera accederent. Mos ille Romanorum fuit, & bono etiam hodie exemplo uſurpatur. Etenim ne hoſpitalitas pignore ſuo careat, ſic gratus videatur adeſſe hoſpes Legatus, liberales ſumus: & quidquid hic impenditur, priſco vocabulo Lautia & Dautia appellamus. Ubi vero locum publica munificentia habebit, ſi hic non habet? Etenim Reipublicæ tribuitur, quod Legato: qui pacis ac ſalutis cauſa miſſus, omnium unus commodis conſulit: imo Principi tribuitur, quod Legato ejus, qui perſonam Principis ſuſtinet. Solet & facultas interdum creandorum Nobilium, Equitumve, Legato concedi; ne ſola pecunia, ſive pretio quæſtus, lautia æſtimentur. Hæc, dum accipi poſſunt, hilari animo accipienda ſunt. nimirum ut is qui donat, ipſius gaudio accipientis afficiatur, & ſic quoque muneris ſui præſentem aliquem fructum percipiat. Quid? referre gratiam videtur, quiſquis benigne accipit; non ut quidquam ſolviſſe ſe putet, ſed ut debere obſtrictumque ſe oſtendat. Non illepide Athenienſium Legatus à Dionyſio diſceſſurus, Rex illi duas ſtolas

ſtolas miſit, ut utram filiæ deferendam putaret, eligeret. At melius, repoſuit Legatus, ipſa eliget, & utramque abſtulit. Haud minus ingenioſè Ariſtippus: cui cum jam ſeni & philoſopho tria ſcorta ſic ſpecie eminentia, ut vel frigidum ac maleficiatum incenſura viderentur, Dionyſius offerret, unam ut voluptati ſuæ eligeret; haud moroſè faſtidiendo, tyranni luxum indicavit, ſed tres ſimul amplexus eſt & abduxit puellas. Neque enim vel Paridi, inquit, tutum fuit unam prætuliſſe duabus. Facetiam terminavit moderatio, aut impotentia; (nempe vitia quædam non tam relinquuntur ab hominibus, quam ipſa homines relinquunt) nam ternionem iſtum ubi duxiſſet ad veſtibulum, dimiſit.

Capiet quoque ſic Lautia Legatus, ne ipſe capiatur. Legatum Phocion, non Legatio doceat. Is, cum ab Alexandri Legatis duo talenta offerrentur, quæſivit: Quid ita mihi uni? Prorſus, inquiunt Legati, quia te unum ſcit Alexander virum bonum eſſe. Iterum Phocion: Sinat igitur me eſſe bonum. Non ad judices ſolum, ſed quoſcumque publicæ rei præfectos, Dei verba ſunt: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.* quomodo itaque non exoculabunt ſtolidos & injuſtos? Munera quiſquis admiſit, libertatem amiſit.

An & fidem? Affectuum oſtia, munera ſunt. aſt affectus qui poſſidet, qui dirigit; totum hominem poſſidet, dominuſque videtur ejus qui iiſdem afficitur. Corruptionis periculum cauſam præbuit legi Atticorum, qua ſanguinis pœna acceptio munerum Legatis interdicta erat. Lege Iulia repetundarum nominatim tenebantur ii, qui in Legationum functione pecunias acceptaſſent. Eademque ſeveritas etiamnum apud Venetos eſt inviolabilis, quorum inſtitutis capitale eſt Legato, ex munere ſuo munus aut lucrum foris captare. Nobile Hermolai Barbari nomen eſt. Is tamen niſi ante diem opportuna morte Senatorum judicium evaſiſſet; à Legatione ad ſupplicium rapiebatur. Quid enim? tacitis ſuffragiis capite damnatus erat, quod in Legatione Romana ab Innocentio VIII. Aquileienſem Epiſcopatum non recuſaſſet. Ac licet crederetur in præmium virtutis collatus fuiſſe; plus tamen legibus tributum fuit. Athenienſes olim Timagoram Legatum ſuum, quem Artaxerxes magnitudine munerum corruperat, damnatum necaverunt. Nam præter vim auri & argenti, femineas inſuper delicias (rudibus ad hæc talia eo tempore Græcis) accipere & referre auſus fuerat: quaſi externo luxu patriæ modeſtiam continentiamque inquinare, libertatem velut captivare ſtuduiſ-

ſet.

ſet. Nimirum peſtiferi auctorem exempli tam bene morata civitas ferre non potuit, non debuit.

Verum enimvero ut Lautia accipiat Legatus, magni omnino intereſt, anne congratulandi gratia, vel nudi cujuſpiam honoris aut obſequii exierit, anne negotiorum vel pactorum cauſa. Si negotiorum vel pactorum; haud quidquam accipi decet inconſulto Principe, atque impetrata venia, ut certior is fiat, quo modo & fine munera offerantur. Alioquin ſi quid Legatus hic ſuis facultatibus clandeſtine adnumeravit, pronam avaritiæ atque etiam perfidiæ ſuſpicionem experietur. Addo: Conjux ejus, liberi, domeſtici conſtanter recuſent quidquid offertur, neceſſum eſt, eſculenta quoque, & quidquid pro levi conſuetudo ducit. Omnino hic conſenſu Legati opus eſt: videbit ille, ut extra notam conſenſus habeatur. Proverbium vetus hic verum eſt; Munera neque accipienda eſſe omnia, neque paſſim, neque ab omnibus. nam, ut Severus & Antoninus Auguſti eleganter ſunt complexi, inhumanum eſt, à nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum; omnia, avariſſimum. Munus itaque ab extero oblatum non modo non ſemper rejici debet, ſed vero majus aut aliud aliquando peti & urgeri: nimirum quod magis ex dignitate Legationis

aut Principis ſit. Pulchrum quod de Zenonis ad Vandalum Legato legimus. Cum Barbarus pecunias ei largiretur, & lautia Legato digna daturus eſſet, recuſavit ille, dicens; Nullum donum viro Legato dignius & convenientius videri, quam captivos in libertatem vindicare: imo nullum donum, donec patriæ captivi reſtituerentur, admitti poſſe. Placuit oratio: reſtituti ſunt. Similiter ſi Legatus juſſus ſit à Principe munus petere; cavebit avaritiæ atque immodeſtiæ ſcopulis illidi. ſed ſi omittere munus non poſſit, non debeat; excogitet requiratque, quod Legationis commodum ſpectet magis quam privatum.

Verumtamen interdum ſuomet candore & liberalitate decipiuntur ii ipſi qui donant. Ideoque quamvis munerum cupidinem & pæne contrectationem Legato inhibuimus; tamen ſi eum plena fide, arte, prudentia, armatum robuſtumque noverit Princeps, permittere & præcipere eidem poteſt, ut ſi muneribus probitas ejus fideſque ſollicitentur, & acceptando plus, apud ineſcandos ſeductores, fidei & virium impetrare, ſic aliena explorare & evertere poſſit; muneribus ſe inprimis affici fingat, eaque ipſa quaſi clam atque inſcio prorſus Domino amplectatur: nimirum, ut tutiore hac calliditate facilius fallat eum qui fallere molitur.

utque

utque certius ſua ingerat, obverſaque rebus facie, tandem quæ aguntur, quæ ſimulantur, commodis ſui Principis volvantur. Omnia poterit oblatorum munerum non contemptor ſed, expetitor; quantoque plura admittet, amicior elargienti videbitur. Is enim deſpici ſolet, cujus munera rejiciuntur; ille obſervari & amari, cujus accipiuntur. Quapropter non adeo ſors impinget ille quiſquis externa ſolerter dona accipere & provocare ſciet, eaque ipſa ut inſtrumenta habebit verſutiæ, qua iniquus hoſtis, dum fidit & ſimulat, noxamque parat, demulceatur atque deludatur. Sicuti non uſque ſemper illaudabile eſt, Baccho aut Veneri, vel aleæ vacare; verum illinc temulentiam, paralyſim, podagram, iſthinc ſtigmoſam ſcabiem atque cadaveroſum corpus, hinc infamem inviſamque pauperiem contraxiſſe, cui non probroſum?

Quæſtioni hoc etiam argumentum eſt obnoxium; Sintne quæ dantur Legatis Lautia proprie Legatorum, an Principum à quibus illi miſſi? Legatorum eſſe, Iuriſconſulti reſpondent; niſi ex doni qualitate aliud colligatur: quemadmodum legata miniſtro Eccleſiæ relicta, non ipſius miniſtri, ſed Eccleſiæ cui inſeruit commodo uſuique relicta cenſentur. Ideoque ſi Legato corona aurea, ſi tentorium intextum, ſi balſama,

aut murices, purpuræ, ſi leo aut elephas, vel manubiæ ſive ſpolia hoſtium tradita fuerint, non niſi conſignata fuiſſe, ut Regi offerantur, ſtatuendum eſt. Apud Moſcovitas & Turcas, ne minimum munus commodis Legati cedit, ſed univerſa ſibi arrogat is qui Legatum mittit. Nec eſt quod morem velis barbarum Barbaris relinqui, quorum Legati vix liberi habentur; cum & Q. Fabium Gurgitem, C. Numerium, Fabium Pictorem & Q. Vgolinum legamus, publicum in ærarium Legationis munera detuliſſe, non ſolum quæ publice, ſed ea etiam quæ privatim, ut Valerius loquitur, id eſt privato hoſpitalitatis jure à Ptolemæo Rege eſſent conſecuti. At vero & Patrum decreto, & populi flagitatione, eiſdem hæc dona reddita fuerunt. Nimirum ut dubitaret poſteritas, in tam illuſtri eminentium virtutum certamine atque concurſu, quid prius potiuſve admiraretur, munificentiamne dantis, anne continentiam accipientium, an vero æquitatem reddentis Senatus & Populi. Rurſus Romanorum Legati in Ægyptum ad Ptolemæum profecti, munera ejus diverſimode obtruſa reſpuerunt; quo uſque eos ad epulum invitatos, laureolis aureis coronavit. Has enim illi, ne conſtans recuſatio aliquid contemptus innuere videretur, honoris ergo tantiſper habuerunt, donec poſtridie

regiis

regiis ſtatuis, quas in Iovis Sacrario ſuſpexerant, impoſuerunt. Ut non minoris virtutis fuerit reddere, quam meruiſſe. Sic quippe conſtabat Legatorum integritas, deſpectorque opum animus grandior, in Regem cultus, tum cura Religionis, quæ pie magis (ait Livius) quam magnifice colebatur. Hinc quoque elucet, velut nivem munificentiam eſſe, nulla avaritiæ macula inſpergendam. Turpe enim munus eſt, quoties in negotiationem venit: turpis liberalitas, quæ lucri ſolius cauſa exercetur.

DISSERT. XLVI.

Renuntiatio.

ULtimum Legati munus Renuntiatio eſt, qua ſolemniter res uti geſta eſt explicatur. Alibi igitur facundus atque ornatus ſis: hic niſi vere ſimpliciterque dicas, tueri dignitatem non potes. A Principe miſſus es, ut ageres: ad Principem referenda ſunt quæ egeris; ea fide, ut nihil ſiniſtre ſubticeas: ea modeſtia, ne quid in tuam laudem extollas. Etenim pœna non præmio dignus eſt, qui fuco res aut mendacio onerat. Rem intelligat Princeps: etiam te tacente induſtriam res loquetur. Veritas autem hic inprimis neceſſaria eſt; ne ſi ſuper falſis deliberetur, etiam bona conſilia maximis

negotiis obſint, & malè cedant. Sed non uno modo Renuntiatio vitiatur: tam enim peccare poteſt qui minus, quam qui nimis dicit. Hoc vero quid aliud eſt, quam facultatem de ſingulis ſtatuendi, judicandi, eligendi corrumpere? à magiſtro ad miniſtrum auctoritatem omnem transferre? Si fieri poterit; verba ipſa ut prolata, ut reſponſa ſunt, deſcribi debent, ex quibus mens dicentis elici poſſit, vitata circumlocutione quæ ſententiam ſermonis mutat. Numquid etiam à famulis, & aſſeclis noſtris apprime exigimus, ut ſi non eodem ſermonis contextu indicent, quæ nuntianda aut renuntianda acceperunt, certè ſenſum non niſi eumdem exprimant? Tum fere addet Legatus, quo vultu, quibus oculis, qua animi motione protulerit ſua Princeps: judiciumque ſuum modeſte interponet. Multa enim, qui rebus colloquiiſque interfuit, notare ac judicare poteſt; quæ ſi verbotenus tantum explicata ſint, non aſſequitur qui audit ex relatu.

Et vero quæ fides, narrare aliquid non ex fide? Legatus, interpres eſt: Interpres autem diverſa referre non poteſt ab eo quod interpretatur. Fama eſt, Principem neſcio quem, mandaſſe Corycæo, ut conſilium auxiliumque proditioni clanculum peteret ab amico & fido homine, qui in Aula, quæ adeunda erat, degebat. Re non ex voto ſuccedente

cedente (ſuccreſcentibus ut pote difficultatibus, quibus induſtria exploratoris impar erat) epiſtolam quam Principi ſuo mitteret, ſcripſit Corycæus multa ſpe atque eloquentia diſtentam. Verum dum eamdem amico iſti rerum conſcio oſtendiſſet, dixit hic: Ingenioſa quidem & compta atque adlubeſcens videbitur hæc ſcriptio tua; ſed rei atque actioni, qua fuiſti impeditus, admodum diſſimilis eſt. At noſtrum eſt (reſpondit ille) cum optime agere neſcimus, bene ſaltem referre non ignoremus. Commentum grave damnum fecit, dignumque ſcribam (rebus inde ſiniſtrorum labantibus) quem à prævaricationis nec ſimplici proditionis officio mala crux ſuſpenderet. Fertur, & alium Principem reſciviſſe tandem, ſed damno accepto, Legatum ſuum mirificè celebraſſe humanitatem & propenſum animum Principis juxta quem agebat; non quia is bene meritus vel benevolus eſſet, ſed ut eo elogio aptus dignuſque judicaretur majoris momenti mandatis: his deinde adhibitus, non vulgaris probri cauſam dedit. Itaque Princeps, necubi præcipitantia vel credulitate labatur, deſpiciat ſerio, quam firmo fundamine, quæ referuntur, nitantur: nec minus ſerio attendet, num imbecillitate forſan judicii, odiove externi Regni aut Regis, ſi malè habitus fuerit, relata proſiliant.

Sed Legato haud celatum velim; quod, ſicuti res ambiguæ non citra periculum ſuſcipiuntur, ſic ubi perperam evenere, triſtem caſum renuntiare, indignationi obnoxium eſſe. Carthaginenſium Oratores, ultimum urbis ſuæ fatum renuntiantes, lapidibus à multitudine obruti ſunt. Sic Coryphæo ſeu Electo Duci, apud milites ſeditioſos, perſæpe exitium imminet, ſi quid infauſti vel metuendi ſuis retulerit. Contra, immane eſt, quam grati ſint nuntii, qui re ancipiti inter ſpem metumque effundunt lætitiam lubentiamque. Quod quia demonſtrat natura; experientiæ aut exemplis non inhærebo, ubi, unum ſubjunxero Cotyis Thraciæ Regis: qui eo veſaniæ ex voluptate prolapſus eſt, ut Minervam adamarit, ſibique nupturam crediderit: eoque dapes, ornamenta, thalamum inſtruxerit, tantis nuptiis digna. Iam vero dum Deam diu præſtolatus, nuſquam cerneret; miſit quemdam qui in penetralibus proſpiceret, num Dea ad thalamum præceſſiſſet. qui ut renuntiavit, neminem ibi eſſe; ſagittis confixus fuit. Id cum & alteri accidiſſet; tertius cautior, ſtultam fidem ſpemque Regis (qui melancholia hypochondriaca, eoque uno affectu deſipere, ceterum ſapere videbatur) ita firmavit, ut aſſereret, Deam jamdiu Regem operiri, ſic ei gratia & vita integra per-

permanſit. Fidem reſumo. Hanc renuntiationibus conſtare, quia non eorum modo qui Legationes mittunt, verum & horum qui admittunt, permagni intereſt; eapropter etiam non petentibus Legatis traduntur interdum ſcripto, quæ reſponſa ſunt, quo exactius ſinceriuſque referantur: utque rebus magis ipſis renuntiatio repræſentari videatur, quam verbis; exhiberi magis, quam dici. Qua quidem ratione ſi quæ dictionibus inerit perplexitas obſcuritaſve, non jam ab arbitrio Legati, ſed à judicio conſilioque Principis procedere & dependere videbitur. An comparationem inſtituo? pulchrius quidem, ore referre quæ annuntianda ſunt; ſcripto, ſecurius. Ideoque fidem Principi probare Legatus malit, quam memoriam & eloquentiam; culpa carere, quam laudem captare.

Renuntiatio, vel mittitur à Legato dum adhuc emanet, eaque eſt neceſſariarum fere rerum: vel exhibetur à jam reduce; & hæc nihil non continet eorum quæ ſcitu conſiliove digna ſunt, quæ indolem fortunamque Regis aut Regni, tum quoque honorem Legationi exhibitum concernant. Non magni intereſſe crediderim, quam dextere Rex pila ludat, teſtudinem pulſet aut tripudiet, oculone dextero an ſiniſtro acutius cernat.

E qua penu Renuntiatio commmodè deſumi poſſit, ſupra inſinuatum eſt: ex iis videlicet litterarum exemplaribus, annotationumque ſubſidiis, quæ tempeſtive inſtruenda eſſe monuimus; tum diſcuſſis iis quæ Prudentem eſſe Legatum docuerunt. Debet autem Legationis Inſtructioni & mandatis Renuntiatio articulatim quodam modo reſpondere. Si quid gravioris momenti à mandatis ſejunctum occurrerit, pari tamen neceſſitate explicandum; explicetur, ſed ſejuncto quoque libello.

At quemadmodum ſuper rebus gravioribus plerumque non niſi convocato concilio mittuntur Legati: ſic idem conciri interdum ſolet, ut reduces audiantur. Publicam tamen hanc renuntiationem præcedit privata: qua intelligit Princeps, num ſine aliorum arbitrio ſolus audire & ſtatuere velit, anne plurium commiſſa judicio ſolidius malit expendi. Ita Rex Latinus ſibi referri voluit, quæ à Diomede Legati acceperant; ac deinde eadem in magno ſuorum Procerum concilio rurſus proferri:

Ergo Concilium Magnum, primoſque ſuorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis & maximus ævo,
Et primus ſceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic Legatos Ætola ab vrbe remiſſos

Quæ

Quæ referant fari jubet, & reſponſa repoſcit
Ordine cuncta ſuo. ———

Alioqui non alteri renuntianda Legatio eſt, quam illi ipſi à quo accepta. Sæpe etenim noſtra intereſt, ut nobis ſolis, non vero aliis, licet conjunctiſſimis, quæ dicenda ſunt exponantur. Quin etiam peracta Renuntiatione dabit operam Legatus, ne ulla umquam Legationis arcana aliis explicet aut narret. Semper autem meminerit, ea non ſua ſed Principis fuiſſe, qui pro occaſione attollere nonnulla vel attenuare adhuc fortaſſis, quemadmodum poteſt, velit. Mirantur multi, & mirandum eſt profecto, virum quemdam eruditum, prudentem, accuratis nuper typis expreſſiſſe quæcumque ſua in Legatione Rhætica obvenerant: ni forte non minus ut ſcriberet, quàm ut ageret, ſuſtinuiſſe munus eredendus ſit. Veneti ſane ſcripta I. Boteri cenſura Senatus proſecuti ſunt, ubi compertum habuerunt, ex inſtructionibus relationibuſque Legatorum ſuorum pleraque eum compilaſſe; & quæ propria privatàque habebant, temerè omnibus communia & publica feciſſe.

Videndum porro, ne Relatio quam ſoli Principi ſcripſerit, & ſic ſervarit, Legatus, domeſticorum ſcribarum expugnata pecuniis fide divulgetur. Princeps rurſus quiſquis Legatos admiſit, nullo non ſtudio atque

etiam ſumptu adniti debet, ut inſpectionem nanciſcatur earum relationum, quæ de ſtatu ſuo ac Regno & hujus regimine prolatæ aut conſcriptæ ſunt: Ut inde non ſolum quid exteri ſentiant intelligat, quod magnum eſt; verum ut inde, ceu à pædagogo citra adulationem liberrimo ac fideliſſimo, edoceatur, quid ſibi maxime cavendum, emendandum, perficiendum, muniendum in rebus ac moribus ſit.

Quod ſupereſt; Relatio eum in modum dilucida & rebus conexa ſit, ut Principem, iis quæ evenerint aut geſta ſint, quaſi præſentem ubique ſiſtat. Imo ut ſi quis ſubſtituendus fuerit Legatus, jam inde ſcire poſſit quid & qui agendum ſibi ſit, tractetque quaſi ante prævisa, & nota ac familiaria, & tamquam inter notos ac familiares. Denique credat, quiſquis hoc munere fungitur aut functus eſt; non ſolum Principi hanc relationem, ſed Deo quoque exactam rationem adminiſtrati muneris reddendam fore: commiſſa & omiſſa à Principe Principum examinanda.

DISSERT. XLVII.

Stipendia.

TAm opimis olim ſtipendiis Legationes interdum condecoratæ ſunt, ut qui publice

publice locupletandus eſſet, Legatus fieret. nec patebat certius privato compendium. Sic Attalum, iis quos liberaliter complecti volebat, Legationes detuliſſe, legere eſt apud Priſcum rhetorem. Contra, aliquando Legatis legativum aſſignatum non fuit, quia Legationes gratis ſuſceptæ; quæ eapropter gratuitæ dicebantur. Idque vel neceſſitate publica, quæ interdum Principes, quæ rependere non habent, debere facit; vel honoris & gloriæ cauſa, quaſi virtutis & meritorum viris generoſis atque potentibus aperto campo, quo facultates ſuas glorioſe occupent. Attamen ubi fortuna & res Regni florent; ne permittet quidem Princeps, ut Legatione ſua privato quis ſumptu fungatur, aliusve Legationis quaſi Dominus exiſtat, quam ipſus. Pariter permittendum nequaquam eſt, ut honorarii anguſtia prematur, ac minus magnificus ſit Legatus. alioqui non uno impedimento optima & maxima quæque claudicent, nec minus contemptui obnoxius erit Princeps, quam qui à Principe miſſus eſt. Ille quidem quia avarus, &, quod Imperiis exitioſius foret, inops videretur, cum Majeſtatem ſuam apud exteros ſic contrahi patiatur: hic vero, quia vix ulli credibile erit, Principem ea denegare quæ ad dignitatem Legationis repræſentandam neceſſaria ſunt.

Hinc

Hinc etiam ſuſpicio varia neque vana erit, Legatum hiante conſcientia & crumena, hæc & plura clepere, digerere poſſe. Raro etiam fides ſine fructu diuturna: & infirma eſt famæ cura, ubi cruciat fames. Verendumque, ne qui ſtipendia præmiaque à ſuis non accipiunt, apud alios inveniant, dexteramque ad ſiniſtra extendant. Principes autem qui ſuis Legatis aliiſve Miniſtris promiſcuè honoraria atque etiam ſtipendia annua ab exteris decerni ac tribui patiuntur; videant, ne in ſinu ſerpentes foveant, cum illa non ſemper donentur aut acceptentur gratis. Emit, qui ſic donat; vendit obſequium, qui ſic acceptat. Qui denique tenuibus ac velut unciatim erogatis ſtipendiis Legatos electuri ſunt Principes; videant ne experiantur quod audiit olim tenax ille, qui filio ſuo utilem didaſcalum licitaturus acceſſit Ariſtippum, quæſitans, quo pretio ejuſce ſuæ curæ curam curaret. Mille drachmis, reſponſum eſt. At ille admirans poſtulationis impudentiam, exclamavit, ſe tanti emere mancipium. Eme, inquit Ariſtippus, & habebis duo: alterum tamquam pater, alterum tamquam Dominus. Legatus niſi idoneus, caro conducitur, etiam ſi obſequitur gratis: ſi aptus, numquam remunerari poteſt pretio nimis grandi.

Etſi vero impendiorum ratio ab Legato

reduce,

reduce, ſi exorbitent, exigi jure poſſit; non tamen ad quæſtorii calculi ſeveritatem ſingula ſunt exactius revocanda. Quin plurima (præſertim apud ſuſpectos aut inviſos agenti) elargienda ſunt, fideique atque arbitrio ejus relinquenda, ut ea delatoribus, exploratoribus, corycæis liberaliter, latenter tamen, diſtribuat. Quod ipſum, licet profuſius quam par eſt, feciſſe eum conſtet; Legatum tamen feliciter expeditæ Legationis negotium, ipſaque mittentis apud exteros digniſſime ſuſtenta perſona excuſabit. Magnitudo hic animi & ſpectanda & promenda eſt; ne iis qui incommoda noſtra pertulerint, ſua commoda denegemus.

DISSERT. XLVIII.

Præmia.

SEd quem tot corporis animique dotibus eminere voluimus, ſedulum, fidum, ſplendidumque omni in actione, denique tot difficultatibus colluctatum & perfunctum, quonam ſatis amplo honorario ſive Princeps ſive Reſpublica afficiet?

——— Aut virtus nomen inane eſt,
Aut decus & pretium recte feret experiens vir.

Sapienter & præclare Cato, civibus auferri ſtudium honeſti ait, quoties virtus præmiis vidua-

viduatur. Neque enim ea vulgo virtus habetur, cui non emolumentum honoſque ancillantur. Reverſis itaque è Legatione, non tantum ſumptus & damna, ſi quæ forte facta ſint, refundentur; ſed præterea honores, præmia, prærogativæ decernentur, ut remunerationis modus meritis non ſit minor. Hoc exemplo ad ardua rerum, alii quibus Legatio decernetur, efficientur alacriores. Nemini profecto munus Reipublicæ cauſa damnoſum eſſe debet: neque ſolum à legibus, ſed à naturali æquitate alienum eſt, alienis quempiam debitis gravari. Si recte calculum ponis, à liberalitate virtutes reliquæ pendent: hanc nutricem & velut matrem habent. Indotatam operam nemo ſtrenue & diu navavit. Inglorii dixerim eſſe Sceptri, permittere, ut quis è Regio obſequio jacturam faciat, aut nullum certe commodum nanciſcatur. Profecto ſi æqua meritis merces ſubtrahi vel negari ſoleat; non deerunt, qui impoſita officia ſpolio habebunt, vel onera humeris excutientes, ſibi vivere & latere, ſalem domi lingere malent, quam ſpecioſa ſervitute ſibi velut eripi. Quippini? ſi callent, Aulicam Vitam quæ faciant beatiorem. Imo ſi callent, quam parum tutum ſit veſtigium proximum ſupremo faſtigio: quam ſummo culmini præcipitia adiaceant. Solent Principum favores, ven-

ventorum in morem, ſubinde reflare in diverſum: quorumdam gratia vitro aut lychno non eſt abſimilis. iſtud quidem pulchrum, ſed fragile habetur; hoc autem procul ſpectantes juvat, admotos urit. Equidem ſic viſum ſemper, eo plus accedere Principi, quo plura benemeritis Legatis tribuerit: ut ipſum ſic dediſſe, indubie ditari ſit; imo ſi quid ærario ſic ademptum, adeptum videatur. Eſt enim Liberalitas Regia velut falx in prato, quæ herbam acciſam non marceſcere, ſed creſcere, vigere facit.

Nunc ut de remunerationis modo aliquid dicam; Dabit operam Princeps, ut præmia non tantum meritis, ſed maxime ingenio & voto ejus conformia ſint, qui beneficio afficiendus eſt. alioqui munus ni placuerit accipienti, næ male expenſum fuerit, quidquid impenſum. Sunt quos inanes tituli delectant: eorum igitur potius nomen condecorabit Princeps, quam ærarium ſuum nummis exhauriet. Ei qui Magiſtratum idoneus requiret, Sacerdotum non offeratur: nec illi Præfectura, qui ſibi vivere ſuaviſſimum ducet. Nec minus in præmiorum erogatione obſervandum quandoque eſt, ut ultro offerantur, priuſquam flagitentur. Magnum impetratorum pretium preces ſunt: & plurimum promptitudo addit beneficio, mora adimit. Minus grati, jamque moleſti

moleſti ſunt, qui protrahunt beneficia, non ut uberius, ſed diutius dare videantur. quaſi ſic quidem non ſatis quid poſſint oſtendant, niſi quid poſſint, & quod debeant, diu oſtendant.

Sed neque avari cupiditas explenda eſt: etiam poſt præmia, promiſſa durent. Vis canem ſagacem, venationi induſtrium & expeditum? equum velocem & fortem? vide, ne nimium ſaginentur atque pinguerint. Sic neque Legati, munificentia obruendi, dementandi, aut pecunia ceu papavere ſopiendi ſunt, verùm ſpe lactandi, excitandi ſunt; ut majora ſemper ſperent à Principe, quam coram experiantur. Plura profecto de illo tibi pollicere, qui promiſſis inhiat & ſtimulatur commodis, quam qui beneficio affectus, remunerationi gratiam obſequii debet. Quinimo hoc ſunt ingenio (quod dolendum eſt) homines, ut pluris faciant illos, qui ob beneficentiam ſibi debent, quam alios quibus ſciunt ſe debere. Non tacet id Tacitus: Beneficia eouſque læta ſunt, dum videntur poſſe exſolvi; ubi ultra excrevere, odium pariunt pro gratia. Ut autem ſpes hæc enutriatur atque extendatur; ſuadeo, ut non ſolum ſuperſtitibus & valentibus, ſed etiam defunctis Legatis eorumque liberis præmia & honores decernantur.

Turpe

Turpe ſit, videre excellenti homines virtute, poſtquam è Legationis functione ad ſuos remearint, velut inſolenti fortunæ calcitratu pulſos, ſic meritorum ſuorum ſcopulis illiſos, virtute ipſa illuſos, hoc ſuæ operæ pretium ferre, ut etiam humiliore loco ſordeſcant, quam ſi domi torpuiſſent. Quidni redarguam? Hoc modo excluduntur ab honoribus digni, quia digni: Regiis diſplicent, quia boni & utiles Regi extitere. Indignum, inquam, ſi recte egiſſe, recte conſuluiſſe, noxæ aut periculo ſit: optimorum quippe conatuum ipſorumque conſiliorum pars aut caput cenſeri poterit, Regiis rebus aut conſiliis ſeſe non immiſcere. Indignum, ſi ut quis emergat, aliis artibus opus habeat, quam viri boni. Simulatio, adulatio, largitio, felix, fraus, potenter evexere ambitioſos & muneripetas veteris ævi; de quibus Satyricus:

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid. Probitas laudatur, & alget.

Evexere, inquam, ambitioſos ævi veteris; an & illos noſtri? Quid dicturus, ſi eum, qui externo nec virtutis patrocinio, aſſiduo blandimento & crebro munere munus mercatur, præ ceteris contingat extolli & præferri? damnoſa & dolenda negotiatione! Neſcit illam

illam qui rectus. Sed neque hæc iſta (pro dolor !) impunita manet inſcitia. Obſcurus enim jacet, neglectus, inops. Quæ quidem digniorum indignationem jure acuunt, & accendunt; etiam cæleſtium, dum cælo poſſit ea pertingere.

Ad præmia revertor majora, certiora. Illa quæ à Principe eveniant; parva videantur, quia peritura. Æterna etiam ſpectabit, dum promerebitur, Legatus. Et hæc ſane niſi tam divite & falli neſcia ſponſione, à Deo omnibus exſpectentur, quid inter ardua & fallacia rerum, ſive foveat animum, ſive recreet? Hæc ſi tollas, ecquid magnopere eſt in vita quod invitet? Ad cogitationes iſtas auſi quoque Romani aſſurgere. & Cicero in Somnio ſuo inſomnis, Omnibus, ait, qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cælo ac definitum locum, ubi Beati ſempiterno ævo fruantur. Brevius ille & Chriſtiane qui dixit; Benemeritis ſpem immortalis vitæ, vitam eſſe mortalis vitæ. O bene! Optimo cuique ea præmium ſit, pro ſuis meritis, pro noſtris votis!

AD

AD LEGATUM PARÆNESIS.

EMenſus ſum quæ deſignaveram. Non omnia, ſed præcipua, & velut ſelecta dixi; in ipſo fortaſſis opere uſum habitura.

Te nunc hortor, quiſquis hæc Toga aut Sago Regni Populique fata tractas, & majorem illam perſona tua perſonam geris; ut quemadmodum votis prævi & monitis, agendo, ſatagendo, tanti Muneris nomini & Nominis muneri par eſſe contendas. Huc enim Caduceum ſeu *Κηρύκειον, Legationum inſigne*, Mercurio olim tributum eſt, cum callido commento Legatum quoque Cæli habuerunt; ut Nomen Munuſque ſacroſanctum apud homines Legatus ſuſtineret, peritus

——— Deorum
Muneribus ſapienter uti.

Si grandiore nunc etiam voce *Parænesim* admittis; conſilia cœptaque omnia præceptis Dei jugiter admetire, quippe Principis: & hoc erit glorioſo exemplo vere Politicum, Magnum Legatum te probare. Chriſtiani Orbis, ſic Univerſi bonum, & Principis tui fida Tranquillitas ſit Scopus tuus. Huc

collima,

collima, huc nitere. Aliquando magnæ curæ magna merces erit: hic fama, mortalium elogiis major, cum ipſo Principe & Republica durabit.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX

Rerum Notabilium hoc opere comprehenſarum.

A.

Achilles inter puellas habitu puellari latitans, qua ratione ab Vlyſſe cognitus. 221.

Actiones Legati ſi malæ, expendendum prudenter, cujus nomine & auctoritate ab eo profectæ, publicane an privata. 365. *Ita diſpiciendum circa aſſeclas & ſocios Legati ſi quid delinquant.* ibidem.

Acuta & vivacia ingenia in rebus Status periculoſa. 385.

Admiſsionum ad Principem alia publica ſeu officioſa, privata alia ſeu negotioſa. 532. ubi varia circa hæc quæ in hodierna praxi. *In concedenda Admiſsione, præcipue Legati, facilem ſe Princeps exhibeat.* 534. *Gravitas morum in Admiſsione quæ ſervanda.* 539. *Quarundam gentium in his conſuetudo.* 540.

Adrianus VI. Pont. Max. unde Imperii documenta hauſerit, & quid Carolo V. diſcipulo ſuo in eum finem prælegerit. 126. *Marſelariorum familiæ pro acceptis beneficiis non ingratus.* 127.

Adulatio, & quam ea vitanda. 103. *Eam ut quidam non tolerant modo, ſed ſectantur.* 105.

Adulatores quales. 103. *Candoris ſpecie decipiunt.* 105. 231. *Iis plerumque fides non adhibetur.* 105.

ÆEmulatio an inter domeſticos & familiares Magnatibus probanda, & adeo procuranda. 383.

Affectuum efficacia, & quantum etiam in rebus Status poſsint. 90. *Quod exemplis oſtenditur.* 91. & ſeq. *Eorum cauſæ variæ.* 4. *Vt conciliandi, apud Principes præſertim.* 100. *Quanti momenti.* ibid. *Iis magnorum animi vincendi & vinciendi.* 326. *Eos regere præſtat, quam ab iis regi.* 382.

Affinitate lites & bella non raro ſopiuntur. 467. *Imperii limites extenduntur.* 468.

Agentes qui, & quod eorum munus. 8.

Albani Ducis muta reſpondendi formula. 598.

Alcibiades Legatos Lacidæmoniorum ut deceperit. 484.

Aleæ luſus vitandus Legato. 71. *Quem & famulis interdicet.* ibid.

Alexandri magni in bellicis eventibus felicitas. 244. *Ejus arrogans reſponſum.* 605. *Vt loquaculum quemdam acute carpſerit.* 577.

Alphonſi Cardinalis de la Cueva in creatione Vrbani VIII. Pont. Max. publica lætitia. 87.

Ambitio Principum nec ratione nec juſtitia compeſci poteſt. 490.

Ambi-

Ambitioſi Legationum taxati. 21.

Ambroſii Spinolæ prudentia. 288.

Amicos habere omnes, etiam tenniores, Politicum eſt arcanum. 82.

Amor conjugalis laudatur, & vagis affectibus præfertur. 401. *Ejus commoda.* 402.

Amor mutuus inter Principes ut conciliandus à Legato. 96.

Amor ſui ſeu philautia. 102. *Ea adulationem generat nutritque.* ibid.

Anaxagoras Mileſius apud Spartanos Legatus ob nimium ſupellectilis apparatum taxatus. 115.

Annulus matrimonialis. 472.

Annuli olim & ſpecialis veſtitus Legatis dabantur. 121.

Annuos Magiſtratus eſſe præſtat quam perpetuos, ex Ariſtotelis doctrina. 313.

Antonii Pucii Florentinorum Legati facetum dictum factumque. 140.

Antonius cur Vxorius vocitatus. 399.

Antonius Scherliins Anglus à Magno Sophi Perſarum ad Pontificem Legatus, & quæ ſuper ea Legatione contentio. 297.

Arcana Legationis Legato plerumque à Principe indicanda. 292.

Aretinus maledicus. 640.

Argi oculis cur indigere dicatur Legatus. 216.

Arma cur ruſticis à Carolo V. prohibita. 460.

Arrogantia Cæſari fuit exitio. 85.

Ars naturam ſupplet. 109.
Aſſeclæ Legati. 382.
Aſtra non neceſſitant. 246.
Aſtus Philippi Macedonis. 289.
Aſtutia, & ejus exempla. 222.
Atheorum opiniones quædam & impia documenta. 229.
Avaritia vituperatur præcipue in magno miniſtro. 67. In Legato maxime, quod exemplis aſtruitur. ibid.
Avaritia Demoſthenis eloquentiam ut compeſcuerit. 411.
Auctoritas non temere periculo exponenda. 111. 266. 639.
Auguſtus nullo loco facinoroſos tuto conſiſtere ſtatuit. 376.
Aula volubilis Diogenis cur dicta. 208.
Aulæ Romanæ aliarumque orbis præcipuarum ratio deſcribitur, quidque in ſingulis à Legato obſervandum. 161. *Qui dies audientiæ Romæ.* 169.
Aurelianus peregrini pauperis habitu ut Crotildem Regi Francorum Clodovæo conciliaverit. 472.
Auro omnia pervia. 410. *Philippi Macedonis in hanc rem dictum factumque.* 411.
Auſtriaca Domus matrimoniorum affinitatibus multum profecit. 467. & ſeqq.
Auxilia potentiorum cur merito ſuſpecta imbecillioribus. 489.

Auxilii prætextu multi oppreſſi. 490. & ſeqq.

B.

B*Aſilicæ herbæ natura.* 536.
Belgarum genius. 158.
Belgium ut ad Auſtriacos devenerit. 468.
Beliſarius Gothos qui deceperit. 439.
Bella, & quæ ex iis mala. 447. *Vt ea diſſuadenda.* 449. *Nuntiantur per Legatos.* 425. *Vt ea ſuadeat diſſuadeatve Legatus.* 427. *Quæ de iis conſultanda.* 430. *Prætextus & occaſiones bellorum quæ præcipue accipiendæ.* 429.
Beneficentiæ vis maxima. 516.
Bœotii ut à Thracibus induciarum pactione decepti. 439.
Bonus Socius quis. 105.
Brævitas ſermonis laudatur. 576.
Brittannorum complexio & ingenium. 158.
Bruxellenſes cives ut Poloniæ Principem exceperint. 324.

C.

C*Aduceus unde dictus.* 133. *Quare Mercurio tributus.* ibid.
Celibatus Sacerdotum. 400.
Cærimoniæ in divino cultu apud exteros ſervandæ. 118.
Calliditas in rebus bellicis laudanda. 436.
Calumnia, & quæ per eam mala. 636. *An melius ea ſuperetur ſpernendo, an obſiſtendo.* 637.

Calumniis quibus magni miniſtri petuntur, non facile credendum. 317.
Cambyſes ut Legati ſui jus violatum vindicaverit. 351.
Cambyſis ſententia, qua ratione hoſtes ſuperandi. 223.
Candor & integritas Legato benevolentiam conciliant. 95.
Captivi etiam ad ſuos Legationibus funguntur non infeliciter. 93.
Cardinalis Bembi Veneti Legatio. 92.
Carneadis Athenienſium Legati eloquentia admirabilis. 135.
Carolus Audax chartam vacuam mandatorum loco cur Legatis dederit. 275.
Carolus IV. Imperator Electorum ſuffragia qua ratione emerit. 508.
Caſus fortuiti in negotiis Status vicini præcipitio. 291.
Catena fatalis rerum omnium. 506.
Caupo in Legati favorem quemvis alium jam admiſſum hoſpitem poteſt expellere. 385.
Cenſor morum domeſticis Magnatum adhibendus. 391.
Cenſura omnis odioſa, maxime circa minuta. 89.
Charta alba à Principe Legatis cur detur. 275.
In ea Principis nomen ſubſcribitur. ibid.
Circa eam rem quædam obſervatu digna. ibid.
Chartæ ejuſmodi albæ ſeu liberorum mandatorum tabellæ ſi corruptæ fuerint vel laceratæ
caſu

caſu quopiam, quid agendum Legato. 276. *Quid ſi omnino perditæ?* ibid.

Cicero ob linguæ Græcæ uſum cur reprehenſus. 568.

Clementia propria virtus Principum. 522. *Eam longe optimam in negotiis perplexis, Auguſti docetur exemplo.* 523.

Cogi debent qui importune quod rationi & neceſſitati conſentaneum, negant. 493.

Comes de Gondomar quam varias Legationes obierit. 363. ubi de ejus prudentia.

Comitas laudata. 84. 517. *Ea quidam decepti.* 608.

Comitis Legati quales. 382. *Alii privati, alii publici.* 383. *Secretorum invigilant indagini.* 387. *Quod ingenioſo declaratur ſtratagemate.* 396. *An juridice conveniri poſſint & puniri.* 366. 380.

Comiti nogotiorum aliquid ſubeundi oneris committendum relaxando animo. 382.

Communio animorum Reipub. neceſſaria. 296.

Condolendi officium ut per Legationem tempeſtive præſtandum. 498.

Conſcius ſecretorum ſemper timendus. 289.

Conſilium quod optimum. 611. *Et ibi quæ per Legatum conſilia danda Principibus, & qua ratione.* 613.

Conſilia Principibus magni facienda. 518. *E rebus ipſis ut naſcuntur, prudentis eſt eligere.* 269.

Conſilia & animi hoſtium tentanda, præſcienda, prævenienda. 419.
Conſiſtorium Romanum. 167.
Conſtantia Legato maxime neceſſaria. 195. *Quod exemplis aſtruitur.* ibid. & 202. & ſeq.
Conſuetudo lex legum. 119.
Conſuetudini obſecundandum. 88. *Quod & Legato licere docetur.* ibid.
Contentio plurium eodem munere fungentium, plerumque rebus præjudicat. 295.
Continentia. 72. *In Legato requiſita.* ibid. *Incontinentes quidam Legati ut puniti.* ibid. *Quod etiam moderno & faceto exemplo declaratur.* ibid.
Contractus ſi quos init Legatus Legationis ſuæ tempore, ſervanda loci ratio. 372.
Conventionibus & pactis publicis qui præſunt, ingenio excellere par eſt. 225.
Convitia & calumniæ vitanda Legato. 559.
Convivia quatenus admittenda Legato. 74. *Prodeſſe ſubinde, feſtivo docetur exemplo.* 76. *Regula in conviviis à Legato ſervanda.* ibid.
Corycæi aulici. 395. 498. & ſeq. *Erga ſuos liberalis ſit Legatus.* 398. *Ab externis ſibi caveat.* 498. *Iis clam, non palam utendum, & diſſimulanda cum eis familiaritas. Veſpertiliones ſint, ſint noctuæ.* 413.
Credulitas levitatis ſignum. 608. *Ea plebs facile decipitur.* 518.
Cri-

Crimina quæ puniri difficile aut ſine fructu, diſſimulanda. 366.
Criminationes à Principe ut non ſemper admittendæ, ita nec ſemper contemnendæ. 643.
Cupiditas Principum inſatiabilis. 507.
Curſores publici qui à Legatis emiſſi, nullius auctoritate retinendi. 626.
Curſus publici ſeu Poſtæ beneficio Legati gaudent. 380.

D.

D*Amna quæ per ineptos Legatos.* 20. & ſeq.
Debita abs Legato ante munus hoc contracta, eum Legationis tempore convenibilem non faciunt. 372.
Deceptio in ſecretis Principum aliquando licita. 463.
Dedere ſe volentes æquis conditionibus admittendi. 434. *Alioqui male ceſſiſſe pervicaciam, exemplis docetur.* ibidem.
Deditio, & qui ad eam cum honore procedendũ. 432. *Ejus formula apud Romanos.* ibid.
Deliberatio ſeria rebus magni momenti adhibenda. 214.
Delinquens ſub ejus juriſdictione cenſetur in cujus ditione delinquit. 357.
Delphinus anchoræ innexus quid antiquis. 211.
Demetrius Moſcoviæ Princeps ut Cromum urbem obſidione liberaverit. 421.

Demoſthenes ut feſtivo apologo Philippi Macedonis artes eluſerit. 290. *Ejus palla.* 122. *Eloquentia ejus ut pecuniariæ corruptelæ ceſſerit.* 411.
Dictatura perpetua I. Cæſari tyrannidis occaſio. 314.
Diffidentia in aulis Principum neceſſaria. 237. *ab ea omnis ſecuritas.* 241.
Diogenis Cynici aula volubilis. 208.
Diſcedere inſalutato Principe, Legato non licet. 416. ubi cujuſdam Principis ob eam cauſam indignatio.
Diſciplina militaris pluris facienda quam victoria. 267.
Diſsidia in rebus Status non ſubito ſed paulatim componenda. 441.
Diſsimulatio facinorum in negotiis Status quandoque utilis, quandoque non item. 454. 523.
Ditionis novæ adipiſcendæ modi varii. 507.
Diviſio ſeu diſcordia procuranda inter capita ſeditionis. 456. *Quod Sixti V. firmatur exemplo.* 457.
Doli tegendi ſunt. 397. *Legationibus familiares.* 420.
Dolus dolo eludendus. 364
Domeſtici frequenter maximi inimici. 385.
Domus Legatorum aſyli inſtar eſt. 375. & ſeq. *In eam ſatellitibus vim facere aut impetum non licet.* ibid.

E.

EBrietas damnata. 77. Ea ut à quibuſdam ingenioſe vitata. 78. Ejus periphraſes. ibid. Germanis familiaris. 80.
Eccleſiæ Chriſtianorum aſyla ſunt. 376.
Edicta ambigua & leges iræ. 527.
Eduardus Angliæ cur Legatum ſuum Ethevoldum necari curaverit. 473.
Electio Legati. 17.
Eloquentia. 132. Quanta ejus vis. 333. An deceat Principes. ibid. Ea Legatorum numen. 144.
Epiſtola quid ſit, & qualis eſſe debeat. 617. & ſeq. In iis quæ ad Principem ſcribuntur, abſtinendum à narratiunculis rerum parvi momenti. 618. Frequentia Legatis commendatur. 622. Quæ adhibenda cautela. 624.
Epiſtolarum frequens inſpectio & lectura Principibus ut proſit. 625. Inſcriptionis habenda ratio. 628. Vt occulte ſcribantur. 632. Quæ in iis deceptiones. 634.
Eques quidam Legationis ſpecie ut relegatus, 263.
Eraſmus dum intempeſtive jocatur, contemnitur. 137.
Eremitæ habitu quidam Aulæ cujuſdam ſecreta rimatus. 398.
Eruditio commendatur. 124. Alphonſi Regis in ejus laudem apophthegmata. 128.

Eumenes ut periculum capitis diſſimulando evaſerit. 524.

Excipiendi externos Principes vel Legatos forma & conſuetudo. 320. & ſeqq. ubi multa quæ in hanc rem pro hodierna praxi conducunt.

Exempla Principum quam efficacia. 528.

Experentia. 24. *Ea Legato inprimis neceſſaria.* ibid. &. 130. *Quod exemplis demonſtratur.* 25.

Exploratores & ſpeculatores liberaliter habendi. 398.

Exteri à publicis novæ ditionis muneribus cur arcendi. 398.

F.

FAcetiæ aliquando commendabiles. 136. *Auctorem ſuum non raro riſui & contemptui exponunt.* 137. *Periculo etiam.* 139. *Scurriles & ambiguæ vitandæ.* 137. *Quædam opportunæ, & adeo gratæ, quod exemplis manifeſtatur.* 140.

Factio provincialium inter ſe ruinæ occaſio. 509.

Fama. 27. *Ea bona & ſolida à ſola virtute.* 29.

Familiaritas nimia vitanda. 86. *Ea quam efficax & violenta.* 316. *Quam periculoſa.* 382.

Famuli priuſquam in familiam admittantur accurate noſcendi. 386. *Fideles & gnavi premo-*

movendi. ibid. *Eorum copia ut & aſſeclarum Legatis honorifica.* 389. *Aliquando ſuſpecta.* ibidem.

Favor Principum inconſtans & incertus. 666.

Favorem ab externo Principe qui exſpectat, non recte ad eum Legatus mittitur. 312.

Felicitatis humanæ inconſtantia. 495.

Felicitas quorundam fatalis. 243. *Exemplis oſtenditur.* 244. *Vnde ea ſit vel oriatur.* ibid.

Felicitas magna mortalium pleroſque corrumpit. 315.

Feminæ aliquando Legationibus adhibitæ. 401. *Etiam rerum graviorum adminiſtrationi.* 402.

Feſtinandum lente in rebus magni ponderis. 211.

Fides Legato quam neceſſaria. 31.

Fidei ſimulacrum & myſterium. 32.

Fiducia nimia periculo obnoxia. 289.

Florentinorum Legatorum conſtantia. 305.

Fœdera, & unde ea dicta, & quot eorum genera. 476. *Conditiones.* ibid. *Vtilitas.* 475. *Diverſitas.* 478. *Penes quem fœderum paciſcendorum poteſtas.* ibid. *Qui ſuadenda vel diſſuadenda* 481. *Datur etiam eorum protector.* 483. *Ritus antiquorum quibus feriri conſueta.* ibid. ubi de Chriſtianorum Principum hodierno uſu. *An cum infidelibus ineunda.* 486.

Forma præſtantes in muneribus publicis præferendi. 51. *Quod exemplis oſtenditur.* ibid.

Fortitudo à Pompeio exerta ne ſecretum proderet. 199.
Fortuna adverſa ſæpe utilis. 190
Fortunæ ſuæ quilibet faber eſſe poteſt. 245.
Franciſcus Cappellus Venetorum ad Imperatorem Legatus, cur Capuæ comprehenſus & ægre abſolutus fuerit. 368.
Fratrum nomen cur inter Reges uſitatum. 470.
Fraus fraude repellenda, & dolus dolo eludendus. 364.
Fraus ubi aliquando neceſſaria quomodo tegenda. 107.
Frons, oculi, vultus ſæpe mentiuntur. ibidem. *Quod in pleriſque mortalium locum habet.* 239.
Funus Legatorum vita defunctorum etiam ab hoſtibus curandum. 379.
Futura ſciunt qui præterita cognoſcunt. 215.

G.

Gallorum mores & ingenium. 157.
Gandenſes obſidione cincti, obſidentes graviter graviterque cædunt. 433.
Garrulitas notatur. 578. & ſeqq.
Genius variarum nationum. 157.
Gentium variarum mores. 153. & ſeq.
Gratitudo commendata. 102.
Gravitas morum æſtimatur. 86.

Here-

H.

Hæreſis ſerpit niſi reprimatur. 455.
Helenæ Ruſſorum Reginæ crudele facinus. 352.
Henricus IV. Galliæ Rex Eccleſiæ Catholicæ reconciliatus obviam procedit Legato Cardinali. 322.
Heraldus ſeu Rex armorum. 5.
Hermolaus Barbarus tacitis ſuffragiis à Venetis cur capite damnatus. 650.
Hipſicrateæ erga maritum Mithridatem ſingularis & conſtans amor. 403.
Hiſpanorum genius. 157.
Hiſpanicæ libertatis in Legatis egregia exempla. 204. & ſeqq.
Hiſtoria laudata. 124.
Hoſtium animi obſequiis demerendi 369.
Hoſtium Legati caute obſervandi & ſuſpecti habendi. 336. *An publice audiendi.* 363. *Quomodo excipiendi, admittendi, deducendi.* 337. *Apparatus bellicus ſi formidabilis, iis exhibendus, veterum aliquot exemplis.* ibid. *Aliquando in urbem non admitti conſultum.* 339. *Facultatem provinciam ingrediendi poſtulare debent.* 312. *Tranſitus per ditionem utiliter negatur.* 368. *Etiam arma ponere jubentur.* 341. *Quid de perduellium & hæreticorum Legatis?* 347.
Humanitas & morũ facilitas commendata. 86.

Hun-

Hungari ob pernegatam pacem crudeliter in Italos ſæviunt. 450.

I.

*I*Actantia cujuſdam ſcioli. 105. *Idioma vernaculum nationibus quibuſvis variarum altercationum frequens occaſio.* 569.
Jeſualdi Longobardorum Legati conſtantia & fides. 195.
Ignominia maxime Magnatibus vitanda. 110.
Imperium ut opinione & artificio non raro optime conſiſtat. 109.
Improbi à publicis muneribus arcendi. 2. *Iis tantum occaſione opus.* 279. 394.
Inceſſus viri Principis ratio. 111
Inclinationes & genii præcipuarum Europæ nationum. 155. & ſeq.
Inconſtantia & mutabilitas rerum humanarum. 506.
Indoles plebejorum. 485.
Induciæ, & cur eæ Pax ſequeſtra nominatæ. 338. *Quomodo ſuadendæ.* 439. & ſeq. *Suſpicione carere debent.* 440. *Qui ea ex animis hoſtium expellenda.* ibid. *Ad Induciarum pactiones nimium Martiales non admittendi, nec item juvenes.* ibid. *Ad pacem viæ ſunt, & quæ ex iis bona.* 441. *Quomodo ſtabiliendæ.* 443. *Earum conditiones.* 445.
Infamiam ut incurrerit Legatus quidam,

quod privato, cuipiam apud Principem externum negotio ſe immiſcuiſſet. 310.

Infelicitas quorundam fatalis, 244. *Ea plerumque à vitiis, ut felicitas à virtute.* 246.

Infelicitas ſæpe felicitatis occaſio. 191.

Ingenium naſcitur, non fit, ſed arte excolitur. 220.

Ingenia quædam non magnis ſed minutis rebus idonea. 25.

Ingenia vivacia & acuta in rebus Status periculoſa. 385.

Ingenia acria rebus agendis non ſemper idonea. 225.

Ingeniorum quorumdam ad quidvis feliciter agendum dexteritas. 245.

Inimici beneficiis reconciliandi. 525. *Eos aliquando recte primos adiri, & ſic præveniri.* 435.

Injuriam privatam ut vindicare noluerit Ludovicus XII. Gallorum Rex. 365.

Injurias diſſimulare, prudentis. 83.

Inſtructio falſa erroris occaſio. 364.

Inſtructio Legati quæ. 257. *Ejus accurata habenda ratio, ne limites tranſiliantur caſſo effectu.* 158. *Quomodo fiat, à Principis pendet arbitrio, eſtque ex Imperii arcanis.* ibid. *Publica alia, alia occulta.* 258. *Publica an ſemper publice exhibenda.* ibidem. *Quid ſi exhiberi petatur, & an exigi externo Principi ſemper expediat?* 259. *Quin ſubinde etiam*

etiam cum induſtria Legatus eam exhibere dabit operam. 260. *In rei fidem ſigillum Principis apponitur.* 260. *Inſtructio occulta domi ne relinquenda tutius, an peregre conferenda.* ibid. *In obſcurioribus diligenter inſtruendus à Principe Legatus.*261. *Ambiguæ inſtructiones quando adhibendæ.* 262. *Adhibitæ aliquando in Legatorum pœnam.*263.

Integritas quibuſdam ad ſumma gradus. 39.

Interpretes in rebus magni ponderis, periculoſi. 144. *Legationibus explicandis aliquando adhibiti.* 570. *Id non ſemper conſultum, ſed & hallucinationibus plenum.* 571. *Quales adhibendi, & quo habiti honore.* 573. *Quæ Romanorum hac in re conſuetudo.* 575.

Inviti ad munera publica ſuſcipienda cogendi. 43. *An id conſultum.* 44.

Ioannes Franciſcus ex Comitibus Guidiis à Balneo, apud Belgas Nuntius Apoſtolicus. 251. *Ejus in creatione Pont. Max. Vrbani VIII. publica lætitia.* 113. *Per Gallias iter faciens, à prædonibus pretioſâ ſupellectile ſpoliatus.* 380.

Iſmeniæ Thebani callidum factum ut honori gentis ſuæ conſuleret. 554.

Italorum genius. 158.

Iter facienti Legato per externi Principis ditionem facultas petenda. 367.

Iudicio naturali quidam valent qui rebus agendis maxime idonei. 130.

Iuriſ-

Iuriſdictio qualis Legatorum in ſuos domeſticos. 373. *Ea non deſpotica, ſed œconomica.* ibid.
Ius gentium Legati quando violant, Iure gentium conveniendi. 361.

L.

L*Ares viales.* 367.
Lazaracus Comes quo facto Legatis Tartarorum ſine voce reſponderit. 599.
Legati etymon. 3. *Qui eligendus.* 4. ibid. *Sed optime.* 17. *Varia pro rei gerendæ varietate appellatio.* 5. ubi de Heraldo ſeu Rege armorum.
Legatus proprie quis. 6. *Cur mittatur.* 252. *Alii publici, alii privati: item Ordinarii & Extraordinarii.* 253. *Quidam Legati Apoſtolici.* 249. ubi de Legatis à latere, Nuntiis, & Legatis natis. *Qui Agentes, & quod eorum munus.* 8. *Qui Commiſſarii.* ibid. *Qui denutiatores.* ibid. *Deputati.* 9.
Legatus eſt imago Principis. 11. *Ejus dignitas e Sacro textu adſtruitur.* ibid. *Neceſſitas.* 13. 349. *Eligendus qui aptiſſimus.* 18. *Etiam invitus.* 19. *An id conſultum.* ibid. *Saltem opinione ſit probus.* 27. *Ejus fides.* 31. *Principi ſuo ad amuſſim obediat.* 39. 511. *An etiam quando illicita mandantur.* ibid. *Eorum apud quos agit ſe accommodet humoribus.* 87. 582. *Non ſit invíſus*

ei ad quem mittitur. 90. *Cærimonias externorum obſervet.* 99. *Etiam titulos magnatum quibuſcum agendum.* 101. *Nemini aduletur.* 102. *Fidem & ſinceritatem aliorum prudenter dijudicet* 106. *Suam illæſam conſervet.* 107. *Quid ſi fraus adhibenda pro rerum momentis.* 108. *Non tam literatus ſit quam expertus & rerum agendarum peritus.* 130. *Inutiles multas ingenii & ſtudiorum occupationes negligat, & quales præcipue.* 131. *Sit facetus, non dicax.* 136. *Scommata vitet & dicteria.* 137. *Cum Principe quem adit, non jocetur.* 16. *Præſertim ſi id cum Principis ſui dedecore.* 141. *Linguarum ſit peritus.* 142. *Scriptionis etiam.* 145. *Prudentiam ſibi in primis neceſſariam à Deo aſſidue efflagitet.* 147. *Quarum rerum peritia in eo maxime requiratur.* 146. *Nationum genium & ingenium diſcernat.* 157. *Quid in variis Principum Aulis potiſſimum obſervet* 161 *Peregrinationes objerit.* 188. *Adverſa paſſus ſit.* 190. *Animoſus & intrepidus.* 193. 198. *Spectacula non adeat.* 108. *Premat altum corde dolorem.* 110. *Vultu ſit libero, & exporrecta fronte.* ibid. *Principis ſuis felicibus ſucceſſibus publice congaudeat.* 112. *Auctoritatem ejuſdem ubique tueatur.* 114. *Quis apparatus rei familiaris.* 116. *In Religionis negotio patrios mores accurate obſervet, nec mutet.* 119. *Quid ſi id aliquando*

quando

quando neceſſarium? feliciter ſubinde factum, exemplis docetur. ibid. *Sit eruditus, & Hiſtoriarum præcipue lectioni deditus.* 124. *Tempori ſe accommodet.* 208. *Feſtinet lente.* 211. *Tarditatem tamen nimiam vitet.* 213. *Memoriam maxime excolat.* 216. *Ita promittat quod promittit, ut Principi ſuo facile pateat, ſi opus eſt, evaſio.* 220. *Simulet & diſſimulet.* 226. *Verus tamen, & verax audiat, etiam ſicubi non erit.* 231. *Quibus modis mentiri eum contingat.* 232. *An neceſſitate coactus externo Principi poſſit imponere.* 233. *Imponit multis modis.* 421. *Non omnibus, imo paucis fidat.* 237. 382. *Secretorum tenax.* 240. *Qui tuto agat ne fallatur ab officioſis & familiaribus.* 242. 383. *Qui in iis quæ per alios agenda.* 243. *Quomodo exequetur quod à Principe ſuo ambigue mandatum.* 258. 264. *Quomodo in dubiis inſtructionis ſuæ à Principe doceri ſe procuret.* 261. *Ad formulam agat in mandatis quæ limitata.* 265. *Quam pœnam ſubeat ſi mandata tranſilierit.* ibid. *Quid ſi hæc formula Inſtructioni inſerta*, Cetera prudentiæ ac fidei tuæ committimus? 268. *Vbi tempus ſuppetit, in dubiis Principem ſuum conſulat.* 270. *Ne tamen hac anxietate occaſionem elabi patiatur.* ibid. *Sed an Legatus extraordinarius, qui peculiare tantum mandatum accepit, miſcere ſe poſſit nego-*

tio ſibi non commiſſo. 271. *Principis ſui non imperium modo ſed etiam ingenium ſpectet, omniaque pro ejus utilitate maxime moliatur.* 277. *Quid agat, ſi ſecus quam in mandatis habet, agendum utilitas Principis dictet?* 277. *In Principis ſui cauſa ſermone potius quam ſcripto utatur.* 280. *Quæ promittuntur, ſcripto tradi curet.* ibid. *Literis credentiæ ſit inſtructus, alioquin ſuſpectus futurus, imo forte non admittendus quorundam exemplo.* 283. *Legationem non exponat, niſi ei ad quem miſſus: & quid ſi ille interim è vivis ereptus?* 284. *An nullo caſu aliis Legatio exponenda.* 284. *Subinde à Principe ſuo ipſemet decipiendus.* 287. *Arcanorum ſuorum neminem conſcium efficiat.* 289 &. ſeq. *An conſultum Legatum à Principe ſuo falli.* 291. *Vnuſne mittendus an plures.* 293. *Cur conſultius unus.* 295. *Quid ſi tamen plures miſſi, & aliquis interim è numero inter vivos eſſe deſiit?* 299. *An qui ſolus miſſus, ſi legitime impediatur, alterum Legationi perficiendæ poſſit ſubſtituere.* 300. *An unus plures Legationes ſimul obeat.* 303. & ſeq. ubi multis diſceptata hæc inſignis quæſtio. *Legatus nec ſuis nec aliorum privatis negotis, ſed tantum Legationi ſuæ invigilet.* 310. 332. *Perpetuuſne ſit, an annuus.* 313. *Officii ſui frequenter monendus.* 315. *Si ſuſpectus, prudenter & caute avocan-*

candus. ibidem. *Ordinario cur Extraordinarius frequenter ſuperveniat*. 219. *Quomodo excipiendus*. 320. *Id publice fit, etiam hodierno more*. 328. *An ei expenſæ dentur, item an ſemper domus aſſignetur*. 329. *Si ab hoſte miſſus, qui cum eo agendum*. 336. *Facultatem externi Principis ditionem intrandi ſemper obtinere conſultum*. 339. *Cur inviolabilis*. 347. *Sed quid ſi conſenſu & conſilio ſui Principis Legatus deliquerit, poteritne violari?* 357. *Ut offendi non poteſt, ita nec offendere*. 358. *Ut in crimine deprehenſus, ſe excuſet*. 361. *An inviolabilis, ſi per non amicorum aut non confœderatorum provincias ad amicos iter faciat*. 367. 418. *Quid ſi ad hoſtes?* 368. *Quid ſi ad eunda gens non inimica ſolum, ſed fera & fallax?* 418. *Quid ſi aditu prohibeatur, & nihilo minus acceſſerit?* 370. 419. *An civiliter conveniri poſſit*. 371. *Legibus communibus locorum non eſt ſubjectus*. 372. *In contractibus ei ſervanda loci ratio* ibid. *An plenaria utatur juriſdictione in domeſticorum ſuorum mores & vitam*. 373. *Queis gaudeat prærogativis*. 375. *Reorum & facinoroſorum exemptioni non facile ſe immittat*. 376. *Quid ſi reus Legati culpa deliquerit?* ibid. *Miſſæ Sacrificium ejus ædibus privatim permiſſum*. 378. *Curſus publici ſeu Poſtæ gaudet privilegio*. 379. *Quid ſi nau-*

ſi naufragium paſſus, vel in prædones inciderit, quis indemnem præſtet. 380. *Quos aſſeclas & comites habeat, & quinam cum iis verſetur* 383. & 389. *Magnatum convivia non declinet, ſed decore hoſpitalis audiat.* 387. *Vt à coryceis ſibi caveat.* 529. *Vt econtra eorum opera prudenter utatur.* 396. *An uxorem in Legatione obeunda ſecum ducat.* 399. *Sed an ſi uxor comes itineris, ſit etiam futura muneris.* 405. *An & quando ad hoſtes Legatus mittendus.* 406. *Liberaliter in uſus ſecretos expendat.* 410. *Aliquando Legationem ſtatim expromere jubendus.* 413. *Inſalutato hoſpite Principe non diſcedat.* ibid. *Vt bella ſuadeat diſſuadeatve.* 226. 431. 448. *Vt in deditionibus ſe gerat* 432. *Quæ ejus in induciis conponendis induſtria.* 439. *Qui in pace concilianda procedat.* 445. *Qui in ſeditionibus,* 452. *Quod ejus in Principum matrimoniis officium.* 464. 471. *Quod in fœderibus ſtabiliendis.* 479. *Vt in iis faciendis conſtanter agat.* 492. *Vt prudenter.* ibid. *Qui culpam aut calamitatem deprecetur.* 494. *Vt per eum munera offerantur.* 505. *Principatui ſtabiliendo, firmando maxime det operam.* ibid. *Quomodo ad Principem admittatur.* 532. *Aliquando non admittitur.* 535. *Sed eam difficultatem qui evincat.* ibid. *Priuſquam à Principe admittatur, neminem adeat viſitetve.* 537. *Vt in ſedendo Principis*

ſui

ſui prærogativam aſſerat. 544. *Vt hac in re honori ſuo, ubi periclitatur, caute conſulat.* 554. *In concurſu aliarum Legationum præcipue infeſtarum, primus audiri procuret.* 555. *An id ſemper conſultum.* ibid. *Quid agendum ſi Magnati cuipiam, qui pedes incedat, fiat obviam rheda vel equo vectus Legatus, & ſermones cum eo ſint conferendi.* 557. *Qui in mandatorum Principis ſui enuntiatione ſe gerat.* 558. *Vt ſibi graviter in externi Principis quantalibet majeſtate verendi præſentia conſtet, nec vel tantillum excidat.* 564. *Quo utatur idiomate.* 569. *Liceatne adhibere qui ſermonem interpretetur.* 569. *Qualis ejus ſermo.* 575. *Coram Principe numquam niſi præmeditatus loquatur.* 579. *Sermonem aliquando ex arte ut interrumpat.* 581. *Vt item profundat pro occaſione.* ibid. *Vt commoditatem opportunam adeundi Principis obſervet.* 585. *Quid ſi Princeps oratione ejus offendatur?* 586. *Vt ſua occulat, dum aliorum ſecreta expiſcatur.* 588. *Quis dicentis habitus.* ibid. *Vt reſponſum à Principe ſuper ſermone ſuo exſpectet.* 590. *Quid ſi illud ambiguum & ænigmaticum?* 592. *Quid ſi interrogatorium?* 593. *Quid ſi per ſilentium, nutus, ſigna?* ibid. & ſeq. *Quid ſi violentum?* 403. *Quid ſi argute quid objiciatur?* 607. *Reſponſum minax renuntiare Principi ſuo in ſe non ſuſcipiat.* 608. *Sed an ſuſcipiat alte-*

rius ad ſuum Principem mandata? 609. *Vt in conſiliis Principi ſuo ſuggerendis ſe gerat.* 613. *Vt conſilia aliorum admittat.* 616. *Quid ſi ipſe qui aditur Princeps conſilium à Legato petat?* ibid. *Quod ejus officium epiſtolare.* 617. *Vt in novis rumoribus perſcribendis ſibi prudenter moderetur.* 620. *Cum ceteris ſui Principis Legatus alibi reſidentibus, literarum officio communicet.* ibidem. *Quæ in literis ſcribendis adhibenda cautela.* 621. *Quid de domeſticorum ejus & externorum epiſtolis.* 627. *Scriptorum ſervet exemplaria* 629. *Quid de literarum externi Principis exemplaribus?* ibid. *Quæ ſervari non poſſunt niſi cum periculo, igni tradenda.* 630. & ſeq. *Vt Secretariis ſuis non nimium fidat.* 631. *Occulte ut ſcribat.* 632. *Vt ita ſcripta interpretetur.* 634. *Calumniam an ſuperet melius, ſpernendo, an obſiſtendo.* 637. *Quid ſi Principis ſui honori derogetur?* 649. *Quid ſi nomen alicujus ipſe Legatus ſubvertere juſta cauſa jubeatur?* 644. *In patriam reditus ſit feſtinus,* 645. *Sed an redeat à Principe ſuo non vocatus?* ibid. *Comitatui ejus arma in itinere permiſſa.* 646. *Amici in itinere ſalutandi: cum inimicis qui agat.* ibidem. *Vt oblata ſibi à Principe munera non gravate acceptet.* 647. *Corruptelam ut evitet.* 649. *Sed an ſemper Lautia ſeu munera admittenda?* 651. *An quæ dantur, Legati ſint,*

ſint, an Principis à quo miſſus. 653. Vtrem Legatione geſtam Principi ſuo fideliter renuntiet. 655. Stipendium ei pro dignitate perſolvendum. 662. An impendiorum ratio à reduce petenda. 664. Laboris præmia. 665.

Legati Auguſtales, proconſulares, Prætorii, Tribunitii, &c. 10.

Legati Obedientiæ & Reſidentiæ, eorumque agendi ratio. 167. & ſeq.

Legatio nulli quam ei ad quem miſſa, exponenda. 284. An id nullo caſu liceat. ibid. Deinde nulli niſi à quo miſſa renuntienda. 538.

Legatio ad Regnantem an ad Regnum mittatur intereſt. 284.

Legatio libera quæ. 285. Cur ea Scipioni Naſicæ aliiſque decreta. ibidem. Non videri eam publici muneris honore dignam. 286.

Legatio à miniſtrorum & comitum æſtimata frequentia. 388.

Legatio quando dicatur peracta. 647.

Legationes ſubdole inſtitutæ. 255. Qualis Turcæ ad recuperandam Terram ſanctam. ibid.

Legationes piæ quæ. 187. Sacræ, profanæ, mixtæ. 251.

Legationes vario prætextu. 254.

Legationes ordinariæ cur hodie in uſu. 317. A primo inſtituto ut jam abeant. ibid. Plus plerumque ab iis damni quam commodi. 318. Apud Romanos rariſſimæ. 319. Quis inter Chriſtianos primus eas miſerit. 320.

Legationes gratuitæ. 663. *Gratulatoriæ.* 496. *Doloſæ.* 420. *Suſpectæ.* 421. *Ad inimicos.* 406. ubi de variis circa eas cautelis; de quibus etiam. 423.
Legationes olim editæ iiſdem verbis quibus injunctæ. 268.
Legationum ſpecie multi relegati. 263.
Legationum jus cur inviolabile. 350. *Ejus violati pœnæ.* ibid.
Legationum cærimoniæ variæ. 253.
Legationum munere ad ſcelera & fraudes quidam abuſi. 357.
Legationibus an ſe immiſceat uxor Principis. 406.
Legativum. 379. 663.
Legibus municipalibus Legatus peregre non eſt ſubjectus. 372.
Lex Salica Gallorum. 474.
Leo Byzantius qua facetia Athenienſibus Pacis auctor fuerit. 462.
Libelli diffamatorii comburendi. 641. *Iis plebs ut plurimum decipitur.* 642. *An ſemper tollendi.* 644.
Liberalitas laudata. 65.
Libertas magnanima quorumdam Legatorum. 202. & ſeq.
Libertatis defenſio, juſta belli occaſio. 429.
Liberi ſeu proles Legatorum legatione nati patriæ ac domus ſuæ privilegiis non privantur. 379.
Libris ſcribendis quidam inepti ſunt, qui orationi-

tionibus pronuntiandis idonei, & contra. 583.

Linguarum peritia commendatur. 142. *Magnatibus neceſſaria.* 143. *Vt facile obtineatur.* 145.

Lingua Latina ex Imperii Romani arcanis. 568. ubi alia de hujus linguæ uſu & præſtantia. 569.

Linguæ intemperantia multis multorum malorum cauſa. 580.

Litteræ Credentiæ quæ. 281. *Quanti momenti.* 101. *Sine illis nulla mandatis fides vel auctoritas.* 282. *Variæ earum formulæ.* ibid. *Quod inter eas & mandata diſcrimen.* ibid. *Inſpiciendæ & diſcutiendæ diligenter, ne quis dolus lateat*; 283. *Vim habere deſinunt, cum morte Principis à quo vim ſortitæ.* ibid. *An ſemper exhibendæ.* ibid.

Litteræ non ſemper tutæ. 13. 278. *In negotiis Status periculoſæ.* ibid. & 280. *Earum uſus cur in libellis ſupplicibus, item in contractibus.* 279.

Litteræ mandatorum cur certo aliquando loco tantum reſerandæ & legendæ. 287.

Literiones & qui tantum ſibi ſtudent ſapiuntque, taxati. 129.

Lites & rixæ vitandæ Legatis. 83. *Eos litibus inquietare prohibitum.* 372.

Livonia ut ad Polonos devenerit. 490.

Loquacitas quorundam à natura. 238. Per quos ne prodatis inſtructionem vide. ibid. *Plerum-*

rumque inſipientiæ ſignum. 577. *Eam propter uti Samiorum Legati illuſi.* ibid.
Loquela hominem manifeſtum facit. 581.
Lotio perfundi corycæus quidam non gravatus, ut ſecreta tutius rimaretur. 395.
Ludovicus XI. Galliæ Rex cur Muſicos Anglorum Regi Henrico dono miſerit. 503.

M.

Magiſtratus quilibet ut auctoritatem ſuam tueatur. 639.
Magiſtratus cauſam legis una cum lege cur non ſemper promulget. 519.
Magiſtratus hominem declarat. 26.
Magiſtratus quis melior, annuus, an perpetuus. 113.
Magiſtratus cur ſæpius mutandus. ibid.
Magiſtratus quo ad Legati habitationem, ſupellectilem, &c. *ſollicitudo.* 378.
Majeſtas raritate conſiſtit. 302.
Maledicentia ſæpe non tam caſtiganda quam ſpernenda. 641.
Malus & perfidus qui audit dum non eſt, ſæpe etiam talis eſſe ſtudet. 330.
Mandata, & eorum varia diviſio. 264. ubi de mandatis ſtrictis ac definitis, liberis & abſolutis, manifeſtis & occultis, &c. *Quæ liberorum mandatorum forma.* 265. *Auctoritas eorum magna.* 274. *Limitate neutiquam tranſilienda.* ibid. *Quam pœnam ſubeat*

ſubeat qui tranſgreſſus. ibid. *Mandato generali ea non intelliguntur, quæ peculiare mandatum exigunt.* 268. *An uni mandato ita aſtrictus Legatus extraordinarius, ut aliis ſe non poſsit immiſcere.* 271.
Mandata quantumcumque libera; ſemper tamen ſic intelligenda ut pro honore & commodo mandantis intelligantur. 276.
Mandata non ſcripta: & qualia illa. 278. *Quid item literæ Credentiæ.* 281.
Mandatorum loco cur chartam vacuam Carolus Audax Legatis ſuis dederit. 275. *Ejus rei adhuc hodie uſus, & quare.* ibid.
Mandatorum vim & energiam aliquando conſulto ignorat Legatus, & magis etiam populus. 519.
Matthæi Palmerii Florentini Pharmacopolæ & dein Legati eruditio ab Alphonſo Rege commendata. 124.
Medicos multos eidem ægro adhiberi inconſultum. 298.
Megaclis Meſſenii inſigne factum. 196.
Memoria, & ejus periphraſes. 216. *Ea magnopere commendata.* ibid.
Mendacia vitanda. 231. *Eorum tria genera.* 232 *Quædam excuſantur, etiam laudantur.* 235.
Mendacium liberum ſeu officioſum. ibid.
Menſa rotunda varii Principes à Magiſtratu quodam excepti. 235. ubi de ingenioſo ambitionis certamine.

Menſæ liberaliter adhibendos Legatos, exemplis variis docetur. 333. & ſeq.
Miniſtri Principum quales ſunt, tales politicorum negotiorum eventus. 2.
Miſſæ Sacrificium privatis Legatorum ædibus permiſſum. 378.
Modeſtia commendatur. 558.
Modeſtia cujuſdam in tenui, inſolentia in pinguiori fortuna. 122.
Moriones in Aula etiam demerendi. 153.
Mors contemnenda. 189. *Maxime Legato.* ibid.
Mulieres viris plerumque in rebus agendis impedimento. 400.
Mulieres ſecretis virorum, quorum affectum tenent, ſciendis aptæ, celandis ineptæ. ibid. 406.
Munera publica improbi non obeant. 2.
Munera Principum per Legatos mittenda. 499. *Ea ſplendida ſint, & pro dignitate mittentis, ejuſque ad quem mittuntur.* 502. *Sint rara & cara, item duratura, ut facta ſuo docuit Maximilianus I.* 503. *Quæ ab hoſtibus mittuntur quo loco habenda.* 504. *Non mittenda quæ exprobrationem ſapiant.* ibid. *Iis debetur remuneratio.* ibid. *Quando, quomodo, & cui porrigenda.* 505.
Munera corruptelæ occaſio. 650. 664. *Iis etiam ipſi qui dant nonnumquam decipiuntur.* 652.
Munificentia Principum erga miniſtros quam neceſſaria. 668.

Mutabilitas & inconſtantia ingenii humani. 315.

N.

N*Aturæ defectus arte ſupplendi*. 109. *Quantum fieri poteſt tegendi*. ibid. & ſeq.

Navarræ Regnum qui ad Hiſpanos pervenerit. 223.

Neceſſitas nulla ab aſtris. 246.

Neceſſitas excuſat ſæpe repentina conſilia. 270.

Neceſſitas fidei aut Religionis tuendæ juſta belli occaſio. 430.

Negotia varia varios Legatos deſiderant. 22.

Negotia privata Legato ſeponenda. 310.

Negotiis privatis legationis dignitas hodie ut olim non prætexitur. 285.

Negotiorum pondus Legatum ſæpe poſtulat. 24.

Nobilitas in Legato neceſſaria. 48. *Præfertur quæ antiquior Nobiliſtæ*. 49.

Nuntii Apoſtolici dignitas, præeminentia, officium. 248.

Nuntia mala cur plerumque diſſimulanda. 657. *Ea referre, multis exitio fuit*. ibid.

Nuptiæ Principum, & quæ in iis præcipue ſpectanda. 464. *Quæ per eas bona*. 466.

O.

OBedientia Principi à Legato exhibenda, 39. *Sed an etiam quando Princeps illicita mandat, multis diſcuſſum.* 40. & ſeq.

Obſequia Legato adventanti qualia præſtanda. 317. ubi de obſequiis obviam procedendi. *Qui mos etiam Antiquorum exemplis adſtruitur.* ibid. & 331.

Obſequia exceptionum Principi accurate ſignificanda. 326. *Excipere clanculum exterorum Legatos, Romanis crimen læſæ Majeſtatis.* 327.

Obſeßi ut callide ad deditionem inducendi. 436. & ſeq.

Obſides teneri poſſunt eorum Legati à quibus injuria timetur. 364.

Obviationis obſequia. 321. *Eorum utilitas.* 344. *An Principes aliquando obviam alicui procedant.* 322. *Hic honor ab Sereniſſima Hiſpaniarum Infante Iſabella Vladiſlao Poloniæ Principi exhibitus.* 324.

Obviam procedens alicui Principis ſui nomine ut ſe gerat. 322. *Qualis is eſſe debeat.* 344.

Occaſio in rebus agendis maximi momenti. 110. 269. 304. 558.

Octavius Viſconti Sereniſſ. Infantis nomine extra urbem obviam procedit Vladiſlao Poloniæ Principi. 324.

Odium

Odium alteri ut per legationem conciliandum. 498.
Odium à ſe ut repellat Legatus. 566.
Oeconomus Legati, & quid ei incumbat. 384. & 394.
Opinio pro obſidione aut deditione, maximi momenti. 437.
Opportunitas ſoror bonæ ſortis. 210.
Oppreßi juvandi. 489.
Oppreßi quidam nimiâ recipiendi auxilii fiducia. ibid. & ſeq. *Quod variis docetur exemplis.* ibid.
Oratio quæ vere pulchra. 135. *Suſpecta, quæ nimis elaborata; quod Carneadis Athenienſis adſtruitur exemplo.* ibid.
Oratio ex dicentis habitu ſæpe æſtimatur. 588.
Oratio accommodanda tempori, loco, perſonis. ibid. 595. & ſeq.
Orator â quanam oratione dictus Legatus. 117.
Os Regis eſt Legatus. 348.
Oſtentatio luxus & divitiarum, periculoſa. 338.
Oſtraciſmus Athenienſium. 263.

P.

P*Ax, & ejus bona.* 445. *Ejus in Vrbe templum & ſimulacrum.* 449. *Conditiones quibus ineatur.* 451. *Ejus inſtrumenta præcipua & internuntii Legati.* 566.

Petentibus an concedenda. 428. *Pacem petenti cur bellum parandum.* 423. *Imperiis Regniſque ſæpe damnoſa.* 442. quod ibidem variis edocetur exemplis. *Pax domeſtica an vicinis bellis procuranda.* 431.
Patria abeſſe numquam cenſetur Legatus. 371.
Paupertas. 63. *In Legato damnata.* ibid. *Magnum emergere volentibus impedimentum.* Ibid.
Peccatum ut excuſes, de quo ſuſpectus vel etiam convictus. 361. & ſeq.
Pecuniæ obediunt omnia, etiam vel maxime in rebus Status. 398. 410. *In uſus ſecretos ut expendatur.* 408. *Ejus ratio à Legato cur non facile petenda.* ibid. *Multa de hujus metalli efficacia vide* 409. & ſeqq.
Peregrini à Legationibus arcendi. 46. *Eorum tamen opera in quibuſdam utilis.* ibid.
Perfidia in Principum miniſtris quam deteſtabilis. 32. *Exemplo Campobachii.* 36.
Periurium Principi maxime vitandum. 440.
Perſarum Rex ad Clementem VIII. Pont. Max. Legationem inſtituit. 296.
Petri Capponii Florentini inſigne factum. 206.
Philautia. 298.
Philippus Arenbergicus Dux Arſchotanus in Galliam ſimul & Hiſpaniam Legatus. 308. & 331.
Philippus Viſconti Mediolani Dux ſpe pacis ut Florentinos deceperit. 424.
Pietas laudata. 147. *Legato neceſſaria* 117.
Prin-

Principi commendata. 512.
Plures Legationes an uni ſimul committendæ. 301.
Plures an eadem Legatione recte fungantur. 293. *Olim id in uſu magis quã in hodierna praxi.* 294. *Cur conſultius per unum.* 295. *Plurium contentio periculoſa.* ibid. *Vbi tamen Plures miſſi, unus tantum Oratoris munus obit.* 302.
Pœna violantium jus Legatorum. 355.
Pœna Legati qui mandata tranſgreditur. 265.
Pœna retaliationis apud omnes Nationes uſitata. 363.
Politicus verus quis. 106.
Politici auctores qui præcipui. 125.
Polonorum mores. 159.
Pompeii egregia conſtantia & fortitudo ne ſecretum proderet. 199.
Pontificis Romani majeſtas & dignitas. 244.
Poſta ſeu Curſus publicus. 379.
Potando quidam ut decepti. 76. *Et quam ingenioſe alii alios deceperint.* ibid.
Potentia aucta non diminuit, ſed auget plura obtinendi deſiderium. 507.
Præfecturam perpetuam uni alicui permitti, cur Venetis Bartholomæus Coleoni prudenter diſſuaſerit. 314.
Præmia virtuti, induſtriæ & labori debentur. 665. *Danda talia quæ ſint ad promerentis genium.* 667.
Prærogativæ Legatorum. 373.

Præſentia in rebus agendis ſæpe neceſſaria. 273.
Princeps non ſolus ſed aliorū regit adminiculo. 2.
Principem offendit qui ejus Legatum. 348. *Quod exemplis probatur.* ibid. & 350.
Princeps cur ambigue Legatum ſuum aliquando inſtruat. 283.
Princeps ne ſuper eodem negotio diverſa mandet diverſis. 273. *Periculoſum hoc, recenti exemplo adſtruitur.* ibid.
Princeps in ſcribendo & magis etiam in ſubſcribendo debet eſſe difficilis. 279. *Scribere tamen aliquando quam dicere conſultius.* 280.
Princeps ſi Legatum alterius apud quem & ſuum habet, offenderit, quid agendum. 363.
Principatus ut ſtabiliendus & conſervandus. 505. & tota Diſſert.
Princeps ut hoſtiles Legatos alioquin ſuſpectos à ſe dimittat. 416. *Cum ſeditionis capitibus ut ſe gerat.* 459. *Sibi ſubditos cur affinitate ſibi jungi non debeat permittere.* 468.
Principes ſummi ad mutua colloquia non facile accedunt, an & quare id conſultum. 14. *Tutius per Legatum.* 15.
Principes grandia omnia, nihil plebeium aut vile decet. 70. *Vt Legatorum genium cognoſcant, accurati ſint, ne decipiantur.* 107. *Vix jocos admittunt.* 139. *Legatum ut ſecreta expromat cogere non poſſunt.* 199 *Legatos ſuos ſubinde aliter inſtruunt quam intendunt* 287.

Principes multa verentur jubere, quæ tamen optant perpetrari. 272.
Principes non facile arcana ſua alicui patefaciant. 288. *Ne quidem ſemper Legatis.* 289.
Principes an aliquando obviam alicui procedant. 322.
Principes ſatellitibus domeſticis cur ſtipentur. 343.
Principi an eloquentia neceſſaria. 133. *Ejus ars & arx, prudentia.* 148. *Artificium, tegere conſiliorum finem.* 289. *Lex, utilitas.* 277.
Principis morte totius Status forma mutatur. 284.
Principibus quanti facienda eruditio. 128.
Principum affectus cereus. 139.
Principum nuptiæ, & quæ in iis præſertim ſpectanda. 464.
Principum ambitio quam inſatiabilis. 490.
Principes aliquando majeſtate ſua quoſdam obmuteſcere ut fecerunt. 564.
Principes in admiſsionibus concedendis non ſint difficiles. 534.
Principes ipſos cur Legationes excipere conveniat. 538.
Principes ut dignitate, ita ſapientia ſe putant omnes præcellere. 613. *Quocirca cum iis hac de re contendere, magnæ eſſe imprudentiæ, monſtratur feſtivo exemplo.* ibid.
Principes ut prudenter de renuntiatione Legatorum judicent. 657.

Principibus in ditione nova ſtabilienda; confirmanda, commendatur Pietas. 512. *Beneficentia.* 516. *Conſultatio.* 518. *Clementia.* 522. *Aliæ virtutes.* 527.
Princeps Legationis quis. 302.
Principes Chriſtiani ad Terræ ſanctæ recuperationem conſpirant nullo eventu. 256.
Privata negotia nec ſua nec aliorum curet Legatus. 310. Quod exemplo ibidem adſtruitur.
Privati (ut loquuntur) ſeu familiares Principum taxati. 304. *An tales Principem habere expediat.* 625. *Eorum, ubi habentur, magna habenda ratio.* 151.
Privilegia. 521. *Ea quæ Statui præjudicant reiicienda.* 493.
Procurator quis plenum mandatum habere cenſeatur. 269. *Res Domini meliores facere ſine mandato, non deteriores poteſt.* 271.
Prodigalitas taxata. 76.
Promiſſio in rebus Status quatenus ſervanda aut frangenda. 236.
Protheus Homericus multifariæ ſapientiæ ſymbolum. 614.
Prudentia. 146. *Ea conſtat memoria & reminiſcentia.* 216. *Legato in primis neceſſaria.* 146. *A Deo obtinenda, ſine quo cæca omnia.* 148. *Quarum rerum notitiam requirat.* ibid.
Prudentis eſt ſe tempori accommodare. 208. *Multorum Philoſophorum exemplo.* ibid.

Pſitta-

Pſittacum jaculari dum quidam Legatus conatur, riſui ſe expoſuit. 109.
Publica dum curat Legatus, privatis ſuis rebus ſtudere & diſtineri non debet. 373. *Pulchrum ſuper ea re Philippi II. Hiſpaniarum Regis dictum factumque.* 373.
Puellæ venuſtæ diti volunt, etiam quæ deformes. 156.
Pulchritudo laudata. 53. *Ea in viris non formoſitas, ſed quædam majeſtas.* 54. *Principem ut decet, ita Legato neceſſaria.* 56. *An non aliquando Legatus qui deformis.* 58.

Q.

QVies domeſtica an vicinorum bellis procuranda. 431.
Quieti aliquando indulgendum. 383.

R.

RAtio Status ad invadendam alterius ditionem non ſufficit. 511.
Rebelles alterius juvare, eſt ſuos rebellionem docere. 432.
Regem offendit, qui Legatum. 348.
Reges cur fratres ſe invicem indigitent. 470.
Reges multi Principeſque devicti ut calamitatem deprecari non erubuerint. 494.
Religio eaque una & inviolabilis Principibus commendata. 513. & ſeqq. *Qua ratione introducenda.* 514. *Quæ Principatus corroborationi*

rationi ac tranquillitati maxime conducat. 515.
Religio, belli prætextus. 430.
Religionis in pactionibus maxima habenda ratio. 434.
Remedia morborum ut varia, ita & ſeditionum. 455.
Renuntiatio Legationis ut vitietur. 655. *Quotuplex ea, & ut inſtructioni & mandatis reſpondeat.* 660. *Vt inſtituenda, publicene an privatim.* 661.
Reorum & facinoroſorum exemptionibus Legatus non facile ſe immiſceat. 376.
Reſponſionum variæ ſpecies. 590. *Quæ exemplis declarantur* 591. *Reſponſa alia ænigmatica.* 592. *Alia interrogatoria.* 594. *Quædam per ſilentium.* ibid. *Quædam per ſigna.* 597. *Decorum in omnibus ſervent Principes, alioquin notandi, ut quidam.* 595. *Quædam ex arte & ingenii promptitudine.* 655. & ſeq. per varia exempla. *Quædam violenta.* 604. *Quædam per litteras.* 610. *Et per mutuos Legatos.* ibid.
Reſpublicæ cur modo huic modo adverſæ parti ſuppetias mittant. 488.
Reſtrictio mentalis 230. & pluribus. 234.
Retentum Curiæ quod. 265.
Rigor & ſeveritas à Principibus quando adhibenda. 526. & ſeq.
Riſus ut gratus vel ingratus. 590.
Rode-

Rodericus Calderonius ad Belgii Principes Legatus. 307.
Rudolphus Auſtriacus qua induſtria pacem cum Abbate S. Galli fecerit. 446.
Rumores populares quare plerumque falſi. 621.
Ruſticis armorum uſum cur Carolus V. interdixerit. 460.

S.

SAcerdotum caſta vita & cælebs probatur 400.
Satellites domeſtici Principum ad quid conferant. 343.
Scribere non expedit omnia, ſed præſtat multa Legatorum auribus & animo committere. 278.
Scipioni Naſicæ legatio libera in Aſiam cur decreta. 285.
Scripturæ ſacræ lectio Legato commendata. 125.
Scriptura ſacra omnis Politicæ doctrinæ ſcaturigo. 126. *Id Adriani VI. Pont. Max. docetur exemplo.* ibid.
Secretarius Legati, & quid ei muneris. 384.
Secreta Legationis ſoli Principi & nulli alteri explicanda. 661.
Secretum ſuum qui alteri revelat, ſui Iuris eſſe deſinit. 289.
Secretum Reipub. quam conſtanter ſervaverit Pompejus. 199.
Securitas omnium à diffidentia. 241.

Sedi-

Seditio, & quinam ea ſedanda. 453. *Remedia ſex.* 454. *Definitio.* ibid. *Diſcrimen.* 455. *Vt in ſui initio reprimenda.* ibid. *Tranſactione quandoque placanda.* 558. *Argumentis non politicis & ſubtilibus, ſed popularibus lenienda.* 461. *Sed & adhibenda deceptio.* 463.

Senatus Veneti arctum ſilentium & ſecretum laudatum. 34.

Senectus laudata, & in rerum adminiſtratione juventuti prælata. 59. *Quænam illa.* 60. *Et an juvenes ſemper arcendi à muneribus.* 61. *An in ſenum comitatu mittendi.* ibid.

Sermo gravis & enucleatus Legatum decet. 576. *Maxime etiam brevis & contractus in rei & ſententiarum pondus.* 577. 580.

Sermones temerarii & audaces ut quibuſdam male ceſſerint. 559.

Sormone vario apud varios utendum. 434.

Seſſionis prærogativa quanti à Principibus fiat, exemplis adſtruitur. 545. ubi de vario & ambitioſo ſuper ea re certamine. *Qui evitari hinc natæ lites videantur.* 553. *Quid ſtatuendum inter Legatos ejuſdem Principis.* 555.

Sigillum Principis Legatorum inſtructionibus apponitur. 260.

Silentium aliquando reſponſi locum obtinet. 594.

Silentium à multis difficulter ſervatur. 237.

Simulatio & diſſimulatio. 226. *Quanti ea ponderis in rebus Status & gravioribus.* 227. *Cur hoc*

hoc ævo ita neceſſariæ. ibid. *Quatenus ſimulandum.* 228. & ſeq.

Simultates deponendæ negotium aliquod ſimul tranſigere volentibus, exemplo Ariſtidis & Themiſtoclis. 298.

Spiritus contradictionis aliquibus familiaris rerum tranſactioni adverſarius. ibid. *Vnde ille oriatur.* ibid.

Stipendiorum militarium ratio quæ optima. 427.

Subſtituere ſibi aliquem an Legato legitime impedito liceat. 300.

Succeſſus multa honeſta facit. 272.

Sumptus & expenſæ cur hodie plerumque non fiant Legatis externis. 328. *Romanorum ea in re liberalitas.* ibid. ubi Attilæ Legatos Theodoſii Junioris convivio excipientis liberalitas.

Supellex Legatorum qualis. 115.

Suſpecti miniſtri ut ab officiis prudenter amovendi. 316.

Suſpicio omnis ab induciarum pactione amovenda. 439.

Suſpicio ſceleris quandoque punienda. 527.

Suſpicio naſci facilis, tolli difficilis. 638.

Sympathia naturalis cauſa affectuum. 97.

T.

T*Aciturnitas laudata.* 239. *Quanti ea momenti in negotiis Status.* ibid. *Simonidis in hanc rem apophthegma.* 238.

238. *Nimia tamen vitioſa. Morituri cujuſdam patris filio data ſuper taciturnitati inſtructio.* 242.
Talionis pœna Iure gentium permiſſa. 363.
Temeritas in Legato quodam caſtigata. 207.
Themiſtocles Legationis mora Lacedæmonios decepit. 414.
Timagoras cur ab Athenienſibus damnatus. 650.
Timidus Legationi non idoneus. 198.
Tituli ad honorem conceſſi. 116. *Eos quidam ut affectent.* 628.
Turca præter primogenitum reliquos omnes natos cur e medio tolli curet. 469.
Turcarum genius. 159. *Cur communi fœdere à Chriſtianis non invadantur.* 479. *Cur vino abſtinere jubeantur.* 184. *Eorum Legatus ad Hollandos Antverpiæ ſiſtitur.* 367. *Mores in admittendis Legatis.* 181. *Renegati ſeu apoſtatæ Chriſtiani iis in pretio.* 187.
Tyranni cur olim in familias viros graves & ſapientia inclitos adſciſcere conſueti. 391.
Tyrannidis depulſio, juſta belli occaſio. 429.

V.

V*Aletudinarii Legationibus inepti.* 56. *Veneti nobilitatem colunt, & genealogiis ſtudent.* 180. *Eorum regimen & politia.* ibid. *Præfectos militiæ cur frequenter mutent.* 314. *Pro perſonarum qualitate*

vario veſtitu utuntur. 121.

Veracitas commendata. 231.

Veritas odioſa. 613. *Cur temporis & memoriæ filia dicatur.* 231.

Verrucæ arx à Friderico Montisferrati Comite quo ſtratagemate occupata. 436.

Verſuti. 105.

Veſtis ſplendidior perſonam reddit ſpectabilem. 121.

Veturia Coriolanum filium ab obſidione Romæ oratione ſua ut diverterit. 95.

Vicarios Legati ſubſtituere non poſſunt, niſi ſuos filios. 300. *An id hodie in uſu.* ibid.

Vindictæ cupiditas quo Helenam Ruſſorum Reginam impulerit. 352.

Violentia in ſeditioſos non facile adhibenda. 459.

Nec iiſdem ſpes veniæ tollenda. 460.

Vires propriæ ubi deficiunt, alienis fulciendæ. 487.

Virtus ſibiipſi præmium. 245. *Ei omnia obediunt.* 246. *Ante omnia quærenda.* 29. *Calumniæ expoſita.* 637.

Viſitationes ut admittant Legati, item ut reddant. 346. ubi diſcuſſum, *An Legatus, poſtquam ſolemniter à Principe quem adit admiſſus eſt, ſalutationis officium expectare ab alio Legato, ſi quis ad eamdem Aulam prius venerit, debeat, an eidem deferre.*

Vitia non ſubito ſed paulatim è communitate evellenda. 529.

Vladeſlaus Poloniæ Princeps Bruxellam appellit. 324. *Vt ab Sereniſſima Infante Hiſpaniarum, totaque Aula exceptus.* 324.

Vnus an ſimul pluribus Legationibus commode deſtinetur. 303.

Vnum præ reliquis Principis affectum poſsidere, & familiaritate in rebus agendis potiri inconſultum. 305.

Vnum eumdemque variis honorum muneribus ſemper fungi, non eſt ex honore Principis. 309.

Vtilitas eſt lex Principum. 277. *In eam Principes maxime collimant, ut in actionum ſuarum album.* 479. *Ea quando æqualis, fœdera ut firmat, ita ubi inæqualis, infirmat & debilitat.* ibidem.

Vultus conſtitutio indicium eſt animi affectuum. 110.

Vxor. 399. *An eam ſecum ducat in Legatione obeunda Legatus.* ibidem. *Quæ ab ea impedimenta, pericula,* &c. 400. 405. *Quæ commoda.* 401.

Z.

Zopyrus Perſa quam vafra intentione naſum & aures ſibi abſciendi voluerint. 422.

F I N I S.

A Leide le 10. Jan. 1658
Un florin

Digitized by Google

1.10

Digitized by Google